M. ANTONII MURETI ... ORATIONES. EIUSDEM INTERPRETATIO...

Marc Antoine Muret, Carlo Sigonio

Digitized by Google

6
10-e
81

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
4 A
12

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTONII MVRETI PRESBYTERI, I. C. ET CIVIS R.

ORATIONES

Eiuſdem interpretatio quinti Libri Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum.

Item Caroli SIGONII orationes

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,

In Off. Q. Philippi Thingi, Apud Simphorianum Beraud.

ET

Stephanum Michaelem.

M. D. LXXXVI.

…CA NAZ. ROMA … VITTORIO EMANUELE

M. ANTONIVS MVRETVS S. SCIPIONI GONZAGÆ Marchioni,& S.R.I. Principi.

OFFERO *tibi munus Scipio Gonzaga, ſi aut ex ſua, aut ex dignitate ſpectetur, perexiguũ: ſi ex virib. meis, mediocre: ſi ex animo, magnũ. Orationes quædã sũt, varijs à me tẽporib. habitæ: quæ, cũ partim diſperſæ atq; errãtes vagarẽtur, partim apud me in aduerſarijs neglectæ iacerẽt: nũc in vnũ corpus collectas vt edi ac diuulgari paterer, amici quidã, multò mei hac quidẽ in parte, q̃ par eſt, & q̃ ego ipſe vellẽ, ſtudioſiores, impulerũt. Satisſuperq; fuerat, earũ partim in ſcholaſtico puluere, atq; in illis eruditorũ hominũ vmbraculis, nõ tãtũ recto, vt dicit̃, ſtetiſſe talo, ſed plauſũ etiã, & ἐπισημασίας tuliſſe, partim ĩ illo cõſeſſu, quo nullũ hẽt terrarũ orbis auguſtiorẽ, & ſilẽtio auditas, & prĩcipũ virorũ teſtimonio cõmẽdatas fuiſſe. Superarat fortuna ſpes meas: q̃ ſæpius ſine cauſſa experiri negãt ẽe ſapiẽtis. Neq; neſcierã moroſi ora ac difficiliora eſſe legentiũ, q̃*

*audiẽtiũ, iudicia: ſæpéq; accidere, vt q̃ audiẽ
tes mirabamur, eadẽ legẽtes rideamus. Sed
qd facerẽ? Cupiẽti mihi iã latere, amici ob-
ſtiterũt: quib. parẽdũ fuit: ne, ſi in negãdo p-
tinax eſſẽ, ſuperbiæ deniq; id potius, q̃ mo-
deſtiæ, adſcriberetur Cũ igitur inibi eſſet, vt
ederẽtur, libẽter arripui occaſionẽ diu opta-
tã inſcribẽdi tibi, vt nũc fit, aliqd de prõptũ
ex ſtudijs meis, eadẽq; opera teſtificãdi &
iudicij de te & mirifici cuiuſdã amoris erga
te mei. Verè enim hoc dicã* SCIPIO, *cũ oẽs q
te norũt, ita te amẽt, vt eorũ nemo ſit, qui ſe
ſtudio atq; obſeruãtia tui cedere cuiquã pu-
tet, ego tamẽ mihi videor diuturna & accu
rata notatione & obſeruatione earũ rerũ, q̃
te vſq; eò omnib. amabilẽ reddũt, ſingulare
qddã prȩter cæteros* πεπονθέναι. *Quid eſt enĩ,
qđ ad cõciliãdas ac deuĩciẽdas hominũ vo-
lũtates valeat, quĩ id ĩ te oĩ ex parte pfectũ
reperiatur? Nihil hic de sũma atq; antiqſ-
ſima gẽtis veſtræ aut nobilitate, aut potẽtia
dicã: nihil te de toto illo genere bonorũ qđ i-
ta tuũ eſt, vt aliorũ ſit. Alios & iſta amato-
res hẽnt. Ego ĩ te nihil amo, niſi teipsũ. Itaq;
vt ille Rex potiſſimus ex amicis ſuis aliũ di
cebat eũ* φιλοβασιλέα *aliũ* φιλαλέξανδρον *ita tu,*

alios eſſe,q & alia ĩ te amẽt,me planè & ex
aĩo φιλοσκιπίονα eſſe tibi pſuadeas licet. at te
ipſũ cũ dico,ne illã qdẽ dico & oris & totiꝰ
cporis dignitatẽ, q̃ tibi oĩm elegãtiorũ homi
nũ aĩos primo ſtatĩ aſpectu cõciliat,cõſtituẽs,
quoad eiꝰ fieri põt,ãte eorũ oculos & ĩgeniũ
& mores tuos. Quãuis enĩ verè dixit neſcio
qs poetarũ,gratiorẽ in pulchro corpore eſſe
virtutẽ:ea tamẽ ẽ ĩ te veriorũ ac ſolidiorũ
bonorũ copia,q̃ te his ſecũdæ, vt ita dixerĩ,
notæ,bonis cẽſeri nõ ſinat. Ingeniũ excellẽs,
& ĩ quo,tãquã ĩ pingui ac feraci ſolo,oẽs te
dignę artes ita facilè cõphẽdãt,vt eas nõ ab
alijs accipere,ſed ex te ipſo parere ac pferre
videaris. Quo tu vſus ita vt decuit,à Gręcę
Latinq; lĩguę ĩtelligẽtia, à poetarũ,hiſtori-
corũ,rhetorũ cognitione ad philoſophiã, &
ad eã,quã tibi ab ineũte ętate ppoſueras,q̃-
q; tibi nũc ĩ amorib. ac delicijs, ẽ theologiã
ea celeritate pperaſti,vt q̃ honoris ac digni-
tatis pmia cõfecto ſtudiorũ curriculo tribui
ac decerni ſolẽt.ea tu nũc meritiſſimò cõſecu
tꝰ ſis,cũ adhuc maturũ videri poterat,de aĩo
ad illas grauiores diſciplinas adiiciẽdo cogi-
tare. Atq; vt iſtiꝰ generis ĩgeniũ nũq̃ita eſſe

otioſũ põt, vt oĩo nihil agat: qđ tibi dabat̃ à ſeueriorib. ſtudiis exceptis ac ſubſeciui tp̃is, eo tu quaſi ludibũdꝰ, eas artes, ĩ quib. ĩgenui adoleſcẽtes exerceri olĩ Athenis ſolebãt, ita oẽs didiciſti, itaq; te ĩ eis exercuiſti, vt ĩ earũ qualibet cũ sũmis artificib. cõparari facile poſſis. Quidnũc ego mores illos tuos planè, vt poetæ loquũt, aureos laudẽ? Potuitne q̃ſpiã vnq̃ bonꝰ tecũ biduũ viuere, tuæq; ſuauitatis partẽ aliq̃ guſtare, quĩ, vt ſibi totã ętatẽ tecũ exigere liceret, optauerit? Ita tu ꝓ rariſſimi exẽpli ẽ, sũmã ĩtegritatẽ vita cũ sũma comitate ac facilitate copulaſti. Sed nolo nũc plura de te: ne ipſi tibi moleſtꝰ ſim. Eqdẽ cũ deſcriptis meis nõ magnopere labore ſoleã, tamẽ hũc librũ p̃cipuè cupio & celebrari nũc, & ad poſteros peruenire: vt extet aliqđ teſtimoniũ iudicij de ſingularib. tuis virtutib. mei. In quo ne fortè qs eorũ, q te nõ norũt, (nã de ijs, qb. tu notꝰ es, nihil tale metuo,) aſſẽtationi & cõſuetudini datũ eſſe aliqd ſuſpicetur. Deũ immortalẽ teſtor, nihil vnquã à me verius, magisq; ex aĩ mei sẽtẽtia ſcriptũ eſſe, q̃ ea, quę de tuis laudib. ſcripſi. A te peto, vt me ames, quò me ipſi mihi efficias chariorẽ. Vale Romę Kal. Maij. 1571.

MARCI ANTONII

MVRETI DE DIGNITATE

ac præſtantia ſtudij theologici Oratio habita Lutetiæ in æde ſacra Bernardstarum, Nonis Feb. M. D. LII.

CVM omnes mihi ſingulari quadam, ac præcipua laude digni videntur, qui in aſſequenda honeſtarum artium ſcientia operam, & induſtriam ſuã collocant, tum ij præcipuè q veluti maiore quodã numinis afflatu perculſi, cęteris omnibus poſthabitis, ad diuinarum rerum intelligẽtiam omnes cogitationes ſuas, atq; omnia ſtudia contulerũt. Nam ſi eorum omnium, quæ in hac immenſa rerum vniuerſitate cernuntur, vnumquodque naturali perficiendi ſui deſiderio tenetur: & animus noſter ad ſimilitudinem diuinitatis effictus tantò perfectior eſt, quantò propius ad illud, ex quo ductus & propagatus eſt, exemplar accedit: dubitari profecto non poteſt, quin ea ſit omnium præſtãtiſſima facultas, quæ, quoad eius

Exordiũ ex collatione corũ qui literis incumbunt.

Animus noſter vt perfectior euadit:

fieri poteſt, cum humanis diuina copulãdo, mortalitatem noſtram, quantùm illius imbecillitas patitur, diuinæ naturæ arctiſſima colligatione deuincit. De illius mihi facultatis laudibus, hodierno die, demandatum eſt ab iis, quorum & apud me plurimũ valet, & apud omnes penequè valere debet authoritas, non vt eas quidem ſigillatim percenſere omnes, ac flore orationis conueſtire conarer, (quod & imperare iniquum eſset, & ſuſcipere temerariũ) ſed vt ex earum innumerabili copia pauca quædam ſeligerem, de quibus ex hoc ampliſſimo loco, vobis audientibus explicarem. Qua de re cùm mecũ initio ageretur, refugiebam equidẽ tanti oneris magnitudinẽ, veritus ne idem mihi contingeret, quod nobili olim ſophiſtæ apud Annibalem de rebus bellicis longa accuratáque oratione diſputãti contigiſse dicitur: ſi homo adoleſcẽs, & cũ à cæteris reb. ſatis tenuiter inſtructus, tum in hoc genere penitus rudis inter tot eruditiſſimos viros, ad dicendũ de rebus diuinis aggrederer. Illud etiã me commouebat, quod præclarè à Platone ſcriptum nouerã, orationi, & iis rebus, quæ

quæ oratione tractātur, quandā inter ſe cognationem intercedere oportere, ex quo facilè intelligebam conſequi, vt ad res diuinas pro dignitate tractandas diuinum quoddā requireretur orationis genus. At iſta quidē, re adhuc integra, fortaſſis maiore quadā cautione proui denda fuerint: nunc quidem iam ſemel altum ingreſſis, quæ nos cumque tēpeſtas exceptura eſt, vela nimirū facienda ſunt. Illud modò antequā vlterius prouehar, à vobis ſummopere contendo, vt quando omne mihi perfugiū in veſtra bonitate ac clemētia ſitum eſt, tenuitatem meā veſtro fauore, & ſilētio ſuble-uetis, quò mea oratio his veluti ſecundis ſubuecta ventis, quē ſibi propoſuit, portum facilius conſequatur. Atque vt hinc exordiamur. Si nihil diceremus aliud, niſi eam, quæ antiquiſſimo vocabulo Theologia dicitur, ſcientiam eſſe quandam, quæ diuinæ ſapiētiæ theſauros hominibus recluderet, tamen illud, vt opinor, liquidò cōſtaret, quāto æterna natiuis, immortalia caducis, diuina humanis antecellunt, tantò eſſe hanc facultatē cæteris omnibus anteponendam. Sed quemadmodum qui prçclari-

Inter orationem & res oratione tractatas neceſſaria cognatio.

Attentionis concitatio.

Theologia definitio.

alicuius ędificij pulchritudinē peruide re,ac penitus cognoſcere cupiunt,non ſatis ſibi eſſe ducūt illud vno totū aſpe ctu contemplari,ſed ſingulas etiam ſibi partes accuratè perluſtrandas, ac ſeorſum conſiderandas putāt:ita nos,ſi huius præſtātiſſimæ facultatis partes pauliſper excutere voluerimus,tum demū, quanta illius pulchritudo ſit intelligemus.

Theologia dua partes.

Theologia igitur,viri eruditiſſimi, vt à maioribus noſtris accepimus,duabus præcipuis partibus cōtinetur, quarū vna in lege poſita eſt, altera in euāgelio.Eſt verò ea lex de qua loquimur non ab humano profecta cōſilio,neque ſimilis earum, quæ hominum libidine ſtatuuntur,in quibus multa ineptè, ac ridiculè,nonnulla etiā impiè, ac nefariè ſancita reperias,ſed primū quidē ab illo huius vniuerſitatisparēte, ac opifice Deo in omniū hominū impreſſa,atque inſignita animis,pòſt etiā eiuſdem Dei digito in tabulis inſculpta lapideis; ne improbis vlla prætendēdæ facinoribus ſuis ignorantiæ occaſio relinqueretur.

Legis duo præcipua capita.

Cúmq; eā in duo ſumma capita tribuere liceat,eorum prius,quæ ad cultū numinis,poſterius, quæ ad tuendam homi

minũ inter ſe ſocietatẽ pertinẽt,omnia ſumma breuitate cõplectitur.Atq; hinc vel imprimis naturæ noſtræ imbecillitatẽ licet agnoſcere , quòd cùm pauca admodũ,eaque ſuapte natura facillima præcepta ſint,ſemper tamẽ deficiamus alicubi,neq; vnquã ſtabilẽ,inoffẽnsũq; cursũ ꝑpetuò retineamus.Tremefactus itaq; cõparatione ſui cũ diuinis præceptis animus,Chriſto ſe indigere cognoſcit,in cuius ſinum cõfugiat,cuius ſe virib.proucehat,ſub cuius bonitate , tanquã ſub firmiſſimo aliquo clypeo,tutus ab ijs , quæ lege propoſita ſunt,ſupplicijs deliteſcat,vt rectiſſimè Paulus legẽ pædagogũ,qui nos veluti manu apprehẽſos ad Chriſtũ deduceret,nominaſſe videatur.Eat nũc Lucianus aliquis:perfricet frontẽ,& dicat vllã eſſe legẽ, quæ cũ hac lege vlla ex parte cõparari queat. Quid enim?Quæ,Deũ immortalẽ,portenta in omnibus omnino legibus,ſi ab hac diſceſſeris,reperiuntur? Quarũ aliæ furta,aliæ adulteria , aliæ etiã quædam multò turpiora permittunt,vt nihil penè tam turpe ſit,quod nõ legiſlator aliquis licere voluerit. Hanc verò ſapientiſſimus ille Moſes , non à Ioue quodã com-

Lex diuina eſt pædagogus.

commentitio, vt Minos, non ab Apolline, vt Lycurgus, nõ ab Aegeria, vt Numa, ſed ab eo, qui ſolus veri Dei nomine cenſendus eſt, ſibi per manus traditã accepit, ita numeris omnib. abſolutam vt nihil neque immutari, neque adijci neque detrahi poſſit. Sed ea tamen, vt antea dixi, morbũ quidem noſtrũ cõmõſtrare ac detegere nobis poteſt: depellere eundem, ac ſanare non poteſt. Morbi aũt cognitio magna ea quidem vim maximumque momentũ ad vires recuperandas habet, neque tamẽ tantũ, vt in ea poſita ſint omnia. Quare euangelio nobis Chriſtus aperitur, qui, modò firma in ipſum perſuaſione nitamur non vana illa quidem, & otioſa, quam multi ſtultè, & inaniter iactant, ſed ſolida, & bonarũ actionũ perpetuò fœcũda, nos, velut humeris ſuis impoſitos, tollit in cœlum. O rem omni prædicatione maiorem! O nunciũ verè iucũdũ & lætabilem! Cùm humana natura primi parẽtis depreſſa lapſu peſſum tota ferretur, tantã fuiſſe in filio Dei clemẽtiã, vt delapſus è cœlo humanã formã induere voluerit, vt corporatus, ac carne tectus infinitis ſeſe laboribus,

Euangelij vtilitas.

cru-

cruciatib: ærumnis, morti denique teterrimæ, atque acerbiſſimæ expoſuerit, quò ſudore ac ſanguine ſuo ab animis noſtris duriſſimũ iugũ æternæ depelleret ſeruitutis. Téne, Chriſte optime, vt nos liberali cauſſa aſſereres manu, omniũ dominus cùm eſſes, ſerui formã aſſumpſiſſe? Téne nobis quietẽ tuis laboribus, libertatẽ tua ſeruitute, vitã deniq; tua morte peperiſſe? Admirantur hiſtoriæ veteres Pythagoreũ quendã, qui ſe pro amico in cauſſa capitis vadem dare veritus non eſt: at hoc quãto admirabilius eſt, Dei filium, Deumque ipſum, vt nos merito noſtro inimicos ſibi, æternis eriperet ſupplicijs, tot, tam dira, ac vel dictu, vel cogitatu aſpera, & horribilia ſuſtinere voluiſſe! Et quiſquã eſt, qui alias omnes, ſi in vnũ conferantur, ſciẽtias, cum hac, qua iſta tam pulchra, tam admirabilia, tam diuina traduntur vllo modo cõparãdas putet? Hæc verò vna eſt omni cura, ſtudio, cõtẽtione digniſſima. Hæc vna eſt non tam liberalis vocãda, quàm liberatrix. Hæc aurea illa catena eſt, qua cum cæleſtib. terreſtria copulantur. Hæc ſcala illa eſt, quam olim, per quietem, ſanctiſſimus patriar-

Damon & Pithyas.

cha.

Iacob Patriarchæ ſcala. cha vidit,cuius gradib. in cœlum ſcādere liceat,atq; illic Deū intueri,admirari adorare,demittentē ſemetipſum ex auguſtiſſimo illo maieſtatis ſuæ faſtigio, ſeſeq; accōmodante ad humanæ cōditionis humilitatē,rurſusque eundē defunctū nobili illa ſeruādorum mortaliū prouincia,ſpoliatisq; inferis (ô rē omni humana cogitatiōe ſublimiorē) in cœlum ſublimē raptū,vallatúmq; ac ſtipatum infinita tum geniorū cōcinentiū, tū hominū de caliginoſiſſimis illis Satanæ ergaſtulis erutorum multitudine, iuſto ac pleno triūpho cœlū ingrediētem,neq; diſiecta muri parte,ſed valuis ſuo ſanguine recluſis,iter eodem nobis omnib.aperientē.Atque hęc quidē quāuis eiuſmodi ſunt,vt ad excitādū,inflāmandúmq; quālibet torpentē animum ſufficere poſſe videātur:tamen ex tā vbere cāpo alia quædā,niſi moleſtum eſt proferamus.Verè enim illud affirmare poſſe videor,eruditiſſimi viri,quemadmodū Platonici elementorū in corporib. cæleſtib. quendam veluti florem,in hiſce inferiorib. quandam veluti fæcē eſſe dicebant:ita rerū omniū cognitione dignarū in Theologia florē, in alijs ſcientijs fæcē contineri.Namq; vt hinc

Elementorum veluti flos in corporibus cæleſtibus.

noſtra

noſtra ſe primũ efferat oratio, quis neſcit, quãtopere ſe in perſcrutandis rerũ principijs veteres philoſophi torſerint, quámq; nihil, ſi res ad verũ exigatur, effecerint? Dũ alius mundũ hunc, & quicquid in eo vel aſpectabile, vel tractabile cõtinetur, putat ex temeraria quadã munitiſſimorũ corporum concurſione coaluiſſe: qui ſi vel vnã earũ, quas ſomniabat, atomũ cerebri habuiſſet, nũquã iſta tam ſtultè, incogitãtérq; ſcripſiſſet: alius æternum eſſe eum, neq; deſiturũ vnquam, neque exordium ducentẽ ab vllo temporis principatu, non animaduertens hac ratione illã, à qua ipſe tãtopere abhorrebat infinitatem induci: qui veró optimè ſenſiſſe creduntur, tamen Deo veluti comitem quãdã materiam adiungunt, quaſi vt artifex, ita Deus ſine materia nihil poſſit efficere. Quid Theologi? huius vniuerſitatis authorem eſſe ac effectorem Deum, qui cùm innumerabilibus ſeculis anteceſſiſſet, quo temporis puncto ipſi placuit, mundum hunc, & quæ illius ambitu cõtinentur, ſine vllis vectibus, ſine vllis ferramentis, ſine vlla materia, verbo tantũ, ac nutu ſuo ex nihilo architectatus

Platonis opinio de effectione rerum.

tus eſt:eundemque aſſiduè ſua bonitate ac prudētia continet,moderatur,fouet omnes in eo rerū ac temporū varietates,& viciſſitudines efficit. Quòd ſtatos orbiū cæleſtiū curſus,quòd certas ſiderum traiectiones, quòd cōſtitutis vicibus inſignes ac notabiles rerū cōmutationes intuemur, hæc & cætera omnia ad eum modū non fortunæ temeritate aut vi vlla materiæ dirigi ſed, diuina prouidentia temperari. Contemplemur & alia. Quid de animo humano philoſophi? Alius eū cor ipſū eſſe dicit,alius cerebrū,alius cordi ſuffuſum ſanguinē alius ſpiritū innatantem ſanguini,alius harmoniā quādā,alius eum ex numeris cōficit,alius ex atomis, vt mihi quidem iſta conſiderāti certamen aliquod inſaniæ ſuſcepiſse videantur,Ita ex hoc tam cōfuſo,tam vario, tā multiplici teterrimārū opinionū veluti cinno, nihil ferè collligere poſsumus,niſi ſēper copioſiſſimam meſsem hominum variè inſanientium fuiſse. Nam nonnulli quidem ea dicunt, vt eos in re tam ſeria riſum captare atque aucupari putes, vt apud Dicæarchum Pherecrates,qui animum nihil omnino eſse contendit,ve-

Animi diffinitiones ex priſcis philoſophis.

ritus

ritus credo, ne quid poſſet tam abſurdè aut fatuè dici, vt id nemo dixiſſe philoſophorum. Illa verò multò etiam apud eos perturbatior, atque implicatior quæſtio eſt, permaneat ne animus corporeis ſolutus vinculis, an qui corporum idē ſit interitus animorū. Epicurus interire eos putat, nefas ratus, cū tā multa ſibi cū ſuibuscōuenirent, ſe hoc vno ab eis intereſſe. Stoici lōgā eis vitā, vt cornicibus, ſed non perpetuā tribuūt. Pythagoras verò iucūdus eſt, qui remanere illos quidē docet, ſed ex corporibus in alia corpora migrare, vt idē ſit fortè hodie gallus gallinaceus, qui tēpore belli Troiani fuerat Agamēnō. Quid Plato? Quid Ariſtoteles? de hoc quidē illud Homericum dici poteſt.

De animorū immortalitate philoſophorū opiniones.

Τυδ ειδην δ' οὐκ' ἄν γνοίης ποτέροισι μετείη.
Ἠ' ε μετα τρώεσσιν ὁμιλοῖ καὶ μετὰ ἀχαιοῖς,

Obſcuritate enim ſe inuoluens ſua in neutram partem ſatis apertè propēdet vt pene in legē Solonis incurrere videatur. Ille autē proximè quidē omniū accedit ad veritatē, ſed ei tam multa mēdacia admiſcet, vt non abſurdè dicant, qui eum dicunt poeticè philoſophari, Quid porrò de iiſdem rebus Theologi?

Animi Theologica finitio.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EM. ROMA

Animum hominis ſimplicem quandam & indiuiduam eſſe naturã, ad exemplar diuinitatis expreſſam, licet ortus participem tamen interitus expertem, quę corpore ſoluta, ſi ſe purè ac piè geſſerit, in cælum euolet, æternam illic Dei beneficio adeptura felicitatem, ſin ſe malis, iiſque inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendã dederit, ad inferos nunquam deſituris damnanda ſuppliciis deprimatur. Quod ſi quæ de Deo à balbutientibus philoſophis dicta ſunt, cũ ſolida Theologorum doctrina comparare collibuerit reperiemus hos quidẽ certa omnia, & explorata, & ſalutaria tradere: Illos verò neque ſatis, quid dicãt intelligere, & credula ingenia pernicioſiſſimarum opinionum laqueis implicare. Itaque quod Homerus de Thireſia, Cato de Scipione dixit, idẽ de Theologia dici poteſt, eam videlicet ſapere ſolam, reliquas diſciplinas, velut vmbras per inane volitantes vagari. Quòd ſi quis eã quæ ex leuioribus ſtudiis percipitur amœnitatẽ requirit, ne eam quidẽ in feraciſſimis Theologiæ cãpis fruſtra deſiderauerit. Nam ſiue poeticis modulationibus aures demulcere meditamur, quis vnquã ita in hoc genere excelluit

Theologiæ elogium

vt cũ Dauide cõparatus nõ ſordeat? Ni ſi forte Orpheũ, Homerũ, Pindarũ de leuiſſimis plerũque nugis verba fundẽ tes audire præſtat, quàm illum Deo ac ceptiſſimũ Regem nunc Dei laudes ple na hilaritatis oratione referentem, nũc eiuſdem auxilium in ſummis ſuis diffi- cultatibus implorantem, nunc inſectan tem improbos, nũc cõmendantem pro bos, nunc ea quæ multis poſtea ſeculis contigerunt, ita ſubiicientem oculis, vt nullus ea melius Apelles in tabula ex pingere potuiſſet. Siue hiſtoriæ cogni- tione ducimur, vnde veriores, vnde ſci- tu digniores hiſtorias, quàm ex ſacris literis repetere poterimus? An verò ſua uius eſt cognoſcere quid Crœſo in Me dos, quid Pyrrho in Romanos expedi- tionem paranti obliquè Apollo, quàm quid Moſi ad Pharaonem, quid Samuëli in Palæſtinos proficiſcẽti, apertè ac per ſpicuè Deus ipſe reſponderit? Quomo do Regulus à Carthaginenſibus, quàm quomodo ſeruator, & σωτὴρ humani ge neris Chriſtus, à Iudæis omni crudeliſ- ſimorũ ſuppliciorũ genere diuexatus fuerit? Iucũdiũſne, aut fructuoſius arbi tramur intelligere quib. artib. Aſſyrios

Hiſtoria ex ſacris literis du cuntur.

perſæ. Romani cæteras nationes deuicerint, quàm quibus auguſtiſſimi illi perſuaſionis noſtræ duodecimuiri, aliique deinceps innumerabiles eorum veſtigia ſecuti Chriſtianæ ditionis termi nos amphauerint? O hebetes, & ſtupidos, aut, vt verius dicã, miſeros & per ditos, ſi qui harũ rerum ſuauitatẽ, fructũmq; non ſentiũt: Cõtra vero ô ter & quater beatos illos, quorũ ita eſt affectus animus vt nuſqnã ſuauius, quã in his ſtudiis conquieſcat: non eos aut inaniũ dignitatũ, fluxarũ opum aduTheologiæ vtilitas rit ſitis: non eos voluptatum illecebræ molliunt, liberi, & prauis omnibus cupiditatibus ſoluti ex illo perenni puteo aquam æternæ vitæ effectricẽ hauriũt: ex illis perpetuò virentibus campis flores ſuauiſſimos colligũt, ex quibus qui odores afflantur, eorum nunquam eſt intermoritura ſuauitas: Deo inſeruiũt, Deo adhærent, eius tantũ gloriæ velifi cãtur, eo fruuntur, quęq; olim plenè per cepturi ſunt gaudia, ea iam nũc mente ac cogitatione percipiũt. Ergo ſiue domi, ſiue foris verſentur, cũ Deo aſſiduè colloquuntur, ſiue proſperis rerũ vtãtur ſucceſſibus, eidẽ vt proſperitatis ſuę

authori

authori gratias agunt:ſiue quid eis aduerſi accidit(quāquā quid eiuſmodi viris accidere aduerſi queat?)Sed tamen ſi quid eis accidit earū rerū, quas vulgus aduerſas vocat,neq; indignātur,neque concidunt animis,ſed verbo diuino ſeſe ſolantes,quicquid à Deo immittitur, ſummi beneficij lóco habendū eſſe ducūt. Pródeū immortalē:quid eſt, ſi hoc nō eſt fœliciter viuere:& in terris vitā cæleſtiū imitari?O vitæ Theologia dux ô virtutū omniū parēs, vitiorū expultrix animorū liberatrix: Quid ſine te non modò nos,ſed omnino vita hominū eſſe potuiſſet? tu deprauatas impuriſſimis opinionibus hominū mētes,velut de integro interpolaſti:tu diſtractos diſſipatóſque variis idolorū cultib. homines in vnius veræ religionis ſocietatē cōuocaſti:tu magiſtra morū ac diſciplinæ fuiſti ac veluti ſol exoriēs,nubiū caliginē diſſipat:veluti ſidus,quod Caſtoris & Pollucis dicitur:exortu ſuo maris rabiē placat,tēpeſtatéſq; diſpellit:ita tu diuinit⁹ exorta & tenebras ignorātiæ diſſipaſti,& illo tuo ſalutari fulgore procellas veterū ſuperſtitionū diſpuliſti Tu nobis velut Helice,aut Cynoſura

Ex Theologia qua ſuauitas

Theologia laudes.

quæpiã ea ad quã vniuerſus nauigatio nis,id eſt vitæ noſtræ curſus dirigatur. Tu ignis ille cæleſtis es, quem verus ille Prometheus,id eſt Chriſtus in terras attulit,ſine quo vita conſtare non põt. Tu & vitæ tranquillitatẽ largita nobis es,& mortis terrorem ſuſtuliſti.Beatos igitur qui ad te,tanquã ad portũ,cõfugiunt:beatos qui ſe tibi à teneris vnguiculis penitus,totoſq; tradunt:miſeros contra,qui,vt proci Homerici,ancillarum amorib. irretiti,te,quæ omniũ artiũ domina es,negligunt. Tu enim earum rerũ ſcientiam profiteris, quarum plena cognitio æternã beatitatem,ignoratio æternũ exitiũ hominibus pollicetur.At vos viri optimi,quos partim huius præſtãtiſſimæ diſciplinæ verticẽ coſecutos,partim illius ſacris imbutos,atque initiatos videmus,macti, inquam, macti animis,neque vos aut labor deterreat, aut voluptates auocẽt,quò minus in ſacratiſſima illius adyta penetretis. Vobis enim vigiliarũ,ſudorumque veſtrorum,&magna hîc inter homines præmia , & infinitis partibus maiora ſunt in cælo diuinitus conſtituta.

DIXI.

M. AN

M. ANTONII MVRETI
ORATIO PRIMA
HABITA VENETIIS MENSE OCTOBRI. ANNO M.D.LVI.

QVæ ſingulis hominib. ad dicēdū accedētib. timorē facere cōſueuerunt, patres ampliſſimi, vóſq; cæteri ciues ornatiſſimi, ea mihi ſeſe hodierno die obijciūt vniuerſa. Siue eīm loci amplitudo afferre pturbationis aliquid poteſt, Venetijs dicimus: ſiue audientium dignitas, magna lectiſſimorum hominū adſtāte frequētia dicimus: ſiue ipſa orationis materia, dicendíq; cōditio, ita dicimus, vt ſit nobis eodē tēpore de ingenio, de doctrina, de gloria, ornamentíſq; omnibus in hoc literarū certamine periclitandum. Venetijs dicere, ſi quiſquam eſt, qui parum putet, eū neceſſe eſt in maximarū,

Beneuolentiam & attentionem captat à rei difficultate.

Venetiarum laus.

earundemque toto orbe notiſſimarum rerum ignoratione verſari. Ecquis enim eſt hodie tam inacceſſus, tam ab omni hominum conſortio remotus in terris locus, quò non huius, præſtantiſſimæ ciuitatis fama peruaſerit? quis populus, quæ gens, quæ hominum natio vel tam immanis atque barbara, vel tam exculta diſciplinis atque artibus, quam non iampridem florentiſſima Venetorum reſpublica non gloria modò & ſplendore nominis ſui, verum etiã admiratione cõpleuerit? Hæc verò firmamenta reip. hæc ornamenta Italiæ, hęc virtutũ omniũ, laudandarumque artiũ pręclariſſima lumina intuentem non cõmoueri, tantùm id quidem eſt, vt, non dicã in meam hanc mediocritatem ingenij, ſed vix in quemquam hominẽ, qui cęterorum de ſe iudicia extimeſcat, cadere poſſe videatur. Etenim ſi eloquẽtiſſimos olim viros accepimus, cũ ad dicẽdum veniſſent, vnius principis aſpectu ita conturbatos fuiſſe, vt obmuteſcerẽt, qnid mihi tandem animi eſſe oportet, qui neque comparandus cum illis omnino ſum, & apud vos dico Senatores ampliſſimi, ad quos cùm oculorũ conuerto

Nimirũ Demoſthenes, quem coram Philippo Macedonum Rege ſua deſtituit eloquentia.

Amplificatio periculi per diſſimilitudinem ſuæ & aliorũ conditionis Oratorũ.

uerto aciem, totidem mihi conſeſſum principum video intueri? Ac cęteri quidem ſępè ad eam excuſationem cõfugiunt, vt ſe, cùm tenuitatis ſuæ conſcij eſſent, tamen vel neceſſitate, vel officio impulſos, vel amicorum ſiue precibus, ſiue tempore aliquo adductos, dicendi munus non tam appetiuiſſe, quàm detrectare nõ potuiſſe dicant: quam totã rationem nobis hodierno die ipſa rei natura conditióque præcludit. Non enim detrectantes, ſed vltro nobis depoſcentes hanc dicendi prouinciam, ad eam non alienis precibus impulſi, ſed veſtra incredibili benignitate admiſſi ſumus: vt ſin minus ex aliqua parte noſtra vobis approbata fuerit induſtria, cauſa nulla ſit, quin omnes accuſandam potius noſtrã temeritatem, quàm imbecillitatem ſubleuandam putent. Equidem cùm & ab ineunte ætate, tum domeſticis excitatus exemplis, tum ipſa hortante natura, honeſtarum artium ſtudia coluerim, & vbi primum per ætatem licuit, quæ mihi meo ipſe labore pepererã, alijs tradere ingreſſus, nouem prope iam annos in hac dicendi, ac docendi exercitatione conſumpſerim: ta-

men ſuperiora illa conſiderans, ita cō mouebar animo, facilè vt hoc potuerim abſtinere conſilio, niſi me huc ſumma de veſtra ſingulari humanitate cōcepta ſpes, & magna quædam approbādæ vobis, ſi minus eruditionis, at certè voluntatis meę cupiditas impuliſſet. Ac mihi quidem, & cuius rei cauſa in hunc locū aſcenderim, & ad quos verba facturus ſum, cogitanti, prorſus ita videtur: nullo in argumento meā commodius orationem poſſe verſari, quàm ſi, literarum diſciplina quantum non ornamenti ſolùm, verum etiam præſidij bene temperatis ciuitatibus afferat, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atque ex veteribus ſeculis repetita memoria exponam: minimè id quidem, quò vos tales viros, commonefaciam, excellentibus à natura ingenijs præditos, eruditos à ſtudijs liberalium doctrinarum, à diuturno aſſiduóque magnarum rerum vſu peritos: ſed quia libenter facio, vt, quarum artium percepta ſcientia vnumquemque veſtrū vehementer affici conſtat, earum animos veſtros iucunda commemoratione delectem. Quæ cùm ita ſe habeant: mihí

Proponit de qua re ſit dicturus.

mihíq; ipſa per ſe delectæ ad dicendum materiæ dignitas ſatis magnā audientiā factura videatur:tamen magis conſuetudine,quàm quòd ita neceſſarium iudicē,petam à vobis,vt mihi, res pulcherrimas breui oratione comprehendere meditanti,exigui temporis attentionem ne denegetis. Magna omnino vis,magnúmque momentum poſitū eſt in literis,viri ampliſſimi,ad conſeruandas, boníſque cumulandas omnib.ciuitates.Nam cùm fœlicitas publica,ad quam humana omnia referenda ſunt,è ſingulorum ciuium fœlicitate conſtet: ſingulorū autem fœlicitas in excolenda,exercéndaque virtute præcipuè ſita ſit:& ad perfectam virtutem cōſequendam, neceſſariàm quandam percurſionem adhibeant literæ : illud profectò conſequitur, vt, niſi in qua literarum cultura vigeat, florere abſolutè ciuitas nulla poſſit. Ponite vobis ante oculos omnes ætatis hmanæ partes : omnem publicorum temporū varietatem, omnes inſtituendæ vitæ rationes & vias animo & cogitatione percurrite : nullū omnino reperietis,quæ non ita literarum auxilio indigeat,vt,eas ſi quis ſuſtule-

Literas prodeſſe ciuitatibus.

Fœlicitas publica vnde conſtet.

ſtulerit, ſolem ipſum de mundo ſuſtuliſſe videatur. Eæ nos, vbi primùm firmius incedere, atque articulatius loqui cœpimus, de ipſo prope nutricũ acceptos ſinu, titillatione quadam honeſtiſſimæ voluptatis alliciunt, allectos præceptis ſaluberrimis complent: non tantùm bene dicendi, verùm etiam bene viuendi commonſtrant vias: excitant in animis noſtris igniculos gloriæ: quã tus ſit in virtute ſplendor, quanta in vitijs deformitas, edocent: quæ qui ſemel bene penitus imbiberint, ij nunquam non poſtea & vitij turpitudinem omni ſtudio refugient, officij honeſtatisque rationem rebus alijs omnibus anteponent. Vt autem in ſemente poſita ſpes meſſis eſt, ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ pendet. Vbi verò infirmam illam ineuntis ætatulæ teneritatẽ robur adoleſcentiæ excepit, quæ tãdem alia res aut animum præclararum rerum ſtudio accẽdere, aut efferentib. ſeſe cupiditatibus, quibus ea pars inſigniter agitari ſolet, frænos inijcere, præter litterarum tractationem, poteſt? Themiſtoclem olim, cùm ſomnum capere adoleſcens non poſſet

Omnem ætatem auxilio indigere literarum.

Educationem pueritiæ maximi eſſe momenti.

Adoleſcentia.

Themiſtocles Miltiadis tro

poſſet dicere ſolitum tradunt, ſe Miltia dis trophæo, quieſcere volentem, ex ci tari: quantò eos actius incendi, atque inflammari neceſſe eſt, qui quotidie non vnius ſed inumerabilium hominum virtute præſtantium trophæa nō è marmore conſtituta ad exigui prædicationem temporis, ſed ad omnē æternitatem commendata literis intuentur? Neque verò pertimeſcēdum eſt, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris ij, qui ætatis ſuæ florem literarum ſtudiis dedicandum eſſe ſtatuerunt. Tanta ſi quidem eſt oble ctatio paulatim acquirenda cognitio ne rerum ſeſe paſcentis animi, vt, ea qui fruuntur, ab his neque laboris tædium neque auocantium voluptatum blanditiæ ſentiantur. Itaque ſapienter poetæ, cū cæteros omnes Deos Veneris imperio ſubdidiſſent, in Minueruam modo & in ſtudiorum præſides Muſas nihil ei, nihil Cupidini iuris eſſe voluerunt. Quinetiam illud ab iiſdem memoriæ proditū eſt, Iaſonem olim, cæterōſque Argonautas, cum eam inſulam quæ ab amœnitate, flórúmque copia nomen inuenerat, prætermauigarent, pericu-lum

phæis excitatus.

Voluptatē ſummam dicendo percipi.

Vide Lucianū dialogo ἀφροδίτης καὶ ἔρωτος.

Anthemuſa

nor eſſe vocatur ab Apollonio ethodio li 4. vnde locus. hic deſumptꝰ eſt.

lúmque eſſet, ne molli, ac delicato Sirenum cantu, quæ eam inſulam incolebant, ad exitiũ perduceretur, vnum in Orpheo perfugium habuiſſe: qui cùm aſſediſſet in puppi, ſimúlque fides blandis impellere digitis, ſimul vocẽ illam, qua rupes nemoráque traxerat, explicare cœpiſſet, tanta ſimul aures animóſque audientium voluptate compleuit, vt iam Sirenũ vocibus nemo nauigantium moueretur. Hoc figmento, quid tantum aliud doctiſſimi homines, niſi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa inſula iuuentus eſt, eam qui quaſi præteruehuntur, magno in periculo ſunt, ne Sirenum, id eſt, voluptatum blanditiis decepti, & à recto itinere abducti, in vada & ſcopulos deferantur. Quondam igitur huic tanto periculo comparatum remedium eſt? quod, niſi Orphei, optimi ac ſapientiſſimi vatis lyra, cuius ſuauitatẽ qui percipiunt, & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem inſtitutum illud iter emenſi, vellus aureum, id eſt, virtutem cum immortali coniunctam gloria conſequuntur. Nimirum vt maior lux minorem, ita minoris voluptatis

ſenſum

ſenſum perceptio maioris extinguit Quantò autem voluptas ea, quæ diſcēdo ſentitur, cæteris omnib. maior, ſinceriórque ſit, vel illud indicio eſt, quòd aliarum, etiam qui eis plurimùm tribuunt ſatietatem tamen quandam eſſe ac tædium, cōfitentur: huius vt quiſque percepit plurimū, ita eam acrius, atque auidius concupiſcit. Quòd ſi cui forte dubium eſt, prodeat in medium Chriſippus, qui ſæpe ſtudio intentus tāta voluptate perfruebatur, vt eum tāquā extra ſe poſitum cibi potioniſq; caperet obliuio. Prodeat ſolertiſſimus ille cæleſtiū orbium nō perſcrutator tantū, ſed etiā imitator, Syracuſanus Archimedes qui nō modò earum rerum, quas natura ferè, præ ea, quā capiebat ſtudiis, oblectatione memor non erat: ſed in illa ipſa Siracuſanæ vrbis direptione, ita defixus erat in ſtudio, vt prius hoſtilis gladij cuſpidem corpore exceperit, quā vrbē in hoſtiū poteſtatem veniſſe ſentiret. O rē omnium ſeculorū admiratione digniſſimā. Diripiebatur vrbs ea tēpeſtate omnium opulentiſſima effuſi p vias milites, vt in quemque inciderant ſine vllo ſexus, ætatis, ordinis diſcrimine

Chryſippi ſtudium.

Archimedis ſtudiū quē imitatorem cæleſtium appellat, quia ſpherā vitreā cœli motus imitātē cōfecerat.

Videlicet num. lib. 25.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ne obuios contrucidabant:vndiq; gladiorum fulgor præſtingebat oculos, vndique armorum ſonitus,vndique cadentium tectorum fragor audiebatur: puerorum eiulatibus,mulierum lamentis morięntium gemitibus,militum clamoribus,priuata publicáque omnia circumſonabant:ipſa vrbs bene dimota & conuulſa ſedibus ſuis, ſuorum ciuium in cæde ac ſanguine natabat:cùm vnius hominis mens in media ciuitate,ciuitatis ipſius caſum ac ruinã nõ ſentiebat.Solonem verò accepimus, cùm in lectulo, morti proximus decumberet, inaudiſſétque aſsidentes amicos,de re quapiam , ſummiſsè,ne ipſi moleſtiam parerent,diſputantes, erecto, vt potuit iam ſemimortuo capite, rogaſſe eos,vt aliquãtò loquerẽtur elatius:ſibi, ſi etiã moriẽs aliquid diſcere potuiſſet,diſceſſum è vita iucundiorem fore.O diſcẽdi cupiditas:quid non efficis,vbi ſemel generoſa ingenia occupaſti!Tenebatur homo ſapientiſſimus grauiſſima vi morbi defixus in lecto:vicinitate iam mortis ab omnibus bene corporis partibus ſenſus abſceſſerat, egregius ille animus mox liber ac ſolutus futurus, è corporeis

Solonis auiditas diſcendi.

reis vinculis exſilire cupiebat: cũ quidquid ſupererat viriũ, eò contulit, vt deficiente lingua, vocibúſque interruptis ac morientibus, ſuum doctrinæ cognitoniſq; deſideriũ indicaret. Quid hunc veriſimile eſt firmum ac valentẽ feciſſe: qui ne mori quidem, niſi diſcendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Athenienſium reſp. quamdiu tam præclari viri tenuit diſciplinam. Sed, vt eo redeamus, vnde nos facta præclariſſimorum hominum mentio pauliſper abduxit: dici profectò nõ poteſt, adoleſcentes nobiliſſimi, vos enim vos mea iam compellabit oratio: dici, inquam, non poteſt, ea ſtudia, in quæ nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis & ornamento, & auxilio futura ſint, cum vos & generis veſtri nobilitas, & veſtra virtus ad reip. gubernacula admouerit. Etenim quibus artibus ciuitates præcipue cõſeruantur, pietate, iuſtitia, fortitudine, in primiſq; prudentia, earũ ſunt omniũ artium quaſi ſemina litterarum prodita monumentis. Neque vero hæc à me ita diſputantur, vt contendã, niſi literis eruditum, ciuem patriæ vtilem eſſe neminem poſſe: ſed hoc dico: niſi

Quiciues necesſario litterati eſſe debeant.

literis exculti ſint ij, qui veluti in reip. puppi ſedentes, clauum tenent, multis eos muneris ſui, iiſque præcipuis partibus neceſſariò defuturos. Nam, cũ duo publicorũ temporum genera ſint, vnũ pacis, alterum belli, quorũ alterũ ſemper optabile eſt, alterũ nunquam optabile, nõnunquam neceſſarium, quomodo, vt hãc partem priore loco attingamus, in pace, ciuibus iura deſcribere, quãtum cuique tribuendum ſit, intelligere, ciuium inter ſe diſſidia cõponere, verba publicè facere, legationes cum laude gerere, præterita tenere, futura proſpicere, quid in omnib. reb. factu optimum ſit, videre, & ex alijs alia colligere poterit, niſi qui hæc ſibi de literarum fontib. haurienda omnia exiſtimauerit? Niſi verò eorum recipienda ſententia eſt, qui fieri putãt poſſe, vt qui reip. præeſt, quãuis literarũ ſit expers, tamen ad eas res quas modò enumerauimus, aliena opera nõ incõmodè vtatur. An verò T. Manlium Torquatũ memoriæ proditũ eſt, cùm cõſul declaratus fuiſſet, excuſaſſe valetudinem oculorum, & ſummum Imperium detrectaſſe, quòd indignũ duceret, ei capita ac fortunas cæte

Literas in pace neceſſarias principib. viris eſſe.

Torquatus cæcitatis ſibi conſcius conſulatũ recuſauit. Liuius li. 26.

cæterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur, qui alieno ingenio, alienáq; lingua ad omnia vti neceſſe habebunt, ij ſatis ad gubernandos cęteros idonei videbuntur? At oculorũ quidem lumine carẽtes nihil prohibet acie ingenij etiam futura cernere, optiméque conſulere, quales in fabulis Tireſiam, in hiſtoriis Appiũ legimus, cuius verò doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere, quid ſuſcipere, quid cogitare præclarum poteſt? Sed ſunt quidam homines, qui cum literarum tractationem tranquillis pacatíſque temporibus & honeſtam in primis & vtilem eſſe fateantur, iidem tamen, cum occupata bello aliquo ciuitas eſt, latere eas, quaſi perterritas metu, & inter tubarum, lituorúmque clangorem, nullum ſui amplius præbere vſum arbitrantur, Quorum nobis hac in parte coarguendus error eſt, & quantũ vel in medio bellorum tumultu literæ valeant, aperiendum. Etenim ſi corporis tantùm, non etiã animi viribus bella gererentur, tũ iſti fortaſſe aliquid dicerent: nunc quis eſt, qui cùm mihi & maximum eſſe in bellis conſilio, ac pru-

Quantũ in bello literæ valeant.

dentiæ locum, & eas virtutes bona ex parte literarum ſtudio comparari certe quidem inſigniter augeri, confirmarique conceſſerit, idem tamen earum ſcientiam in bello inutilẽ eſſe contendat? An ignoramus celebre illud regum regis Agamẽnonis votum, qui vt Troia facilius potiretur, non Achillis, aut Aiacis, ſed Neſtoris decem ſimiles optabat ſibi? Neq; temporis nobis adviuendum à natura præſcripti ea lõgitudo eſt, neque ita fert humanarũ rerum ratio, vt multis admodum bellis ĩterfuiſſe vnus idémque poſſit, itaque qui vnum alterámue ſpectarunt, multùm ſibi militaris prudentiæ collegiſſe exiſtimantur. quid eos iudicabimus, qui hoc ſibi diuturna librorum euolutione pepererũt, vt omnibus, quotquot poſt hominum memoriam geſta ſunt, bellis interfuiſſe videantur? Quod ſi quis ita bella aliquot ſpectare poſſet, vt vtriuſque partis conſilia teneret, rerum adminiſtrandarum viam, rationémque cognoſceret, euentus animo cerneret, quid nõ ei poſtea in rebus bellicis omnium conſenſu tribueretur? at hæc omnia, qui verſãtur in litteris, aliáque plurima ac pul-

Vide homerũ Iliad. ſi. & Ciceronẽ in Catone maiore.

chre

cherrima otioſi ac ſedentes conſequuntur. Taceo, quam multa expreſſa ſint eruditiſſimorum hominum ſcriptis de virtute, de gloria, de charitate patrię, de animorum æternitate, de præmiis, quę poſt mortem manent eos, qui ſe pro patria animosè ac fortiter geſſerint, quæ tātam vim habent, vt neq; qui ea ignorent, veræ laudis habere guſtum, neq; qui tractant, veræ ac ſolidæ gloriæ vllā omnino rem anteferre poſſint. Quid illud, an nō quantiuis eſt, quod ſæpe labātes iam ac deficientes exercitus eloquētium hominum voce legimus fuiſſe reuocatos? Citetur teſtis Lacedæmoniorū ciuitas, cuius exercitus Tyrtæi poëtæ verſibus inflammatus, pulcherrimam illam de Meſſeniis victoriā reportauit. *Tyrtæus poeta.* Dies me deficiet, ſi aut eruditos homines, qui bellicis laudibus præſtiterunt, aut fortiſſimos Imperatores, qui eruditionis & doctrinæ gloria excelluerunt, enumerare inſtituam. Nam & Architā Tarentinum ſexies exercitum duxiſſe comperimus, & Meliſſum naualibus aliquot victoriis inſignem fuiſſe, & ter ſtipendia feciſſe Socratem, & Platonem & Xenophontem egregiam in bello *Philoſophi qui bello claruerunt.*

ciuib.ſuis operam præſtitiſſe. Quid illa propugnacula Græciæ, Periclē, Themiſtoclem, Epaminondā loquar? Quid illa Romanis Imperij columnas, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosq́; innumerabiles proferam? quos omnes cùm bellicis laudib. claros, tum præſtantes doctrinæ ſtudijs fuiſſe, hiſtoriæ loquuntur. Nam Iulium Cæſarem, quis neſcit, vtra laude præſtaret, ambiguum poſteris reliquiſſe? Brutus autē, quātò literarum ardore flagrauerit, vel ex eo colligi poteſt, quòd ea ipſa nocte, quæ mortem ipſius anteceſſit, Platonis dialogū de animorū immortalitate legiſſe aliquoties dicitur. Atque hoc præclarè olim intellexiſſe videntur Mitylenæi, præcipuam eſſe in rep. vim literarum, qui quos populos bello deuicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, niſi vt ne liberos ſuos literas edocerent. ſciebant videlicet eas tantùm ciuitates florere poſſe, in quibus literarum ſtudia colerentur. Cuius rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An verò, ciues, quòd viget hodie veſtra reſp. quòd floret, quòd beata eſt, quòd cum cæteræ orbis vniuerſi partes grauiſſi

Duces Romani bello clari & literis.

Aelianus varia hiſtor. li. 7. c. 15.

uiſſimis bellorum tempeſtatib. agitentur, vna hæc (quod ei deus opt. maxi. proprium ac perpetuum faxit) in pace atque in otio conquieſcit, aliunde id fieri creditis, quàm quòd ei & præſunt homines cùm cæteris omnibus, tũ hac eruditionis & ſapiẽtiæ laude clariſſimi, & ſemper eorum ſimilimi præfuerunt? O diuine Plato, tua ſunt omnia & dicta & cogitata præclarè. Tu dicere ſolebas, tunc demum reſp. beatas fore, cùm eas aut philoſophi cœpiſſent regere, aut qui regerent, philoſophari. Tuum hoc ſapientiſſimum oraculum perpetua iã mille amplius annorum fœlicitate Venetorum reſp. comprobauit. Equidem quò longius in altum inuehor, patres ampliſſimi, eò mihi amplior & patentior orationis quaſi curſus oſtenditur. ſed & temporis me ratio, & veſtra ſingularis ſapientia, vt vela contraham, portumque tandem aliquãdo reſpiciã, monet. Neque enim credibile eſt, poſſe aut me, aut quenquam de literarum præſtantia, fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiſcũ melius, aut copioſius, quàm vnunquemque veſtrum ſecum loqui, & mihi non tam

Cur venetijs reſp. tandiu ſteterit.

orationis conquirenda copia eſt, quàm veſtra ſatietas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, ſi vos prius etiã atque etiam rogauero, vt ſi forte minus à me ornatè ac copioſè dictum eſt, quàm & huius loci amplitudo, & ſumma audientium dignitas poſtulabat, meum tamen idcirco placendi vobis ſtudium ne improbetis. Ego quidem ſi nõ indignus à vobis, qui ſæpius audiar, iudicer, erit, quod mihi magnopere gratuler: ſin forte: ſed reprimam me, neque committã, vt meis ipſe votis videar male ominari, qui tamen à tot, tam præclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non huius modo laboris, ſed totius ante actæ vitæ fructum hodierno die veſtro ſingulari beneficio videor conſecutus.

DIXI.

ORATIO SECVNDA HABITA VENETIIS POSTRIDIE NON. OCTOB. ANNO M.D.LV.

Præpoſtera quorũ dam deli-

PERMVLTOS eſſe intelligo, qui de his litteris, quæ humaniores vocan

cantur,eam animo imbibere ſententiã vt earum tractationem leue quiddã eſſe,ac nugatoriũ exiſtiment: neque aut magnos admodum labores ab iis ſuſcipi,qui eas iuuentuti tradant,aut eorum magnopere fructuoſam eſſe reip.induſtriam:in eis denique non exquiſitam vllam,ac reconditam, ſed circumforaneam quandam,hauſtámque de triuiis ac circulis requiri doctrinam putent, à quibus ego quoniã ita diſſentio, vt ex omnibus,qui ſe aliquid docere profitẽtur,horum vel grauiſſimum munus eſſe contendam,neque vllos eſſe,qui aut laborum plus perferant,aut maiores in rep.pariant fructus,doctrinæ denique à nullo hominum genere maiorem aut copiam requiri,aut veritatem arbitrer: conſtitui hodierno die,patres ampliſſimi,voſque cæteri viri ornatiſſimi, eam mihi ad dicendum materiã ſumere, & nobiliſſimam ſtudiorum partem, quantum id quidem in me poſitũ erit,à cõtemptu,atque ab intolerabili ineruditorum hominum inſolentia vindicare, & vero quid aut huic tempori,aut oio meo muneri facere conuenientius poſſum , quàm vt , quæ mihi ſtudia cele-

teris humanioribus opinio.

Literarũ humaniorũ profeſſio omnium difficillima.

britatis aliquid cum alijs in locis,tum hac ipſa in ciuitate pepererunt,à quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcumque profluxi hominum famam, ijs quoque viciſſim oratione mea ſplendoris ac claritatis afferre aliquid coner: præſertim cum qui hoc literarum genus aſpernantur,facere nullo modo poſſint,quin de veſtra patres ampliſſimi,ſingulari,ſpectataque in omnibus rebus,ac penè diuina ſapientia non nihil eadem ſuperbia detrahant. Etenim ſi hæc tota res tam leuis eſt, quàm iſti eam videri volunt, quæ vos tandem cauſſa commouit,vt proximo ſuperiore anno, propoſitis publicè libellis,ſtudioſorum hominum animos ad nobilem illam ingenij doctrinæque contentionẽ excitaretis, vtque iis, qui vobis in eo certamine probati eſſent, honeſtiſſimum poſtea præmiũ ex ærario decerneretis? quæ certè vna res ad coercendam iſtorum temeritatem ſatis ponderis habere debebat,vt ſi hebetiores eos natura,ſtolidioresque finxiſſet, quàm vt peruidere harum rerum præſtantiam poſſent, quod tamen veſtro talium virorum iudicio probatũ foret
ma

magnum eſſe aliquid,ac præclarũ ſuſpicarentur.Sed quoniam cum ijs, qui auctoritate non mouentur,rationib.agendum eſt: adeſte animis, mihiq́ue breuiter oſtendenti,quàm varia, quàmq́ue multiplex eruditio requiratur in ijs qui litteras humaniores docent:eademque opera,quantos ex eorũ natiuitate atque induſtria reſp. percipiat fructus, non aures modò, ſed mentes quoque attẽtas,quæſo,pauliſper adhibete.Atq; adeo, vt hæc tota controuerſia melius dijudicetur, operæ pretium eſt, initio, quęnam ſit iſtorũ contemptuũ humanitatis ratio, cognoſcere. qui quoniam eos,qui haſce literas tractant,ad nullũ fere maioris momenti negotiũ adhiberi vident,nõ ad iudicandas lites,nõ ad agendas cauſſas, non ad dicendum de rebus grauioribus ſententiam facilè in eam opinionem prolabuntur,vt ab eis, præter poeticas quaſdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compoſitas,& aliquot leuia comãdæ,ac poliendæ orationis præcepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotij eſt,inquiunt, in puerorũ conſeſſu de eiuſmodi figmentis cõmemorare,ac

Quid moueat imperitos ad literas humaniores damnandas.

re,ac modo de Thebano,modo de Troianuo bello,modo de Vlixis,aut Aeneæ erroribus, molli, & ad inanem oblectationem cõpoſito ſermonis genere diſſerere, identidemq́; veluti quibuſdam arculis accommodata colorandæ orationi pigmenta depromere? Ecquæ autem magna eruditio eſt, ſcire,quot nauibus Græci ad oppugnandum Ilium acceſſerint, quot filios habuerit Priamus,Helenam rapuerit Alexander, vt Homerus,an Helenæ ſimulacrum, vt Euripides prodidit? quod emolumentum ex iſtorum omnium ſcientia,quod detrimentum ex ignoratione percipi poteſt? Nã cæterarum quidẽ artium profeſſores quãtum vtilitatis afferat, perfacile eſt ad intelligendum. ſiue enim dialecticos ſpectes,ab ijs certa quædã veri falſique in rebus omnib. cognoſcendi ratio traditur,ij ſe,quid cuique conſentaneum ſit,quid repugnãs,quid ex quoque efficiatur, quæ ſit diuidendi quæ finiendi,quæ argumentandi ratio, & tenere, & alios docere præ ſe ferunt. quid phyſici? qui rerum principia,cauſſaſque tractant,qui, quomodo quidq; gignatur,quoque modo intereat, diſſerunt,

Intelligit locos oratorios.

Paris prius Alexander dicebatur.

Dialecticæ vtilitas.

Phyſicæ vtilitas

ſerunt,qui nimborum,fulminum,tempeſtatúmque cauſſas,qui corporum cœleſtiũ magnitudines,interualla,curſus, progreſſiones, inſtitiones, qui animi naturã, qui rationẽ ſenſuum, qui animantium omnium ortus,victus, figuras,qui ſtirpium,qui omnium ferme rerum,quæ giguũtur è terra,naturas ita perſequũtur,nulla vt pars ab eis cælo mari,terra, vt poetæ loquũtur, prætermiſſa ſit,hæc cum tractãt, mediocritér ne reip.proſunt?Nam ſi ad eos te conuertas, qui eã ſuſceperunt philoſophię partem,in qua de rebus expetendis fugiẽdíſque diſſeritur:ij vero ſunt,quorum induſtriæ nulla vnquam poterunt præmia ſatis ampla reperiri. quibus enim,quámq; præclaris in eorum diſputationes conſumi videmus?qui hoc primum docent,quid ſit finis quid extremum,quid vltimum bonorum omniũ, quod vnum intueri,quo omnes actiones,omnes cogitationes,omnia conſilia referri oporteat,quot ſint virtutum quótque vitiorum genera, quibúſque modis illas aſſequi,ab his declinare poſſimus:quomodo exultanti, iactantíque ſe, & detrectanti rationis imperium,

Inſtitiones aſtrorũ vocat Cicero quod aſtrologi ſtationes appellant. Philoſophi morales.

literis exculti ſint ij, qui veluti in reip. puppi ſedentes, clauum tenent, multis eos muneris ſui, ijſque præcipuis partibus neceſſariò defuturos. Nam, cũ duo publicorũ temporum genera ſint, vnũ pacis, alterum belli, quorũ alterũ ſemper optabile eſt, alterũ nunquam optabile, nõnunquam neceſſarium, quomodo, vt hãc partem priore loco attingamus, in pace, ciuibus iura deſcribere, quãtum cuique tribuendum ſit, intelligere, ciuium inter ſe diſſidia cõponere, verba publicè facere, legationes cum laude gerere, præterita tenere, futura proſpicere, quid in omnib. reb. factu optimum ſit, videre, & ex alijs alia colligere poterit, niſi qui hæc ſibi de literarum fontib. haurienda omnia exiſtimauerit? Niſi verò eorum recipienda ſententia eſt, qui fieri putãt poſſe, vt qui reip. præeſt, quãuis literarũ ſit expers, tamen ad eas res quas modò enumerauimus, aliena opera nõ incõmodè vtatur. An verò. T. Manlium Torquatũ memoriæ proditũ eſt, cùm cõſul declaratus fuiſſet, excuſaſſe valetudinem oculorum, & ſummum Imperium detrectaſſe, quòd indignũ duceret, ei capita ac fortunas

Literas in pace neceſſarias principib. viris eſſe.

Torquatus cæcitatis ſibi conſcius conſulatũ recuſauit. Liuius li. 26.

cæte

cæterorum committi,qui alienis oculis omnia gerere cogeretur,qui alieno ingenio,alienâq; lingua ad omnia vti neceſſe habebunt,ij ſatis ad gubernandos cęteros idonei videbuntur? At oculorũ quidem lumine carẽtes nihil prohibet acie ingenij etiam futura cernere,optiméque conſulere,quales in fabulis Tireſiam,in hiſtoriis Appiũ legimus, cuius verò doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere,quid ſuſcipere, quid cogitare præclarum poteſt? Sed ſunt quidam homines, qui cum literarum tractationem tranquillis pacatíſque temporibus & honeſtam in primis & vtilem eſſe fateantur, iidem tamen,cum occupata bello aliquo ciuitas eſt,latere eas, quaſi perterritas metu,& inter tubarum,lituorúmque clangorem,nullum ſui amplius præbere vſum arbitrantur, Quorum nobis hac in parte coarguendus error eſt,& quantũ vel in medio bellorum tumultu literæ valeant,aperiendum.Etenim ſi corporis tantùm,non etiã animi viribus bella gererentur,tũ iſti fortaſſe aliquid dicerent:nunc quis eſt, qui cùm mihi & maximum eſſe in bellis conſilio,ac pru

Quantũ in bello literæ valeant.

dentiæ locum, & eas virtutes bona ex parte literarum ſtudio comparari certe quidem inſigniter augeri, confirmaríque conceſſerit, idem tamen earum ſcientiam in bello inutilẽ eſſe contendat? An ignoramus celebre illud regum regis Agamẽnonis votum, qui vt Troia facilius potiretur, non Achillis, aut Aiacis, ſed Neſtoris decem ſimiles optabat ſibi? Neq; temporis nobis adviuendum à natura præſcripti ea lõgitudo eſt, neque ita fert humanarũ rerum ratio, vt multis admodum bellis ĩterfuiſſe vnus idémque poſſit, itaque qui vnum alterámue ſpectarunt, multùm ſibi militaris prudentiæ collegiſſe exiſtimantur. quid eos iudicabimus, qui hoc ſibi diuturna librorum euolutione pepererũt, vt omnibus, quotquot poſt hominum memoriam geſta ſunt, bellis interfuiſſe videantur? Quod ſi quis ita bella aliquot ſpectare poſſet, vt vtriuſquepartis conſilia teneret, rerum adminiſtrandarum viam, rationémque cognoſceret, euentus animo cerneret, quid nõ ei poſtea in rebus bellicis omnium conſenſu tribueretur? at hæc omnia, qui versãtur in litteris, aliáque plurima ac pulchre

Vide homerũ Iliad. ſi. & Ciceronẽ in Catone maiere.

cherrima otioſi ac ſedentes conſequun tur. Taceo, quam multa expreſſa ſint eruditiſſimorum hominum ſcriptis de virtute, de gloria, de charitate patrię, de animorum æternitate, de præmiis, quę poſt mortem manent eos, qui ſe pro patria animosè ac fortiter geſſerint, quæ tãtam vim habent, vt neq; qui ea ignorent, veræ laudis habere guſtum, neq; qui tractant, veræ ac ſolidæ gloriæ vllã omnino rem anteferre poſſint. Quid illud, an nõ quantiuis eſt, quod ſæpe labãtes iam ac deficientes exercitus eloquẽtium hominum voce legimus fuiſſe reuocatos? Citetur teſtis Lacedæmoniorũ ciuitas, cuius exercitus Tyrtæi poëtæ verſibus inflamatus, pulcherrimam illam de Meſſeniis victoriã reportauit. Dies me deficiet, ſi aut eruditos homines, qui bellicis laudibus præſtiterunt, aut fortiſſimos Imperatores, qui eruditionis & doctrinæ gloria excelluerunt, enumerare inſtituam. Nam & Architã Tarentinum ſexies exercitum duxiſſe comperimus, & Meliſſum naualibus aliquot victoriis inſignem fuiſſe, & ter ſtipendia feciſſe Socratem, & Platonem & Xenophontem egregiam in bello

Tyrtæus poeta.

Philoſophi qui bello claruerunt.

ciuib.ſuis operam præſtitiſſe. Quid illa propugnacula Græciæ, Periclē, Themiſtoclem, Epaminondā loquar? Quid illa Romanis Imperij columnas, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosq́; innumerabiles proferam? quos omnes cùm bellicis laudib. claros, tum præſtantes doctrinæ ſtudijs fuiſſe, hiſtoriæ loquuntur. Nam Iulium Cæſarem, quis neſcit, vtra laude præſtaret, ambiguum poſteris reliquiſſe? Brutus autē, quāto literarum ardore flagrauerit, vel ex eo colligi poteſt, quòd ea ipſa nocte, quæ mortem ipſius anteceſſit, Platonis dialogū de animorū immortalitate legiſſe aliquoties dicitur. Atque hoc præclarè olim intellexiſſe videntur Mitylenæi, præcipuam eſſe in rep. vim literarum, qui quos populos bello deuicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, niſi vt ne liberos ſuos literas edocerent. ſciebant videlicet eas tantùm ciuitates florere poſſe, in quibus literarum ſtudia colerentur. Cuius rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An verò, ciues, quòd viget hodie veſtra reſp. quòd floret, quòd beata eſt, quòd cum cæteræ orbis vniuerſi partes grauiſſi

Duces Romani bello clari & literis.

Ælianus varia hiſtor. li. 7. c. 15.

uiſſimis bellorum tempeſtatib. agitentur, vna hæc (quod ei deus opt. maxi. proprium ac perpetuum faxit) in pace atque in otio conquieſcit, aliunde id fieri creditis, quàm quòd ei & præſunt homines cùm cæteris omnibus, tū hac eruditionis & ſapiētiæ laude clariſſimi, & ſemper eorum ſimilimi præfuerunt? O diuine Plato, tua ſunt omnia & dicta & cogitata præclarè. Tu dicere ſolebas, tunc demum reſp. beatas fore, cùm eas aut philoſophi cœpiſſent regere, aut qui regerent, philoſophari. Tuum hoc ſapientiſſimum oraculum perpetua iā mille amplius annorum fœlicitate Venetorum reſp. comprobauit. Equidem quò longius in altum inuehor, patres ampliſſimi, eò mihi amplior & patentior orationis quaſi curſus oſtenditur. ſed & temporis me ratio, & veſtra ſingularis ſapientia, vt vela contraham, portumq́ue tandem aliquādo reſpiciā, monet. Neque enim credibile eſt, poſſe aut me, aut quenquam de literarum præſtantia, fructibusq́ue, qui ex eàrum tractatione capiuntur, vobiſcū melius, aut copioſius, quàm vnunquemque veſtrum ſecum loqui, & mihi non tam

Cur venetijs reſp. tandiu ſteterit.

orationis conquirenda copia eſt,quàm veſtra ſatietas refugienda.Itaque finem dicendi faciam, ſi vos prius etiã atque etiam rogauero,vt ſi forte minus à me ornatè ac copioſè dictum eſt,quàm & huius loci amplitudo,& ſumma audientium dignitas poſtulabat,meumtamen idcirco placendi vobis ſtudium ne improbetis.Ego quidem ſi nõ indignus à vobis,qui ſæpius audiar,iudicer, erit, quod mihi magnopere gratuler:ſin forte:ſed reprimam me , neque committã,vt meis ipſe votis videar male ominari,qui tamen à tot,tam præclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non huius modo laboris,ſed totius ante actæ vitæ fructum hodierno die veſtro ſingulari beneficio videor conſecutus.

DIXI.

ORATIO SECVNDA HABITA VENETIIS POSTRIDIE NON. OCTOB. ANNO. M.D.LV.

Præpoſtera quorũdam deli-

PERMVLTOS eſſe intelligo,qui de his litteris,quæ humaniores vo

can

cantur,eam animo imbibere ſententiã vt earum tractationem leue quiddã eſſe,ac nugatoriũ exiſtiment: neque aut magnos admodum labores ab iis ſuſcipi,qui eas iuuentuti tradant,aut eorum magnopere fructuoſam eſſe reip.induſtriam:in eis denique non exquiſitam vllam,ac reconditam, ſed circumforaneam quandam,hauſtámque de triuiis ac circulis requiri doctrinam putent, à quibus ego quoniã ita diſſentio, vt ex omnibus,qui ſe aliquid docere profitẽtur,horum vel grauiſſimum munus eſſe contendam,neque vllos eſſe,qui aut laborum plus perferant,aut maiores in rep.pariant fructus,doctrinæ denique à nullo hominum genere maiorem aut copiam requiri,aut veritatem arbitrer: conſtitui hodierno die,patres ampliſſimi,voſque cæteri viri ornatiſſimi, eam mihi ad dicendum materiã ſumere, & nobiliſſimam ſtudiorum partem, quan um id quidem in me poſitũ erit,à cõemptu,atque ab intolerabili ineruditorum hominum inſolentia vindicare, vero quid aut huic tempori,aut oio eo muneri facere conuenientius poſm , quàm vt , quæ mihi ſtudia cele-

teris hu-man iori-bus opi-nio.

Literarũ huma niorũ pro feſſio om-nium diſ-ficillima.

britatis aliquid cum alijs in locis,tum hac ipſa in ciuitate pepererunt,à quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcumque profluxi hominum famam, ijs quoque viciſſim oratione mea ſplendoris ac claritatis afferre aliquid coner: præſertim cum qui hoc literarum genus aſpernantur,facere nullo modo poſſint,quin de veſtra patres ampliſſimi,ſingulari,ſpectataque in omnibus rebus,ac penè diuina ſapientia non nihil eadem ſuperbia detrahant. Etenim ſi hæc tota res tam leuis eſt, quàm iſti eam videri volunt, quæ vos tandem cauſſa commouit,vt proximo ſuperiore anno, propoſitis publicè libellis,ſtudioſorum hominum animos ad nobilem illam ingenij doctrinæque contentionẽ excitaretis, vtque iis, qui vobis in eo certamine probati eſſent, honeſtiſſimum poſtea præmiũ ex ærario decerneretis? quæ certè vna res ad coercendam iſtorum temeritatem ſatis ponderis habere debebat,vt ſi hebetiores eos natura,ſtolidioresque finxiſſet, quàm vt peruidere harum rerum præſtantiam poſſent, quod tamen veſtro talium virorum iudicio probatũ foret

ma

magnum eſſe aliquid,ac præclarũ ſuſpicarentur. Sed quoniam cum ijs, qui auctoritate non mouentur,rationib.agendum eſt: adeſte animis, mihiq́ue breuiter oſtendenti,quàm varia, quàmq́ue multiplex eruditio requiratur in ijs qui litteras humaniores docent:eademque opera,quantos ex eorũ natiuitate atque induſtria reſp. percipiat fructus, non aures modò, ſed mentes quoque attẽtas,quæſo,pauliſper adhibete. Atq; adeo, vt hæc tota controuerſia melius dijudicetur, operæ pretium eſt, initio, quęnam ſit iſtorũ contemptuũ humanitatis ratio, cognoſcere. qui quoniam eos,qui haſce literas tractant,ad nullũ fere maioris momenti negotiũ adhiberi vident,nõ ad iudicandas lites,nõ ad agendas cauſſas, non ad dicendum de rebus grauioribus ſententiam facilè in eam opinionem prolabuntur,vt ab eis, præter poeticas quaſdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compoſitas,& aliquot leuia comãdæ,ac poliendæ orationis præcepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotij eſt,inquiunt, in puerorũ conſeſſu de eiuſmodi figmentis cõmemorare,ac

Quid moueat impe ritos ad literas humaniores damnandas.

ſerunt,qui nimborum,fulminum,tempeſtatúmque cauſſas,qui corporum cę leſtiũ magnitudines,interualla,curſus, progreſſiones, inſtitiones, qui animi naturã, qui rationẽ ſenſuum, qui animantium omnium ortus,victus, figuras,qui ſtirpium,qui omnium ferme rerum,quæ giguũtur è terra,naturas ita perſequũtur,nulla vt pars ab eis cælo mari,terra, vt poetæ loquũtur, prætermiſſa ſit,hæc cum tractãt, mediocritér ne reip.proſunt?Nam ſi ad eos te conuertas, qui eã ſuſceperunt philoſophię partem,in qua de rebus expetendis fugiẽdíſque diſſeritur:ij vero ſunt,quorum induſtriæ nulla vnquam poterunt præmia ſatis ampla reperiri. quibus enim,quámq; præclaris in eorum diſputationes conſumi videmus?qui hocprimum docent,quid ſit finis quid extremum,quid vltimum bonorum omniũ, quod vnum intueri,quo omnes actiones,omnes cogitationes,omnia conſilia referri oporteat,quot ſint virtutum quótque vitiorum genera, quibúſque modis illas aſſequi,ab his declinarepoſſimus:quomodo exultanti, iactantíque ſe, & detrectanti rationis imperium,

Inſtitiones aſtrorũ vocat Cicero quodaſtrologi ſtatio nes appellant. Philoſophi morales.

rium, frenos iniicere oporteat cupiditati, tum quo modo quiſque ſe in re familiari gubernanda gerere debeat. poſtremo, quò nihil pulchrius, nihil præclarius, nihil denique diuinius ne votis quidem conceptis optari poteſt, quibus moribus, inſtitutis, legibus temperandæ ſint ciuitates, quibus illæ modis fundari atque inſtitui, quibus augeri, atque amplificari, quibus denique copioſiſſimæ, locupletiſſimæ, vno verbo, beatiſſimæ effici poſſint, ô res præclaras, & ardentiſſimo ſtudio, ſummóque corporis atque animi contentione

Ex Tuſc. 5. philoſophia laus. digniſſimas, ô vitæ philoſophia gubernatrix, ô virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix. tuum eſt falſarum opinionum temeritatem diripere, tuum eſt omnem inanitatem & errorem amputare, ac circuncidere, tuũ eſt vitiorum fibras euellere, ſtirpes elidere, ſemina extinguere, meritò diuinus Plato nihil ea re præſtãtius hominũ generi à diis immortalib. dari potuiſſe dicebat. eãt nũc iſti verborũ magiſtri, fabularum interpretes, nugarum architecti, perfricent frontem, ſi quam habent, & ſe ylla ex parte cum philoſo

phiæ

phię doctoribus conferendos eſſe prędicēt:qui ſi aliquod fortè paulò abſtruſius loquendi genus,aut aliquam voculam non ita peruulgatam,aut quāpiam paulò reconditiorem fabulam reperire potuerūt,dignos ſe inaurata ſtatua putant. nonnunquam etiam de eiuſmodi tricis ita inter ſe digladiātur, vt pro aris & focis certamen ſuſcepiſſe videantur. hæc fere eſt,patres ampliſſimi,eorum,qui ſtudia laboresque noſtros deprimere conātur,oratio:qui quòd philoſophiam laudant,libentibus : id nobis,atque approbantibus faciunt:nunquam enim cuiquam concedemus , vt eam plus amet , pluris vt faciat : quòd autem nullum cenſent ſtudijs atq; artibus noſtris cum ea eſſe cōmercium, in eo quātopere fallantur , facilè ex ijs quæ dicturus ſum,intelligetur. Nā primum omnium,ſi hoc ipſis concederemus,nihil aliud à nobis,quàm poeticas fabulas,&exornandæ orationis præcepta tradi,non ex eo tamen efficeretur, quod iſti volunt.inanem quandam , & ludicram noſtram omnem eſſe doctrinā,neque aliò , quàm ad puerorū animos vana quadā oblectatione demulcen

Poetarũ fabulas nõ eſſe cõtẽnendas.

cendos,referri.Etenim poetarum fabulæ,quas iſti tantopere exagitant,& inſectantur,non leuia quædam, & frugis expertia otioſorum hominum commenta ſunt:immo verò ſub eis,velut inuolucris,atque integumentis, omnis doctrina elegãs , omnis ingenuo homine digna cognitio,omnis denique ſapientia cõtinetur. Eratoſthenem quendam fuiſſe aiunt,qui poeticen ita cõtemneret,vt Homerum ineptæ loquacitatis magiſtrum nominaret. at certe Plato, at Ariſtoteles,quorum non paulò maior eſt,quã neſcio cuius Eratoſthenis, auctoritas,ita ſæpe repetitis ex eo teſtimonijs vtuntur ad confirmãda ea,quæ tradunt, vt eum nõ tantum ſtudioſiſſime legiſſe, ſed vix vnquam de manibus depoſuiſſe videantur. Itaque mirari ſoleo,cum quidã,qui ſe philoſophos videri cupiunt,& quidẽ eiuſmodi philoſophos,vt,tanquam Atlante cælum, ita philoſophiam ſupercilio ſuo niti putent , ita deſpicatui ducunt poetas , vt eorum ſcripta aſpicere ſe dignari negẽt.qui quidem cuiuſmodi philoſophi ſint,ipſi viderint :cum eos contemnãt, quod philoſophorum coryphæus Plato modo

Eratoſthenes homero maſtix

Elogia poetis à Platone tributa.

modo ſapientiæ patres ac duces, modo deorū interpretes, modo deorū filios vocat. Ariſtoteles autē, cuius iſti ſe germanos eſſe interpretes gloriantur, non tantum, vt ante dixi, in omnibus ſcriptis ſuis identidem poëtarum teſtimoniis vtitur, verū etiā libro primo de ſapientia, philoſophum omnem, fabularum amatorē eſſe confirmat. quod igitur Ariſtoteles eſſe ſe aiunt, forte verius ſine dubio quidem veriſimilius dicerent, ſi ſe ab Epicuro eſſe affirmarent hunc eñ ex omni memoria vnū fuiſſe philoſophū accepimus, qui cum omnem elegantiam doctrinæ, tum poëtarum præcipuè ſcripta cōtēneret. quod quidem ſe, negligendis poëtis, ex Ariſtotelis diſciplina ac familia cenſeri volunt: in eo, meo quidem iudicio, faciunt, & imprudenter, & imperitè. At enim id mihi hoc tempore propoſitum non eſt, vt de poëtarum laude dicam, quod ſi eſſet, facilè oſtenderem, omnia præcepta vitæ, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quam à philoſophis ipſis, doceri: non igitur, cū poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos duci-

Ariſtotelis pro poëtis teſtimonium.

mus, ſed ſementem quandam virtutis atque doctrinæ facimus, nõ in leuibus, minimóque frugiferis rebus operam ſumimus, ſed præcepta ſapientiæ, quò facilius in animos influant, inſatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. quid, cum ornatè ac copiosè loquendi præcepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quæ ſemper principem locum in omni bene inſtituta ciuitate tenuerunt? an neſcimus eloquentiam à grauiſſimis auctoribus rerum omniũ reginã vocari? hæc enim eſt illa virtus, quæ quamlibet in partem arbitratu ſuo flectit audientium animos, eóſq; pulchritudinis ſuæ ſplendore obſtupefactos, quibuſdam velut habenis numeroſæ orationis regit, hęc illa eſt, quæ conſolatur mœrẽtes, afflictos excitat, iacentes erigit, quæ ſceleratis exitio eſt, innocentibus præſidio, improbis terrori, probis ornamento. hac Cicero fretus, Catilinæ furores, & nefariè in patriam inita conſilia diſſipauit, hac togatus ſuperauit armatos, vt vel inimicorum confeſſione omnibus triumphis maiorem adeptus lauream diceretur, hac inſtructi qui ſunt, maius

Eloquentia præclara laus.

omni

omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. ſi quidem tyranni poſſūt illi quidē corpora conſtringere, animis nullam adhibere vim poſſunt, hi verò dominantur in animis, quæque ipſis honeſta atque vtilia videntur, ea non facere modò alios, ſed etiam velle cogunt, illi inuitis imperant, hi volentibus, illi & oderunt omnes, & odioſi ſunt omnibus, hos in omne hominum genus beneficos, perpetua omnium beneuolentia comitatur. neque verò non qui eloquentiam contemnere ſe ſimulant, illius præſtantiam intelligunt, ſed quod aſſequi non queunt, inuidiosè vituperare malunt, quàm ingenuè de imbecillitate ſuarum virium confiteri. Orationis igitur meæ ſumma eò redit denique, etiā ſi nihil aliud à nobis requireretur, quàm vt explicaremus poetarū fabulas, & iuuētuti quaſi vias, quibus ad dicēdi facultatē peruenire poſſet indicaremus, tamē neq; mediocriter reip. prodeſſe nos, neque paruis in rebus contemnendiſque verſari. Nunc tantùm abeſt, vt ea ſolùm requirantur à nobis, vt nulla ſit ars digna hominis liberaliter educati ſtudio, cuius nō ali-

Omni doctrina tinctos eſſe oportere humanioris literaturæ profeſſores.

qua cognitione oporteat tinctum eſſe eum, qui munus hoc cum laude ſuſtinere meditetur. itaque hoc inter nos & alios intereſt, quod alij eos tractant ſcriptores, quorũ vno aliquo de genere tota diſputatio eſt. non enim ferè in libris dialecticorum, phyſicorúmve aut in ijs quibus medicinæ iuríſue ciuilis ſcientia continetur, quicquam reperias cuius intelligentiam non ex illis ipſis, de quibus inſcripti ſunt, artib. repetere poſſis: at nobis ij quotidie ſunt explicandi libri, qui cũ ſcripti ſint à viris omni ſcientia excultis. ipſi quoque innumerabiles locos ex omni diſciplinarum genere depromptos habent. itaque cæteri etiam ſi eam vnã artem teneant, quam docent, aliarum omnium ſint omnino rudes: tamen ſufficere poſſe ſuo muneri exiſtimantur: neque vnquam aut medico turpe habitum eſt, neſcire leges: aut iuriſperito vel medicinam, vel aſtrorum ſcientiã non tenere. nos illi ſumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas non pertractanda quidem, ac pernoſcenda penitus: ſed deguſtanda tamen, & delibanda neceſſario eſt. non longè abierimus,

ſu

ſuperiore anno Ciceronis orationes in
Verrem interpretati ſumus ,quàm mul
ta ibi nos explicare meminerūt,qui tū
aderant,in quibus alios propemodum
omnes iuris ciuilis ignoratio fefellerat
librosciuſdem de Finibus nunc ipſi in-
terpretandos ſuſcipimus,quàm multa
nobis ex omnibus philoſophiæ parti
bus depromenda erunt,quibus ignora
tis,hos quoque libros ignorari neceſſe
eſt?quid aſtrorum ratio?quid terrarum
ſitus ? niſi qui hæc vtraque vtcumque
teneat, ſatíſne ſe quiſquam idoneum
poëtarum interpretē profiteri poteſt?
& tamen vſque eo alienis laborib. ini-
qui homines reperientur , qui ludere
nos,ac iocari,& nihil in docendo aliud
quàm puerilem voluptatem aucupari
putent?nam illud quoque minime præ
termittendum eſt, quod à grauiorum
artium doctoribus neque ornata , ne-
que elegans,neque multis quidem in
locis, latina oratio poſtulatur. Itaque
ruant licet dicendo,& impurè, impro-
priè,barbarè loquantur, ſuo id eis quo
dam iure licere creditur,at nobis dicē-
tibus,ſunt,qui quoſdam quaſi laqueos
tendant,vt ſi quid exciderit parū expo

Libri de finibus quam explicatu difficiles.

Eloquentiam eſſe literarum humanio-

rum professorem esse oportere.

litum, diem nobis continuò dicant violatę latinitatis, quódque poſtremæ iniquitatis eſt, peccare nos putant, niſi in iis etiam, quæ ſubitò fundimus, plurimi illigati ſint & verborum & ſententiarũ lepores. quæ cùm ita ſint, quis eſt, qui non intelligat, ſi hominum expectationi huius profeſſionis ſatisfacere cupiamus, infinitos eſſe nobis labores exhauriendos? deſinant igitur, deſinant iſti alienæ induſtriæ contẽptores, gloriæ obtrectatores, comprimant vocem ſtultitiæ atque inuidentiæ indicem. Vos verò, patres ampliſſimi, pergite, vt facitis benignitate veſtra labores fouere, vt hæc florentiſſima, & bonarum artium ſtudiis deditiſſima iuuentus, exercitationibus hiſce noſtris ad virtutem præparata atque præculta, veſtram olim in hac fœliciſſima rep. gubernanda ſapientiam facilius imitari queat.

DIXI.

ORA

ORATIO TERTIA HABITA VENETIIS, MENSE OCTOB. AN. M. D. LVII.

SI quis fortè veſtrum eſt auditores, cui admirabile videatur, quòd, cùm cæteri ordinis mei homines in orationis ferè alicuius, aut poëmatis explicatione verſati ſoleant, eos ſibi libros, quibus abditarum retruſarúmque rerum ex vberrimis illis hauſta philoſophiæ fontibus tractatio continetur, interpretandi quidem cauſa, vix eſſe attingendos putent: ego contrà & altero ab hinc anno quinque Ciceronis libros, quibus de ſummo bono in contrarias partes copioſiſſimè diſputatur, explicauerim, & hoc tempore Tuſculanas mihi potiſſimum diſputationes, in quibus huius anni curriculum conficerem, legerim: is ſi mei conſilij atque instituti cauſam rationémque cognouerit, ſimul & id, quod facio probabit, & me ſi aliter feciſſem, iuſtam doctorum & intelligentium reprehenſionem nullo pacto effugere potuiſſe exiſtimabit. Ego enim, auditores, ſemper in ea fui ſentẽtia, præclaram illam

Philoſophiam, cũ eloquẽtia cõiungendam.

minime communium contritarúmque rerum ſcientiam, quam philoſophi& tenere ſe,& aliis tradere profiterentur, ita eſſe cum facultate ornatè copioſéque ducendi coniunctam atque copulatã: vt eas qui diſtrahere ac diuellere conarentur,& vel rerum cognitionem ſine vllo factæ ac politæ orationis inſtrumento cõſectari ſe dicerent, vel verborum floſculis contenti, ne aſpirarẽt quidẽ ad reconditos ſapientiæ fructus, peſſimè vtróſq; tũ ſuis tum alienis ſtudiis cõſulere,& exitiale quaſi corporis & animi diſſidiũ inducere arbitrarer. Igitur & ab ipſo ætatis meæ principio ita ſtudiorũ meorũ rationẽ cõparaui, vt exornãdæ orationis curã cum rerũ inueſtigatione coniungerem:& poſtea omnibus qui ſe in diſciplinam mihi dederunt auctor fui, vt eandem illã viam, quam pręſertim præſtantiſſimorũ omnis memoriæ hominum ſignatam atq; impreſſam veſtigiis viderent, ipſi quoque toto pectore, omníque animi contentione ſequerẽtur. Animaduerteram enim,& eos quorum omnis in concinnitate vocum,& in verbis tanquam ad normam dirigendis, quadrandis, cõponendis

Logodædali alicuius deſcriptio.

nendis conſumeretur induſtria, ab iis, quibus cor, vt aiunt, ſaperet, vt leues fu tiléſque contemni: & eos qui ſe ita penitus rerum indagationi tradidiſſent, vt de comparanda lautæ orationis ſupellectile nō laboraſſent, quaſi agreſtes ac barbaros quoſdam ab omnibus elegantiorum hominum cœtibus repudiari. Ego ſimul atque mihi publicè munus illud adſignatum eſt, vt iter vobis ad ea ſtudia præirem, quibus exculti, reipublicæ aliquando vſum aliquem afferre poſſetis: ſtatim id conſilium cœpi, et alternis annis modo Ciceronis Orationes, modo eiuſdem ad Philoſophiam pertinentes libros interpretater. Itaque primus, vt meminiſtis, annus in aliquot Verrinæ accuſationis librorum explanatione conſumptus eſt. Secundo diſſidentes veterum de ſummo bono ſentētias quinque libris expoſitus accuratè perſecuti ſumus, tertium Catilinæ ſibi orationes vindicarunt, hoc autem quarto, quem nunc fœlicibus ingredimur auſpiciis, quas vobis, auditores, quàm exquiſitas quámque præclaras auidarum doctrinæ mentium epulas apparaui? [illegible] creui enim animos ve-

Indiſertus philoſophus.

Tractatio

B

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

de animo quam vtilis & ardua ſit.

ſtros ipſa ſui cognitione paſcere, eorúmq; vim ab omnibus rebus externis auocatam, totam ſeipſam colligere, & ad naturæ ſuę contemplationem traducere, vos denique ipſos vobis oſtendere, & illam diuinæ auræ particulã, quæ in nobis omnibus latet, conſiderandam, cognoſcendámque proponere. Excutiendæ nobis erunt omnes veterum philoſophorum bibliothecæ: perluſtranda omnis antiquitas, replicanda omnium veterum hiſtoriarum, monumentorúmque memoria: vt ſciamus, quid homines ſapientiſſimi de humanis animis ſenſerint, quibus rationibus & argumẽtis adducti diuinos eſſe eos, & interitus expertes cùm ſibi, tum aliis perſuaſerint, exagitanda & coarguenda eorum cęcitas, amentia, immanitas, qui alia in opinione fuerint, confirmãdus ac muniendus animus aduerſus mortis metũ, proferenda exẽpla eorũ, qui mortem partim aduentantem de ſpicatui habuerint, ac pro nihilo putauerint, partim etiam cunctantem cupide accerſierint, ſtultè illi quidem, ſed tamen vt apertè oſtenderent, ſe nullo modo de animorum immortalitate dubitare,

bitare, vt corporeis vinculis exuti ac liberi, in illas ſedes, in quibus puros à ſcelerum contagione animos poſt obitum verſari acceperant, euolarent. O præclarã diſputationem, & veſtro omnium concurſu, ſtudio, attentione dignißimam. Etenim ſi verè ſcripſit Ariſtoteles, magis expetendam eſſe quamtulamcúmque præſtantiam rerum, & remotarum à captu vulgi cognitionem & intelligentiam, quàm communium & peruagatarum quamlibet exquiſitam tractationem, quis eſt qui non videat, quamtulamcumque cognitionem animi, quo nihil eſt diuinæ naturæ proprius aut ſimilius, quamlibet accuratæ aliarum rerum cognitioni multis eſſe partibus anteponendam? Et ſi nemo, quem non vel nitido concepta ſpeculo, vel periti artificis expreſſa manu corporis ſui figura delectet, quantò iucundius quantóque ſuauius eſſe debet, expreſſam doctißimorum hominum ingeniis animi ſui quaſi quandam imaginem contueri? Quid illud? quanti tandẽ faciendum putatis, quod cùm vitam nihil magis cõturbet, quã mortis metus, eas nos rationes quibus ille

Cognitio rerum præſtantium ſemper anteponẽda.

Mors omnium terribilißimum.

ille pellatur,allaturos eſſe profitemur? Non ſine magnis hæc meis laboribus, ſudoribus,vigilijs fient, ſed mihi cum rerum ipſarum pulchritudo, tum flagrantiſſima cupiditas ſtudia veſtra modis omnibus adiuuandi,omnem laborem non modo facilem ac tolerabilem, verum etiam dulcem, iucundumq́ue reddit. Alios vulgaria atque obſoleta delectent, vos mecum, auditores, ad hæc recondita & abſtruſa cōtendite. Illos humilia, nos ſublimia, illos procliuia,nos ardua,illos in promptu poſita,nos à vulgarium oculis remota delectent,illos deterreat & exanimet difficultas,nos exacuat & extimulet,illos frangat ac debilitet, nos confirmet ac reficiat labor, illi nihil ſibi proponant quod non quilibet vnus è multis conſequi poſſit, nos quicquid ignaui vel ſperare audeant,noſtro indignum ſtudio eſſe ducamus. Sed quoniam nonnulli reperiuntur,qui,quod vel erroris caligine obcæcati, hæc philoſophiæ cum eloquentia coniunctio quàm ſit fructuoſa,non vident, vel inuidiæ veneno ſuffuſi, ad quæ aſpirare ipſi non queunt, ea præſtare alios indignan

In eos qui philoſophiæ & eloquentiæ diſsidium moliuntur.

tum,

tur. vel denique, quod, ſi omnia aliorum conſilia atque inſtituta reprehendant, ita ſe demum ſibi aliquam iudicij famam confecturos eſſe confidunt, qua in re nobis laus ac commendatio debetur, ea in ipſa reprehendere, nos atque accuſare non verentur, clamántque regendos eſſe profeſſionum fines, ſuìſque quámque limitibus ac terminis coërcendam, neque patiendum vt aut philoſophi, quæ ſunt eloquentium vſurpent, aut diſerti, philoſophica attingant, eiúſque rei rationes quaſdam afferunt, non admodum validas illas quidem, ſed quæ tamen aliquem minus peritum in fraudē inducere poſſe videantur, ſtatui hodierno die, auditores, vobis diſceptatoribus atque arbitris aduerſus eos diſſerere, & quidem ea lege diſſerere, vt niſi eos non dicam ego, ſed ipſa philoſophia eloquentiæ armis inſtructa fregerit atque abiecerit, cauſam nullam dicam, quin illi præclarè ſentire, nos deſipere, illi conſiderare ac ſapienter loqui, nos vaticinari atque inſanire, illi ſtudiis adoleſcentium optimè conſulere, noś iiſdem vehementiſſimè officere iudicemur. Intelligitis

telligitis autem, eſſe mihi cum duplici hominum genere negotium, quorum alij leuem & ineruditam loquacitatem, alij inornatam & indiſertam philoſophiam colunt, aduerſus quos vtroſque dum diſſero, peto à vobis per eas ipſas artes, de quibus dicere inſtitui, quarum vtramque vobis maximopere cordi eſſe noui, vt ſtudium meum attentione veſtra excitetis, attentionem ſilentio indicetis. Primùm autem congrediamur cum delicatis iſtis & mollibus, quos perinde ac paruos puerulos, ſeuerè & torua quodammodo philoſophiæ facies ita deterret, vt ad eam propius accedere non audeant, efficiemus enim de duobus alterum, vt aut fuſi ac fugati, moleſti nobis eſſe deſinant, aut quod malim, confirmati, ac bene ſperare iuſſi, ſocios ſe nobis honeſtiſſimi laboris adiungant.

In eos qui ſolā verborū elegantiam inanem ſectantur

Vos igitur alloquor, quicunque vocum illecebris tanquam aliqua dulcedine cantuum capti, ad eas, tanquam ad Sirenios ſcopulos, adhæreſcendum putatis. Ecquid intelligitis, omnem orationem ex rebus conſtare & ex verbis, rerum autem copiam & vbertatem, non

aliunde,

aliunde, quàm à philoſophis peti poſ-
ſe, idcircoque eſſe philoſophiæ cogni-
tionem eloquenti futuro neceſſariam?
Non enim vt luſciniis canendi, ſic ho-
minibus loquendi facultatem oblecta-
tionis cauſa natura conceſſit, nec tan-
tùm munus ſuum, támque præcla-
rum ad aures modò demulcendas vo-
luit adhiberi, ſed cùm eos ita fabrica-
ta eſſet, vt eis rationis ſocietatem cum
diis immortalibus intercedere voluiſ-
ſet, aptóſque eos feciſſet ad rerum præ
ſtantiſſimarum cognitionem adhibi-
to ſtudio conſequendam, inſtrumen-
tum etiam largita eſt, quo de illis rebus
inter ſe diſſerere, eáſque alij cum aliis
communicare poſſent. Placet autem
hoc loco huius diſputationis princi-
pia paulò altius repetere, & ex ipſis
philoſophorum libris cauſſæ noſtræ fir
mamenta deſumere, atque iſtis philo-
phiæ contemptoribus, earum re-
rum, quas contemnunt, ſpecimen ali-
quod exhibere. Interiectum quodam-
modo & intermedium eſt hominum
genus inter animantes conſilij exper-
tes & inter puriſſimas illas mentes ab
omni corporis ſocietate ſecretas, ita vt
illi

Homini ſermo non ſolùs oblectationis cauſa tribuitur.

Hominē medium eſſe inter beluas & angelos.

illis quidem ſuperius perfectiúſque ſit, his autem inferius, minúſque perfectum, nam illi quidem ſenſibus tantum degentes nulla prorſus ratione ad intelligentiam & cognitionem progredi queũt, hæ vero ſine vllo ſenſuum adminiculo ac miniſterio, ſimpliciſſimis notionibus, quæcúmque ipſis ad intelligendum obiecta ſunt, apprehendunt. Homines autem poſſunt illi quidem ad rerum intelligentiam proueh, eóque ſunt mutis animantibus ſuperiores, ſed, quoniam immortalis ipſorum, & ſimplex, & cæleſtis animus, mortalis, & concreti, & terreſtris domicilio coporis hebetatur, eò fit, vt ad cognitionem & ſcientiam ſine ſenſuum miniſterio peruenire non poſſit. Itaque rectè Plato mentis internuntios, quaſique ſatellites ſenſus nominauit, eoſdemque duces ad veritatem eſſe dixit, eius autem auditor Ariſtoteles pronunciauit, nihil intelligi, niſi prius aliquid ſenſu perceptum fuiſſet, quod quaſi viam ſtrauiſſet ad illud intelligendum. idèmque alio loco ſtatuit, ſi cui ſenſum aliquem à primo ortu natura denegauerit, eidem neceſſario aliquam

Sẽſus homini neceſſarios ad diſciplinas.

quam

quam eſſe ſcientiam de futuram. Dum autem duobus tanquam itineribus ad ſcientiam peruenire liceat, quòd alia reperimus ipſi per nos, quáſique pari mus, alia verò ab aliis accipimus quorum illam inuentionem, hanc diſciplinam vocant, neceſſe erat, ad earum vtramque ſenſum aliquem accommodari. Sed cum cæteri ad eã rem minus apti forent, oculorum quidem ſenſus ad rerum præſtantiſſimarum indagationem, aurium verò ad earundem, cũ ab alio traderentur, perceptionem ab ipſa natura conſtitutus eſt. inſtrumentum autem communicandarum participandarúmque animi notionum eadem natura orationem eſſe voluit cúmque cæteris animantibus ſonos modo quoſdam dediſſet, quibus voluptatem, dolorem, deſideria naturæ, affectus denique indicarent, diſtinctam hominibus, articulatámque tribuit vocem, vnde eos Homerus μέροπας nominauit, quam cùm ipſi arbitratu ſuo flexiſſent atque variaſſent, quáſique compacto ſtatuiſſent, quam cuique voci vim eſſe vellent, tum eo inſtrumento ad ea quæ animo concepiſſent patefacienda vterent

Scientia aut doctrina aut diſciplina cõparatur.

Oculorũ & auriũ ſenſus diſciplinis aptiſſimi

Cur homines dicantur. μέροπες.

rentur. Sic ſit, vt res quidem ipſæ ſingulares percipiantur ſenſibus: qua ex perceptione exiſtunt in animis rerum vniuerſarũ notiones: ad eas verò euoluendas & in medium proferendas adhiberi debet oratio: cuius vſus cùm ad eos tantùm qui eodem tempore, iiſdémque in locis viuerent, pertineret, hoc amplius machinata eſt hominum ſolertia, literas, quæ, vt voces notionum, ſic hæ vocum ipſarum eſſent notæ, efficeréntque, vt & abſentes cum abſentibus, & ij, qui multis antè ſeculis floruiſſent, cum omni poſteritate quaſi colloqui poſſent. Ex hiſce liquidò conſtare arbitror id, quod in huius ſermonis ingreſſione poſueram: orationem non oblectandarum aurium cauſſa nobis eſſe à natura tributã: ſed vt animus, cùm ſe rerum cognitione ſaturaſſet, haberet, quo modo alios ad earum communicationem vocare poſſet. Quo modo autem poterunt, aut quidquam communicare cum alijs, qui nihil ipſi, niſi loqui, didicerint? aut quidquam egregium diſcere, niſi qui philoſophorum monumenta contriuerint? Etenim qui ſunt tandem ſcriptores

Literarũ inuentio vnde manarit & earũ quis fructus & vtilitas.

Quæ di-

res illi, qui diſtinctè ordinatéque dicendi præcepta tradunt? philoſophi. qui rerum admirabilium, quæ in terris mundóque fiunt, cauſſas aperiunt? philoſophi. qui herbarum, qui ſtirpium, qui animantium ortus, progreſſus, naturas, vires, vtilitates proſequuntur? philoſophi, qui de officio, qui de virtute, qui de ratione inſtituendæ vitæ, qui de moderandis affectibus diſputant? philoſophi. à philoſophis omnis doctrina liberalis, à philoſophis omnis hiſtoria, à philoſophis omnis artium varietas ſumi poteſt: ab his Oratores, ab his Imperatores, ab his rerumpublicarum Rectores extiterunt, neque quiſquam vnquam aut in dicendo, aut in rebus gerendis excelluit, qui non prius in philoſophorum officina politus ac limatus fuiſſet. Ac mihi quidem ſæpenumero permirum videri ſolet, reperiri nonnullos vſque eò excordes, vt oratoris munus ab homine philoſophiæ ignaro ſuſtineri poſſe, credant. nam cùm illi ipſi fateantur, tria eſſe, quæ orator dicendo efficere debeat, vt fidem faciat iis qui audiunt, vt eos ſuauitate perfundat, & vt eorum

ſcantur à philoſophis.

Orator nemo eſſe poteſt philoſophiæ ignarus.

animos aptis & accommodatis ad obtinendum id quod vult affectibus concitet: nullum eſt horum, quod mihi ſine philoſophiæ auxilio perfici poſſe videatur. An verò faciendæ fidei erit idoneus, qui non illos à philoſophis propoſitos fontes animo & memoria contineat, ex quibus ad omnem diſputationem incredibilis argumentorum copia emanat? ratiocinationes autem contexere, & id, quod probandum ſuſceperis, acutè circumſcripta concluſione cõficere, tum ea quæ ab aduerſarijs allata ſint ſubtiliter diſſoluere, quorum tandem eſt, niſi philoſophorum? Neque verò video, quomodo delectare niſi forte pueros, aut homines puerorum ſimillimos, queat inanis & nullo librata ſententiarum pondere oratio. Quid ita? nempe quod, vt præclarè docet Ariſtoteles, is demum motus efficit voluptatem, qui perducit id quod mouetur ad ſtatum naturæ ipſius accommodatum & congruentem. Itaque corpora cùm aut exinanita ſunt, aut redundant, tum perceptione cibiq; ac potionis, tum depulſione & eiectione ſuperfluentium rerum lętantur, & in animis

Qui motus faciat voluptatem.

mis

mis idem vſu venire credendum eſt. quid eſt autem, quod natura duce concupiſcat animus, ad quod feratur, cuius perpetua quaſi fame ſitíque teneatur? Doctrina nimirum atque cognitio, hic illi cibus, hic paſtus proprius, ac naturalis eſt, eo alitur ac reficitur, eo ſaturatur ac gliſcit. Ergo illi tantùm concionis animos inſatiabili oblectatione deuinciunt, quorum omnis ſermo cum vrbanitatis ſale reſperſus eſt, tum diſtinctus & illuminatus doctrinæ notis, quorum ex ore, tanquam ex perenni quodam fonte, nunquam intermittente, nuſquam inſiſtente fluxu, nouarum vſque & admirabilium rerum copia incredibilis profluit, ij demum modò clamores faciunt, modò auditores admiratione percuſſos ſilere, & vno in obtutu defixos hęrere cogunt. Illud verò, quod in oratoris officio tertium ponitur, concutere audientes omni genere affectuum, eorumque pertractare intimos ſenſus, & quocũque collibuit flectere, quis vnquam niſi philoſophia munitus conſequetur? An verò vel accedere, vel reſtinguere iracundiam, vel incutere, vel

Animi naturalis appetitus ſciendi.

excutere timorem, vel conflare inuidiam, vel leuare, vel ad miſericordiam adducere, vel à miſericordia abducere audientes, & eos quaſi gubernaculo quodam linguę impellere arbitratu ſuo poteritis, qui non horum omnium affectuum cauſſas, rationesque pernouerit? Sed increbuit ſermo quidam hominum imperitorum, qui ita dictum, vt ne inſpicantur quidam philoſophorum libri, ſatis magnam tamen earum omnium rerum vberemque notitiam ex ipſis Rhetorum ſcriptis poſſe deſumi. quod ſi ita eſt, quid quęſo commouit veteres illos, qui dicēdi laude cæteris antecelluiſſe perhibentur, vt tantā curam tantumque ſtudium in audiendis philoſophis & in perſcrutandis penitusque cognoſcendis eorum præceptis conſumerent? Quid Periclem illum, cuius in labris perſuadendi deam ſeſſitauiſſe dictum eſt, quem fulgurare, quem tonare, quem permiſcere Græciam Comici veteres tradiderūt? quid igitur illum impulit, vt Anaxagoræ ſe phyſico erudiendum daret, eumque aſſectaretur, ſi ad illam, ad quam aſpirabat, eloquentiæ laudem, nihil in illius doctri

Eloquentiam de Rhetorū libris integrā non poſſe hauriri.

doctrina intellexerat eſſe momenti? quid Demoſthenem, quid M. Tullium commemorem? tantam in vtroque dicendi copiam fuiſſe cenſemus, niſi ille Platonem, hic Philonem, Diodorum, Poſidonium, alióſque permultos nobiles philoſophos ſtudiosè ac diligenter audiſſet? qui ſi ea, quæ ab illis accipiebant, à dicendi magiſtris accipere potuiſſent, non ab alienis illa mutuari & corrogare potius, quàm domo & à ſuis petere maluiſſent. At querun tur aſperam quodammodo & ſalebroſam eſſe philoſophiam, inamœnúmque illius ſtudium, quódque nulla dulcedine aut allicere, aut allectos detinere animos poſſit. O molles ac voluptarios homines? Vos igitur in tanta rerũ præſtantia ac dignitate etiã delicias quęritis: & quo vobis itinere ad ſapientiam aditus patet, ſuſcipere illud abnuitis, niſi viam videatis tum molliſſimam & planiſſimam, tum roſis & violis conſtratam, quámque viridantes omni ex parte opacent patularum arborum comæ? At etiam ſi perpetuò per Athonis & Caucaſi niues, ſi per feruentes Libyæ arenas gradiendum foret, ta-

Cicero & Demoſthenes philoſophorũ auditores.

In eos qui de philoſophiæ aſperitate querũtur

Philoſophiæ ſtudium eſſe iucundiſſimum.

men, ſi viri eſſetis, omnem laborem omnémque difficulatem contemneretis. Sed non patiar vos diutius in errore verſari. Scitote enim, hoc ſtudium quod vos aſperum & inamœnum putatis, ita eſſe dulce, itáque iucundum, vt nihil ſuauius, aut iucũdius ne votis quidem conceptis expeti poſſit. cui rei vel illud argumento ſit, quod, qui ſe illi ſemel penitus tradiderunt, ij poſtea neque rei familiaris cura, neque honorũ cupiditate, neque corporearum voluptatum blandimentis ab eo auocari queunt. Poſſem hoc loco euagari latius, & id, quod dixi, tum repetitis è vetere memoria, tum viuis ac ſpirantibus exemplis confirmare, niſi me temporis ratio breuem eſſe admoneret. Nunc igitur, quàm poterimus breuiſſime, eorum refutemus errorem, qui ſe ita philoſophiæ ſtudio contentos eſſe aiunt, vt omnem orationis cultum penitus negligant. quorum non vnum genus eſt. quidam enim nihil aliud dicunt, niſi verborum elegantiam philoſopho minimè neceſſariam eſſe. quidam etiã indecoram eſſe contendunt: ſunt qui, cùm eam non indecoram eſſe fateantur,

tur,

tur, fieri tamen negant poſſe, vt vnus idémque in vtroque excellat, & cum rerum ſcientia polleat, tum dicendi facultate præſtet, idcircóque nolle ſe in ſequendo eo, quod aſſequi nunquam poſſint, operam perdere. Cum primis illis non multum nobis negotij eſt, nam ne nos quidem dicimus ita neceſſariam eſſe philoſopho eloquentiam, vt, ea ſi careat, nomen ſuum tueri ac retinere non poſſit. Sed profectò ſordida hominum, planéque miſera vita ſit, ſi ſtudia noſtra neceſſitate tantùm, non etiam commodirate & ornatu dirigantur. Caſis contectis ſtramine & anguſtis tuguriis, ac gurguſtiis, opertis etiam plauſtris, vt Scythæ, aut, vt Cynici, doliis cæli defendere iniurias poſſumus, idque ad neceſſitatem ſatis eſt. num idcirco ædificandi artem repudiemus? In veſtitu cultúque corporis, ſi nihil ſpectemus aliud, niſi vt imbres, vt niues, vt vẽtos, vt ſolem, vt frigus arceamus, ſatis fuerit, vel pellibus animalium corpus amicire; an quiſquam propterea honeſtior ciuilem ea in re conſuetudinem negligit? Sic & in hoc genere ſtudiorum, non in iis

Eloquentiã philoſopho non quidẽ neceſſariam ſed tamen valde commodã eſſe.

modo,quibus nullo modo carere, verumetiam in iis,quibus ſatis commodè carere non poſſumus, elaborandũ: neque tantum neceſſitas, verumetiam dignitas & pulchritudo ſpectanda eſt: præcipuè cùm omnibus propemodum in rebus decorem & elegantiam cum ſumma vtilitate natura ipſa copularit. Hos igitur ſine vlla contumelia dimittamus: tantùm moneamus, vt, ſi in omnibus vitæ partibus ornatus rationem habendam eſſe ducunt, in ſtudiis quoque eam omittendam non eſ-

In eos qui barbariẽ in philoſophando affectant. ſe fateantur Iſti nobis acrius inſectandi ſunt, vehementiúſque repellendi, qui dedita opera barbariem in loquendo diligunt, & non aliter ſe philoſophos viſum iri putant, quàm ſi dictione inquinatiſſima vtantur, &, vt ſues in luto ac cœno, ſic ipſi in orationis ſordibus volutentur. Antiquis temporib. quoddam ſtultorum genus fuiſſe proditum eſt, qui pedore ac ſqualore horridi, pannis obſiti, ſemper illoti, ſemper intonſi, ſemper impexi, illo ipſo incultu ac neglectu corporis philoſophorũ nomen in vulgus aſſequebantur. Non valde diſſimilis eſt eorum amentia, qui

oratio

orationem nullo ſtudio excultam, nulla diligentia expoſitam, nullo artificio elaboratam, philoſophiæ profeſſoribus conuenire aiunt. Atque illi tamen eò tolerabiliores: quòd corporis colendi curam multi, ornandæ orationis ſtudium nemo olim, qui alioquo inter philoſophos loco haberetur, neglexit, niſi forte quis Epicurum & eos, qui ab eo ſunt, obijciat: quos ego vix in hominum, in philoſophorum quidem numero, nullo modo habendos eſſe cenſeo. Eſt autem operæ pretium audire, quomodo hanc ſuam tam præpoſteram, tamque abſurdam opinionem cõfirment. Grauis alicuius & ſeueræ matronæ philoſophiam ſimilem eſſe aiunt, quam omnis fucus dedeceat: quæ natiua pulchritudine contenta, augere eam pigmentis & lenocinijs non laboret. vt incultos & horrentes ſolitariosque lucos plus habere maieſtatis ac venerationis, quàm nitidas & viridicatas, & digeſtis in quincuncem arboribus conſitas ſiluas, ſic ſqualentem, &, vt ita dixerim, impexam, neſcio quo modo auguſtiorem & maieſtatis pleniorem videri, quàm comptam,

Epicur ei in philoſophorũ numero non habendi.

Rationes barbarè philoſophantiũ.

ptam, & quaſi vnguentis delibutam orationem. Quibus nos ita reſponſum volumus, non ſi calamiſtro intortus capillus, & buccæ minio ac ceruſſa fluentes, & vulſa ſupercilia, & quæſitus arte dentium candor matronam dedecent, continuò illuuiem & ſitum, ac ſordes decere. Eſt & ſuus non modò matrifamilias, verumetiam viro cultus. & , vt reprehendendus ſit, ſi quis quotidie redâtur ad ſpeculum, quod tamen Africanum feciſſe accepimus, & facie feminibúſque leuatis in publicum prodeat, ſi quis Patroclem illum imitari velit, quem cauillans Ariſtophanes, nunquam in vita lauiſſe dicit, ita vt nunquam os, nunquam manus abluat, nunquam ſudorem detergat, nemo ſit, qui non fœdum illius adſpectum, & tetrum ac virulentum, qui ex afflabitur, odorem abominetur. Neque verò nos à philoſopho exigimus, vt verborum paritatem ac ſimilitudinem aucupetur, neque vt in rotundandis periodis occupetur, neque, ſi agreſtem eſſe illius & inconcinnem locutionem nolumus, effœminatam & can

Cultum moderatum & honeſtum nõ contemnendum.

Qualis philoſophorum eſſe debeat eloquẽtia.

canticorum ſimilem volumus, neque tam vt rerum præſtantiam verborum ſplendore illuminet, quam vt ne illam orationis impuritate contaminet, poſtulamus. Tu mihi cùm de reb. cognitu digniſſimis dicere ingreſſus ſis, ea verborum portenta euomas, vt, qui adeſſent, non hominem loqui, ſed aſinum rudere exiſtiment. & tamen ea fatuitate atque impudentia ſis, vt homines polítè dicendi cupidos deſpicias, & iſtud quod tu facis, voces philoſophicè loqui? Nã quod in eo maieſtatem quandam, & quaſi religionem ineſſe vis, vide ne potius impiũ ſit, vt vaſa Deo dicata impuris manibus, ita philoſophiã impuro ſermone tractare. Enimuero, ſi ea demum ſacra ac religioſa ſunt, quæ ornatu carent, remoueatur aurũ à templis, gemmæ, ſigna, tabulæ, donaria denique omnis generis remoueantur. ſin hoc vel cogitare nefarium eſt, fateamur id, quod ratio quodam modo ipſa præſcribit, neque opes vſquã melius, quàm in Dei cultu, neq; dicendi copiã præclarius quàm in excolenda exornandaq; philoſophia collocari. Supereſt, vt ijs ſatisfaciamus, qui negant

Irreligioſam eſſe barbarè philoſophari.

negant philoſophiam cum eloquentia poſſe coniungi, neceſſarióque qui alteram ex animo colat, ei eſſe alteram deſerēdam, qui ad vtramque animum adiecerit, ne vtraq; excidat, periculum eſſe. Qui cùm hæc dicunt, ſi de ſui tantum ingenij imbecillitate loquerentur, ferendi eſſent, nūc, cùm ex ſeipſis alios metiātur, &, quod ſe præſtare poſſe diffidunt, id vniuerſè ac generatim fieri non poſſe pronuntient, in eo quàm vehementer errent, admonendi videntur. vſque eo ne rerū veterū, & eius ipſius, quam profitemini, philoſophiæ imperiti eſtis, vt ſummam in philoſophis veteribus extitiſſe dicēdi vim ac copiam neſciatis? ecquis vnquam Platonem, aut Philoſophiæ ſcientia aut dicendi facultate ſuperauit? de quo Cicero bonus in primis æſtimator eloquentiæ ita magnificè ſentiebat. Iouem vt ipſum, ſi Græcè loqui vellet, non alio quam Platonis ſermone vſurū eſſe diceret. quid Ariſtoteles? nonne ipſe dicendi præcepta vnius omnium optimè tradidit, & ea dicendi copia fuit, vt eum idem Cicero auro fluentem fluuium nominarit? non Xenophontis ſummi philoſophi

phi

phi ore Muſas quaſi locutas ferunt? nō Theophraſtus à loquendi diuinitate nomen inuenit? non poſterioribus ſeculis eam in Carneade vim fuiſſe proditum eſt, nullam vt nunquam rem cō firmandam ſuſceperit, quam non probauerit. nullam impugnandam, quam non euerterit? Sed quid vetera & externa exempla conquirimus, cùm recentium & domeſticorum copia ſuppetat? hæc ciuitas quàm multos & olim protulit, & quotidie profert, qui vt nemini, quin vtraq; laude præſtiterint; ita omnibus, vtra potius præſtiterint, ambiguum relinquunt? quorum vos adoleſcentes, per Deum immortalem, exemplum imitamini, neque committite, vt Veneta ciuitas, quæ ſemper toto orbe terrarum habita eſt fœcundiſſima virorum omni virtutis & doctrinæ laude præſtantiam parens, per veſtram ignauiam, atque deſidiam iſta tam preclara laude ſpolietur. an verò vos, illis orti maioribus, qui nihil vnquam ſibi dulce præter virtutem, & eruditionem putarunt, quidquam virtuti, quidquā eruditioni anteponendum eſſe ducetis? at exteræ nationes, non alio potius, quàm

Venetiarum laus à doctorū hominum preuentu.

Vene

Venetorum hominum exẽplo, ad eas colendas excitari,atque inflammari ſo lent. hîc ſedem virtutis, domicilium literarum, hîc ſeminarium quoddam præſtantium virorum eſſe omnes vno conſenſu gentes exteræ confitentur. hanc vos tam præclaram, támque magnificam laudem, quæ ad hunc vſque diem,ſemper & creuit,& floruit,veſtra culpa decreſcere ac defloreſcere patiemini?non per illos Contarenos Barbaros,Bembos,Donatos,cæteróſque heroas,conſecrata ad omnem poſteritatis memoriam nomina, qui nunquam in cælum hominum prædicatione conſcendiſſent, niſi quandiu vixere, illam adquam mea vos cohortatur oratio philoſophiæ cum eloquentia coniunctionem,poſthabita omni alia cogitatione,coluiſſent. Hos ſpectate adoleſcentes,hos intuemini, horum de gloria dies noctéſque cogitate, & ad eam veſtra induſtria exequendam contendite. Habetis in hac ciuitate publicè cõſtitutos homines eruditiſſimos, qui vobis in illo itinere duces optimi eſſe poſſint. Quorum me in ſocietatem, licet valde ipſis omnibus imparem, quã do ipſa

Nomina Venetorũ doctiſſimorum.

do ipſa reſpublica vocauit, & eo me collocauit in gradu, vnde poſſem in ipſius ciuitatis oculis voluntatis ergavos meæ quotidianas ſignificationes re, equidem non parcam labori, abiectíſque aliis omnibus curis, quantum conniti, atque efficere potero, tantum conferā ad ingenia veſtra, omni genere diſciplinarum liberalium, quantum quidem in me fuerit, excolenda.

DIXI.

ORATIO QVARTA HABITA ROMAE XVI. KAL. DECEMBR. ANNO. CIϽ. D. LXIII:

VEteri conſuetudine receptum eſt, vt omnes, qui artem aliquam publice docendam ſuſcipiunt, eam primam habeant concionem, qua rationem inſtituti ſui cùm eius, quam ſe tra dituros eſſe profitentur, artis laude cōjungant, eóque quidquid habent in dicendo virium conferant, vt in ea cum vtilitatis & emolumenti, tum dignitatis & amplitudinis longè plurimum ineſſe confirment. Quæ conſuetudo

In quam partem vulgò accipiantur laudes, quibus initio profeſſionum artes afficiũtur.

etſi minime reprehendenda mihi quidem videtur, quod omnia laudanda ſunt, quæ ad amplificandam honeſtatum artium dignitatem, & ad excitandum in hominum animis earum ſtudium pertiuent, tamen illud habet incommodi, quod, dum omnes promiſcue iiſdem ferè afficiuntur laudibus eiuſdémque res gloriam diuerſarum artium homines ad ſuam quiſque traducere ac transferre conantur, fit vt in vulgus eleuetur omnium auctoritas, & vt, quoties aliquis de quacũque arte quippiam honorificè ac ſplendidè dicere ingreſſus eſt, circumfuſa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita ſit, ſed quòd eam artem ornandam celebrandámque ſuſceperit, idem de alia dicturus, ſi alia ſibi extollenda & exaggeranda eſſet. Ergo, vt qui comœdias aut tragœdias ſpectant, cùm hiſtrionem aliquem in proſænico auro ac purpura fulgentem viderint facilè intelligunt, illa ornamenta ipſius propria non eſſe, ſed futurum, vt æquè indueretur quilibet alius è grege, qui ad tempus eam perſonam ſuſtineret, ita, qui eiuſmodi orationes audiunt, cùm

Similitudo à ſpectaculis ducta.

eùm hanc aut illam artem magnificis & exquiſitis exornatam laudibus vident, ſtatim iudicant, nihilo magis eas in hanc, quàm in illam, conuenire, futurúmque vt eadem de qualibet arte dicerentur, cui Orator, tanquam choragus, eas quaſi partes mandare atque imponere voluiſſet. Quæ cùm mihi de principio in mentem venirent, prope modum in eam me ſententiam adduxerant, vt eam philoſophiæ partẽ, quæ ad confirmandos mores, inſtituendæ que vitæ rationem pertinet, quotidianis diputationibus, quantum meæ vires ferent, illuſttaturus, nihil initio, quo dignitatem ipſius vobis commendarem, dicendum arbitrarer: verentem ne cum ſuis eam modo ac propriis laudibus extuliſſem, communes tamen illæ nonnullis ac tranſlatitiæ viderẽtur. Simul autem illud cogitabam, ſi qui nondum peruidiſſent, aſſidua, & diligens harum præceptionum tractatio quantum momenti habeat ad bene beatéque viuendum, fore, vt breui eis pro me res ipſa loqueretur: ex qua multò id eos melius, multóque pefectius, quàm aut ex mea, aut ex cuiuſquam

orationе cogniturоs. Sed ab ea me ſententia abduxit amicorũ aliter ſentiẽtiũ auctoritas, qui cùm alia multa, tum hoc argumentum attulerunt, cùm hæc ipſa philoſophia, præcipiat, non eſſe cuiquam temerè à publica conſuetudine diſcedendum, minime conuenire, qui eam ſe traditurũ profiteretur, eum in ipſo quaſi veſtibulo illius præcepta migrare. Quocirca dicam hodierno die breuiter & modicè de moralis philoſophiæ laudibus, déque fructibus, quos illa ſuis cultoribus pollicetur: ſed philoſophico magis, quàm oratorio more, non vt ei quidquam alieni affingam, aut quæ ipſius propria ſunt, amplificandi cauſſa in maius extollam, quorum alterutrum ſi coner, ipſa mihi philoſophia, vt eſt veritatis amans, tãquam Achilli Homerica Pallas, manum iniiciat, ſed vt nudo ac ſimplici orationis genere, quale veritatis proprium eſſe ait Euripides, ea, quæ ad rẽ facere videbuntur, exponam. Primum igitur non artium modò, ſed omnium omnino humanarum rerum dignitatẽ atque præſtantiam ex fine, ad quem earum quæque dirigitur, quémque ſibi pro

Vide primum Iliad.

Omnium rerum dignitas à fine ſpectanda.

proponit, pendi ac ſpectari arbitror oportere, vt, quantò cuiuſque finis præſtantior ac diuinior eſt, tantó ipſa cæteris excellere iudicetur. Quo poſito, eſt enim ita peſpicuum, vt probationis nõ indigeat, quis vnquam reperietur tanta vi præditus ingenij, tanta eloquentiæ copia inſtructus, qui ſe de philoſophia, pro ipſius dignitate, verba facere poſſe confidat? Non enim illa ſibi opes ac copias, quæ & ſæpe poſſeſſoribus ſuis exitio ſunt, & tã multis caſibus eripi poſſunt, non honores & imperia, quæ, ꝙ concupiuerint, multi, quòd aſpernatus ſit, nemo vnquam vituperatus eſt, non quidquam denique proponit eiuſmodi, quo & carere ſine probro, & abundare ſine gloria liceat, ſed eam, ad quam omnes aſpirant, quam ſibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes ſuas actiones, omniaque conſilia referunt, fœlicitatẽ. Quantò igitur cæteris omnib. bonis anteſtat fœlicitas, tantò philoſophia cæteris artib. antecellit. Quòd ſi tanto ſtudio coluntur artes quædã, quæ nihil ſibi aliud, quàm lucrũ, & rei familiaris amplificationem tum incertam, tum laboris ac periculi plenã pro-

Philoſophiæ finis fœlicitas.

ponunt: quanto hæc ſtudio digna eſt, qua parantur veræ illæ opes animi, quę non furto eripi, non incendio abſumi, nō naufragio abſorberi poſſunt: quæq; certam rectámq; viam commonſtrant ad perſequendum id bonum, quo cętera omnia cōtinentur? Si tanto in honore medicina eſt, ꝙ habere leuationem morborum, quib. tentatur corpus, bonæq; valetudinis ac firmitatis tum effectrix eſſe, tum cōſeruatrix creditur: qui tandem honores excogitari poterunt ea arte digni, quæ ſe in animis idē effecturā eſſe profitetur? Nam & præſtantior corpore animus eſt: & huius, quàm illius, multò plures morbi, multóq; periculoſiores. Quod ſi cui forte dubium eſt, excutiat ille paulíſper intelligentia ſua, ſecúmque reputet, quàm ſæpe vnius hominis ambitio, auaritia, libido integras funditus euerterit ciuitates. His autem & ſimilibus morbis medetur philoſophia, eamqúe in ſuis efficit animi firmitudinem, quam non voluptatum illecebræ, non dolorum faces, non diuitiarum ſplendor, non obſcura & contempta paupertas, non honorum ſitis, non ignominiæ metus, nón vitæ

cupiditas,nō mortis terror conuellere ac labefactare poſſit. Vt enim Olympi cacumen poetæ ſemper quietum eſſe aiunt:propterea quod altius ſit, quàm vt eò vis ventorū,tempeſtatúmq; perueniat:ſic philoſophorum animus ſublimior & excelſior eſt, quàm vt iſtos flatus ſentiat furentium, & de reb.abiectiſſimis inter ſe humi digladiantium cupiditatum.Stat ille,vt in medio mari edita & altiſſimis defixa radicibus rupes:cuius ſumma fluctus ne attingunt quidem:infima ſic verberant, nō vt eā commoueant, ſed vt ipſi frangantur. Nouit philoſophus vulgarium voluptatum blanditias partim puerilium oblectamentorum ſimiles eſſe,indignas non modò quas cōſectentur,ſed quas reſpiciant viri,partim cum dedecore ac turpitudine coniunctas, vt ſatius ſit, quouis dolore lacerari,quàm venenatā ac peſtifera earū ſuauitate mulceri. Habet alias ex ſeſe proprias ac perpetuas voluptates eaſdémq; ſinceriſſimas nullaq;ne minima quidem permiſtione moleſtiæ cōtaminatas,quas ex ipſa virtute,& ex honeſtis actionib.carpit, ijs fruitur,ijs mentē paſcit,eisſe oblectat,

Philoſophus Olympo ſimilis.

Philoſophus immoto ſcopulo ſimilis. Philoſophus voluptates reſpuit.

Voluptas philoſophica.

eas ſolas charas ac iucūdas habet. Nā vt in beatorum inſulis dicuntur eſſe arbores quædam aſpectu iucundiſſimæ, quarū in ramis toto anni tempore cernere eſt alios fructus mites iam, & ad maturitatē perductos, alios matureſcētes, alios pubentes adhuc, & in primum ſe florem induentes, ſic in eorum, qui vérè ac ſeriò philoſophātur animis, toto vitæ tempore aliæ actiones honeſtæ ac laudabiles confectæ iam ſunt, & abſolutæ, aliæ in eo ſunt vt abſoluantur, aliæ inchoantur adhuc & informātur, primiſque, vt ita dixerim, lineis deſignantur. Itaque aliarum recordatione ac conſcientia, aliarum tractatione ac præſentia, aliarum meditatione & proſpicientia ſic afficiuntur, nihil vt ſibi præterea iucundum aut amabile exiſtiment. Immenſa etiam illa & inexplebilis accumulandarum opum auiditas, quam, incertum eſt, copia an inopia magis incedat, radices agere in animo philoſophiæ præceptis conſito, & exculto non poteſt. Quid ita? Nimirum quia hæc id vel præcipuè in ſuorū animis inſerit, naturales opes & terminatas eſſe, & facilè parabiles, eas qui adeptus

Philoſophos auaros nō eſſe

ptus

ptus ſit, nihil ei amplius appetendum, non qui plurimum habeat, ſed qui minimum deſideret, ditiſſimum eſſe, nihil magni faciendũ, quod æquè peſſimus atq; optimus quiſque conſequi poſſit. Neq; tamen eorũ conſilium probat, qui aut aurũ in mare abieciſſe, aut poſſeſſiones ſuas icultas ac deſertas reliquiſſe memorantur, hæc em̃ aut ignauorũ hominũ videtur, aut pecunia vti neſciẽtium, quorum vtrumque in vitio, nõ in laude ponendum eſt. Ac fere quidẽ ij, de quib. illa narrantur, philoſophi, ſed rudior illa quædam, & ſimplicior philoſophiarum, fuit politior noſtra hæc, & ad vſum ciuilem accommodatior, quæ docet, opus, ſi quis aut à parentib. acceperit, aut induſtria ſua quæſierit aut alia quapiã honeſta ratione ad eas peruenerit, nõ aſpernandas aut reiiciendas eſſe, ſed ita habendas, vt virtutis, nõ vt luxuriæ, adminiſtras. Nam illud mihi quidem permirum videri ſolet, quid ita veteres illi iudicarint, nõ poſſe ſe ſimul & rem habere, & in ſapientiæ ſtudia incumbere, qui mihi etiam videntur, quo facto ſummam diuitiarum cõtemptionẽ ſignificare ac præ ſe ferre voluerũt,

Non laudados eos qui pecuniam vt Crates merſerunt aut poſſeßiones vt Democritus neglexerunt philoſophiæ ſtudio.

Veteres philoſophos opũ abiectione auariſſimos ſe eſſe profeſſos.

eo ipſo indicaſſe nimiã quandam erga eas naturæ ſuæ propenſionem, ſi nummos in arcã concedere nõ poterant, vt non omnes cogitationes ſuas in eãdem arcam includerent, neque, quãdiu patrimonium habebãt, imperare ſibi, vt alijs rebus contemplandis ac cognoſcendis vacarent. Equidem nunquam eum militem laudauerim, neque fortem habẽdum duxerim, qui aduerſariũ à ſe quàm longiſſimè amoueat, ne cum eo manus conſerat, ſed eum potius, qui & congrediatur, & vincat. Neque verò video, qui minus impedimento ſit egeſtas ſtudijs, quàm diuitiç. Neceſſa eſt enim, qui, vnde viuat, non habet, eũ ſibi vitæ ſubſidia aliunde quærere, in quo quantum temporis ponit, tantum de ſapientiæ ſtudijs detrahit Melius igitur philoſophia, cui qui ſe regendos permittũt, ij opes, ſi non habent, non requirunt, ſi habent, vtuntur vt decet, neque vnquam torquentur aut augendi cupiditate, aut amittẽdi metu. Quid ego nũc de perturbatrice humanarum rerum, optimi cuiuſque ingenij corruptrice, concitatrice bellorum omnium, ambitione, quã ſemper virere in eorũt quos ſemel

Egeſtatẽ ſtudijs ob eſſe.

ſemel occupauit animos, neque vnquam conſeneſcere, grauiſſimus auctor ait Thucidides, verba faciam? Nunquid illius vnquam facibus accendi poterit pectus, quod infuſa prius philoſophiæ præcepta irrigauerint? Immò verò etiam ſi antea ſubiecti ab ea ignis aliquid forte conceperit, id totum inſtillata philoſophia reſtinguet. Ea enim magiſtra ac præceptrice cognoſcimus, verum decus, verámque gloriam in ſola virtute poſitam eſſe, eam qui conſecutus ſit, quid alij de ſe iudicent, non admodum laborare oportere, præcipuè verò diſpiciendam leuis & imperitæ multitudinis temeritatem, quæ ad mandandos honores cæco ſæpius & inconſiderato impetu, quàm certo, & explorato iudicio fertur. Præclarè & ſapienter Cato malle ſe dicebat, quærere homines, cur ſibi poſita non eſſet ſtatua, quàm ſi quærerent, cur poſita fuiſſet. Eodem animo ſunt veri omnes philoſophi, eſſe ſe, vt de Amphiarao ait Æſchylus, quàm videri optimos malunt, honores autem & magiſtratus, aut non petunt, aut alienæ, non ſuæ vtilitatis cauſa petunt, neque,

Catonis apophtegmata ſtatuam contemnentis

quæ,ſi adepti ſint.exultant, neque , ſi repulſam tulerint,anguntur animo,ſed placatè,id eſt moderatè ferunt,aut , ſi quando dolent,reip.dolent vicem,non ſuam. Cæſarem ferunt,cum pontificatum petiturus ad comitia deſcenderet, matri dixiſſe,illam eo die aut pontificem habituram filium , aut exulem. Iam tum præſagire ac præcognoſcere licebat,ambitionem illam ingens aliquod malum ciuitati daturam.Itaque, quid poſtea effecerit,videmus.At Cato,in petitione præturæ etiam Vitinio poſthabitus , æquiſſimo,ac moderatiſſimo animo tulit.Ita ſunt philoſophi maximam voluptatem in prætermittendis voluptatibus,maximas opes in quieto ac contento ſuis animo, maximam gloriam in non ambienda gloria ponunt. Satis honoratum putant eſſe, qui honore dignus ſit , ſatis magnum regem,qui ſeipſum regere, ſatis potentem imperatorem, qui cupiditatibus ſuis imperare poſſit,qui verò eis planè domitis ac ſubactis iugum rationis , quod illæ ne conentur quidem vnquam excutere,impoſuerit , ab eo omnes aliorum victorias triumphoſque

Cæſaris ambitio

que

que ſuperatos. Quod ſi libidinem auaritiam, ambitionem, peſtes quaſdam ac furias eſſe nouimus, quæ funditus humanam vitam conturbant, quantus honos habendus eſt philoſophiæ, quæ ſe omnes earum conatus repulſuram, omnes igniculos repreſſuram, omnia ſemina eliſuram, non magnificentius, quàm verius, pollicetur? videre vos opinor, quàm ſe latus orationi meæ campus oſtendat, ſi quæcumque hoc loco ſe offerunt, perſequi, & in ſingulis inſiſtere atque immorari velim. Nam cum virtus nulla ſit, de qua non ſplendide, & ornatè dicere, nullum vitiũ, in quod non grauiter, & copiosè inuehi liceat, quidquid de eorum vtrolibet dici poteſt, idem ad philoſophiam laudandam accommodari poteſt, quam virtutis indagatricem, vitiorum expultricem Latinorum omnium eloquentiſſimus verè an meritò nominauit. Sed non committam, vt cuiquam videar trãſilire eos terminos, quos initio pegi, potiúſq; reprehendi me patiar, quòd multa, quæ fuſius explicare licuiſſet, compreſſerim, ac coarctauerim, quã quod in vlla re dilatanda euectus ſim lõgius iuſto,

Cicero 5. Tuſculana. Breuitate pollicetur.

iuſto, neque ſatis mihi temperare potuerim. Nunc illud etiam atque etiam conſiderare: cæterarum omnium artium fines, neque eos modò, ſed omnia prorſus, quæ bona putantur in vita, niſi quis philoſophiam vitæ ducẽ habeat, peſtifera ac perniciofa eſſe. Da homini non philoſopho opes ac copias, da honores atque imperia, da firmam valetudinem, da gladiatorium totius corporis robur, da multarum magnarúmque rerum cognitionem ac ſcientiam, da flexanimam illam, vt poetæ vocant, & omnium rerum reginam eloquentiam, da quidquid in filiis parentum votis optari ſolet, quò eiuſmodi plura in talem hominem congeſſeris, eò illum magis & in ſuam, & in aliorum perniciem armaueris. Opibus abutetur ad ſuam libidinem explendam, imperiis ad alienam libertatem opprimendam, firmitate & robore ad obeunda facinora, ſcientiam copiamque dicendi ad circumueniendos ciues ſuos, ad perturbandam remp. ad omnia denique tum ſacra, tum profana permiſcenda, & euertenda conuertet. Da hæc eadem vero, miniméque

Bona externa in homine non philoſopho male collocata eſſe

fucatam

fucato philoſopho deum quendam ad bene faciendum humano generi e cælo demiſſum eſſe dices. Atque hoc illud eſt, quòd in Alcibiade minore ſiue Plato, ſiue Xenophon diſputat, ea quæ ſuapte natura bona ſunt, ſiue ſcientia eius quod optimum eſt, quam eandē & philoſophiam eſſe ſtatuo, ad perniciem non ad ſaltem valere. O præclaram laudem philoſophiæ, cuius opene mala quidē nocere, qua detractu ne bona quidem prodeſſe poſſunt. Meritò dixit Plato, nullum à diis datum eſſe hominibus ea maius aut præclarius donum. meritò Cicero, vnum diem ex eius præceptis actum immortalitati anteponendum. Neque verò non illud ad eius, de qua propriè ſermo nobis inſtitutus eſt, philoſophiæ laudem ac commendationem facit, quòd omnia propemodum, quæ à veteribus de philoſophia honorificè dicta ſunt, ad hanc pertinent, quæ in vitæ oc morum emendatione verſatur. Non enim Plato, cùm illam nobiliſſimam vocem, tanquam ex oraculo, edidit, tum demum beatas ciuitates fore, cum aut regnarent philoſophi, aut

Natura bona, mala ſunt à non philoſophis.

Laudes philoſophiæ ad moralem reſtringit.

reges

reges philoſopharentur, intellexit, tum id euenturum, cùm reges aut in diſſerendi ſubtilitate, aut in peruestigandis rerum naturalium cauſis occupati eſſent, quæ quanquam præclara ſunt, longiſſimè tamen abſunt ab eo, vt beatas reſpublicas efficere poſſint, ſed, cum virtutis pulchritudine incenſi omnes vires ſuas ad eam non cognoſcendam modò, ſed exercendam, excolendam, propagandam contuliſſent. At contrà quidquid inanibus imperitorum ac maledicorum ſermonculis aduerſus philoſophiam iactatum eſt, quoſcunque in eam aculeos ſcurrilis quorundam libido coniecit, quidquid ad minuendam ipſius dignitatem veteris comœdiæ licentia effutiit, id omne, ſi diligentius excutiatur, ad dialecticos potius, & ad phyſicos, quàm ad politicos, pertinere videbitur. Quod ſi vllus in orbe terrarum locus eſt, vbi politicen florere, ſuámque dignitatem obtinere deceat, Romæ id, Romæ potiſſimum fieri debet, cui vrbi à primo ipſius ortu diuino permiſſu datum eſt, vt aliis imperaret, vnde leges, vnde iura, vnde religionem cæteræ nationes & olim

Romæ vrbis laus.

petie

petierunt, & nunc petunt, vnde quondam extiterunt tam multi clari viri, qui hæc præcepta, quæ nos tradituri ſumus, exemplo ſuo comprobarunt. Nolite enim putare illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Lælios, cæteróſque præſtantes viros, quos olim hæc vrbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, ſtatuas tanta cum admiratione intuemini, quod de philoſophia neque diſputarunt ferè, neque ſcripſerunt, eò minus philoſophos fuiſſe. Vita illi, non oratione, factis, non dictis, moribus, nõ ſermonibus, philoſophabãtur, quod pulcherrimum ac veriſſimum eſt philoſophandi genus. Integritatem, iuſtitiam, fidem, fortitudinem, omnem denique virtutem & colebant ipſi, & alios colere iubebant. eo ad tantã maieſtatem atque amplitudinem peruenerunt, vt pleræque gentes, quòd ipſæ olim à talibus viris ſubactæ ac ſuperatæ ſint, quàm quòd ipſæ alias deuicerint, præclarius ſibi ac glorioſius ducant. Quantam oportet gloriam fuiſſe vincentium, cùm victi tot poſt ſecula

Veriſſimũ philoſophãdi genus.

glorientur? Eorum ego potiſſimum e-xemplis, adoleſcentes, incitabo vos quotidiè atque exacuam: neque vllam ex Ariſtotele præceptum proferam, cuius non ex hac vrbe plurima maximeque illuſtria exempla reperiantur. Conſtitui enim, quando Pius optimus ac ſanctiſſimus Pontifex, qui ipſe omnis virtutis perfectiſſimum exemplar eſt, cum mihi honorem detulit, vt à me virtutis & officij præcepta vobis proponi atque explicari voluerit, modis omnib. eniti, vt ea non arido, & inculto, & moleſtis implicato quæſtionibus orationis genere proſequar: ſed quantum id quidem in me erit, florido, & vbere, & quaſi ſtellis quibuſdam, ita petitis ex vetere hiſtoria exemplis illuminato atque diſtincto. Peto autem à vobis, vt, ſi & in ijs rebus, quas tractare inſtitui, ſummam dignitatem ineſſe cernitis, & me nullis vigilijs, nullis laboribus, nulli denique rei parcentem, vt veſtris commodis conſulam, videbitis, induſtriam meam diligentia ac beneuolentia veſtra adiuuetis.

Pius Pontifex Maximus.

D I X I.

ORATIO QVINTA HABITA ROMAE VII. ID. NOVEMB. ANNO CIↃ. D. LXVI.

SVperiori anno, cùm iniunctũ mihi Pontificis auctoritate, munus obire inciperem, multa dixi de laudibus Philoſophiæ, cohortatúſque vos ſum quàm potui diligentiſſimè, ſi tranq. illitatem vitæ, ſi libertatem, ſi dignitatem atque honeſtatem, ſi ſalutem denique & veſtram, & publicam charam haberetis, vt, quæ ars tranquillaret animos, quæ eos à teterrima vitiorum ſeruitutę in iuſtam plenámque libertatem aſſertos ad verũ decus quod in virtute poſitum eſt, traduceret, quæ denique & ſingulos priuatim, & publicè totas ciuitates conſeruaret, eius in ſtudium toto pectore, alia omni cogitatione poſthabita, incumberetis. Quam cohortationem meam etſi non præteruectam eſſe aures veſtras, ſed in animis plurimorum penitus inſediſſe vel ex eo probabiliter intelligi potuit, quod mihi poſtea ex hoc ipſo loco philoſophię præcepta tradenti ſatis frequentes aſſiduam operam dediſtis, facere tamen pro meo erga vos amore non poſſum,

Philoſophia vtilitas ſumma.

quin vos hoc quoque tempore non adhorter tantùm, ſed obſecrem etiam, & obteſter, qui iam iter illud ingreſſi eſtis, vt conſtanter perſequamini, qui nondum, vt id vobis, primo quoque tempore ingrediendum eſſe ſtatuatis. Nulla enim vitæ pars, nulla viuendi ratio carere fructu, qui ex eorum, quæ nos quotidie tractamus, cognitione percipitur, ſine maximo incommodo poteſt. Magnum eſt, fateor, rerum naturalium principia causasque noſſe, ſyderum, cæterórumque corporum cœleſtium ſitus, magnitudines, interualla, ſcientia comprehenſa tenere præclarũ, illa verò etiam quam in hæc inferiora vim habeant, quidque ad quamlibet multos annos effectura ſint, ſine vllo errore poſſe prædicere, prope diuinum. Sed certè, quod ne illi quidem ipſi, qui ea ſe docere profitentur, negauerint, eorum, in quibus noſtra exercetur induſtria & fructuoſior cognitio eſt, & pernicioſior ignoratio. Itaque vt nos iis qui abdita illa & retruſa tractant & ingenij acumine & doctrinæ magnitudine, & rerum admirabilitate non inuiti cedimus: ita ipſi nobis niſi valde iniqui

Naturalis ſcientiæ præſtantia.

iniqui ſunt, ea quę diſputantur à nobis & magis neceſſaria eſſe, & vberiores hominum generi fructus afferre fateātur neceſſe eſt. Nullus enim vnquam, quod illa aut nō teneret, aut etiam negligeret, minus ꝓpterea vir bonus, aut minus vtilis patriæ ciuis exiſtimatus eſt, hæc aut ignorata, aut neglecta non ſingulos modó perdiderunt homines, ſed integras funditus afflixerunt, & euerterunt ciuitates. Nos, quæ adoleſcentum, quæ conſtantis ætatis, quæ ſenum officia ſint, quærimus, nos quid domi, quid militię, quid à priuatis, quid ab ijs, qui cum imperio ſunt, præſtari debeat diſputamus, ex nobis intelligit pauper quo modo tolerare inopiam diues, quo modo vti diuitijs debeat, à nobis quid inter patrem & liberos, quid inter virum & vxorem quid inter fratres, cognatos, amicos, ciues, quid denique inter omnes homines obſeruari par ſit explicatur nos fortitudinis nos temperantiæ, nos liberalitatis, nos iuſtitiæ cæterarumque virtutum vim atque naturam diſputationib. noſtris patefacere atque illuſtrare conamur. Sine horum præceptorum cognitione

vtiliorem eſſe phyſica.

Quid moralis profiteatur.

Moralem oratori

Iurecon-ſulto, & theologo eſſe neceſſariam.

muta conticeſcet eloquẽtia, manca, & mutila erit iuris legúmque cognitio, illa ipſa domina & regina artiũ theologia animos requirit diligenti harum rerum tractatione præparatos atque præcultos. Quæ cùm ita ſint, quamcumque quis vitæ viam ingredi parat, ita ſtatuere debet, cæterarum philoſophiæ partium cognitionem ſibi & vtilem, & honorificam, huius planè neceſſariam eſſe. Sed ſunt quidam peruerſo homines ingenio, qui cauſſas, propter quas & ipſi à pulcherrimo ſtudio abſtineant, & ab eodem cæteros auocent, comminiſcuntur. Partim enim communia & contrita eſſe dicunt, quæ hîc docentur, vt ad ea percipienda doctore nihil opus ſit, partim non habere eam vim, vt ad virtutis ſtudium excitent, cuius rei argumentum capiunt ex eo, quòd innumerabiles & olim fuerunt, & hodie ſunt, qui cùm hæc omnia ſe ſcire profiteantur, nequiſſimè tamen & flagitioſiſſimè viuunt. Quibus vtríſque breuiter reſpondere inſtitui, & afficere, ſi poſſum, vt ij, qui iſta temerè iactant, cognoſcant errorem ſuum, cúmque ſe nihil dicere videant, ſententiam mutẽt,

Refellit eos, qui moralem philoſophiã damnant.

ſin

ſin minus, nihil eſt enim difficilius, quã vincere pertinaces, certè quidẽ, vt ne alij ſtultitiæ & maleuolentiæ pleni eorum oratione moueantur. Primũ igitur agamus cum iſtis, qui, vt ad cibos nimium dulces, ita ad diſputationes nimium apertas & faciles nauſeare ſe dicunt. Ex quibus libenter quæſierim, qui tandem fiat, vt, quibus rebus omnes ad alia ſtudia inuitari atque illici ſolent, iiſdem ſe ipſi ab hoc ſtudio auerti abſterrerique dicant. Certè enim, cùm ea, quæ docuerũt vtilia & præclara ſunt, ſi eodem accedit, vt clara, perſpicua, aperta, cognitu facilia ſint, eò maiores concurſus ad eos qui illa docent fieri conſtat. Quid igitur cum illis agas, qui quæ res ad conſilianda cæterorum ſtudia plurimùm valere conſueuit, ea ſe ipſi tardari ac retrahi aiunt? Ego verò, etiam ſi præcepta virtutis quamlibet multis obſtructa difficultatibus forent, laborandum tamen, & ſudandum, & nunqnam niſi eis cognitis ac comprehenſis conquieſcendum putarem, nedum ea, quia, vt iſti volunt, à quolibet non tardiſſimo neq; inertiſſimo percipi poſſũt, omittenda aut mi

Facilitas moralis philoſophiæ non contēnenda.

noris faciēda cenſeam. An de rebus ad vitam nihil pertinentibus inter homines eruditiſſimos ſumma cōtentione diſputabitur, in eiſque, quia inuolutæ & propè inenodabiles ſunt, opera præclarè collocari videbitur: hæc quæ vitam omnem continent, vt nimis obuia & in medio poſita, negligentur? Quanquā quid diutius ita diſputamus, quaſi eis concedamus, quod volunt, nihil hîc doceri, quod non aut etiam vulgò notum ſit, aut quiuis ſine doctoris opera facilè conſequi poſſit? Ergo ille omnium, qui tunc erat, mortalium, vt creditum eſt, ſapientiſſimus Socrates, qui nulla vnquam alia de re, quàm de virtutibus & vitiis diſputauit, vulgaribus & ſatis per ſe notis in rebus ſpatiū ætatis omne conſumpſit? Quid Plato? quid Xenophon? quid Ariſtoteles? quid cæteri ſuæ quiſque ætatis principes viri? quid erat cauſſæ, curtam multa in hoc genere ſcripta poſteritati relinquerent, ſi nihil egregium, nihil exquiſitum, nihil excellens, ſed ea tātum quæ quilibet è populo ſatis per ſe intelligeret, literis mandaturi erant? Vidilicet, quia iuſtitiam, fidem, temperan

Moralem non tam facilē eſſe quàm vulgò creditur.

rantiam, liberalitatem omnes aſſiduè in ore habent, neque quiſquam eſt, ne ex ima quidem fæce vulgi, quin ſe de eiuſmodi rebus optimè iudicare poſſe confidat, idcirco nullam magnam eruditionem in eis cognoſcendis ſitam eſſe arbitrantur. Quod tamen longè ſecus eſt, intereſtque nimium quantùm inter eos, qui tantùm tenent nomina, & eos, qui ex eruditorum hominum ſcriptis ac ſermonib. de reb. ipſis verè iudicare didicerunt. Plena eſt exemplorum vita communis, ex quibus facilè intelligi licet, quàm ſæpe vulgus hominum in iudicandis virtutibus vitijsque fallatur. Quod ni ita eſt, cedo cauſſam, cur qui nimis, lenonibus, paraſitis, adulatoribus plurima largiuntur, & ſuo & multorum iudicio ſunt liberales, cur multi reſtricti, tenaces, ſordidi, qui facilius patiantur ſibi dentem vnum ex ore excuti, quàm nummum vnum ex arca moueri, parcimoniæ ac frugalitatis nomen ferant, cur tam multi ad audendum proiecti & temerarij commendentur pro fortibus? tam multi timidi & ignaui pro cautis & conſideratis prædicentur. Quid? iuriſ-

Peruerſum populi iudicium.

Iuriſcon-ſultorum ſcopus

conſultorum vigiliæ in quo conſumuntur, quid ſpectant eorum labores, qua in re eorum acutiſſima exercentur ingenia, niſi vt videre ac diiudicare poſſint, quid in quaque re iuſtũ iniuſtúmue ſit? Non igitur vt nimium facilis, diſpicienda eſt ars ea, quæ virtutum omnium vim naturámque pertractat, cùm in vna virtute cognoſcenda videamus tamdiu, tanta diligentia, ab hominibus ſummo ingenio præditis laborari. Informauit quidem natura, & impreſſit in animis noſtris adumbratas quaſdam virtutum & vitiorum omnium notiones, ſed illę tantam vim non habent, vt quiſquam eis fretus cõfidere debeat, ſe ſine diſciplina verè de rebus expetendis fugiendiſque iudicaturum. Quod ſi nos nihil aliud, niſi hæc tã vtilia, támque ſalutaria quamlibet nudo & inornato dicendi genere traderemus, calumniari tamen nemo nos poſſet, niſi alienæ nimis iniquus æſtimator induſtriæ, vt in rebus nimium peruulgatis & facilibus occupatos. Nunc cùm & ad ſalubres animorum epulas condimentum ſermonis quantùm in nobis eſt, adhibeamus, &

Naturalẽ virtutũ notionem nõ ſufficere.

res ſuapte ſponte pulcherrimas, tum præſtantiſſimorum omnis æui ſcriptorum teſtimonijs fulcire ac corrobare, tum inſatiabili quadã veterum exemplorum copia exornare atque illuſtrare ſoleamus, tamen ne inuenientur, qui eleuare labores noſtros audeant quæque præſtantur à nobis ijs ſudoribus, ac vigilijs, quarum ipſi nobis conſcij ſumus, ea quemlibet vnum è multis ludibundum perficere poſſe contendant? Qui ſi periculum facerent ipſi, quam non quarumlibet viriũ ſit munus hoc ita vt nos facimus, ſuſtinere & exequi fortaſſis, experientia edocti, minus de ſe elatè ac magnificè ſentirent, minus de alijs maledicè contumelioséque loquerentur. Sed omittamus iſtos, neſcio enim quo modo factum eſt, vt de re dicere ingreſſus, de me plura quàm volueram dixerim, quod ipſum vt facerem, quorundam me hominum, quos nominare nihil neceſſe habeo, iniquitas coegit. Difficilior cum eis luctatio eſt, qui negant, ſermonibus noſtris quemquam ad virtutem incitari, ídque ex eo colligunt, quòd ſæpiſſime contingit, vt qui optimè loquuntur, peſſimè viuant.

Ratio negantium moralem Philoſophiam prodeſſe.

Nos

Nos verò ſi diceremus eam in diſputationibus philoſophicis ineſſe vim, vt ex audientium animis vitia radicitus euellere, virtutéſq; eiſdẽ ingẽerare poſſent, meritò vt vani atque inpetè glorioſi reprehẽderemur. Multas magnaſque mercedes, vt ait Theognis, ferrent Philoſophi, ſi, qui quemadmodũ Circe herbis & cãtibus ſuis homines ſtatim conuertebat in feras, ita ipſi ſuis ſermonibus ex feris homines facerent, id eſt, homines ferarũ ſimillimos ad virtutẽ à vitio, ad rationem à furore, ad humanitatẽ ab immanitate, reuocarẽt. Et tamen aliquid ſe aliquando eiuſmodi effeciſſe philoſophiæ gloriari licet, Producet enim Polemonem ab infami vita morbúſque perditiſſimis ad bonam frugem & ad ſeueritatem vnica Xenocratis diſputatione reuocatum. Sed vt non feréque in omnibus campis agricultura, ita non in omnibus animis philoſophia idem efficit. Illud quidem certè negari nõ poteſt, aut nullam omnino eſſe artem, quæ medeatur animis quæ quãta ſit in vitiis deformitas, quãta in virtute dignitas, doceat, quæ ab illis auertat, ad hanc incitet, aut eum

Polemon Xenocratis oratione ad bonã frugẽ reuocatus

hono

honorem philoſophiæ potiſſimum eſſe tribuendum. Quòd autem obiiciunt pleroſq;philoſophorum factis dogmata ſua euertere, neque ignẽ aquæ magis contrarium eſſe,quàm eorum mores orationi:ita enim loqui,vt vitio:ita viuere, vt virtuti bellum indixiſſe videantur:vtinam tale eſſet, vt id nobis inficiari liceret. Eſt enim acerbiſſimũ negare non poſſe,quod ſit turpiſſimum confiteri.Sed quoniam iis, quæ omnibus nota ſũt,fidem abrogare velle dementiæ eſt:non negabimus verum eſſe,quod obiicitur: tantùm deprecabimur,ne propter hominum vitia res ipſa in inuidiam vocetur,néue, quorum facta meritò auerſamur,eorũdem ſermonẽ immeritò repudiemus. Vt enim quorumdam ex Epicureis dogma reprehenditur,vita laudatur: ſic horum vitam reprehẽdere,doctrinam amplexari debemus. Polycletum inſignem ſtatuarum opificem tradunt librum de artificio ſuo edidiſſe,quem Canona,id eſt Regulam inſcripſit: quo libro omnia:quæ in ſtatua hominis fingenda obſeruari cõueniret,quæ ſingularum partium minimarum maximarum figura eſſet,

Plerique philoſophorum aliter quã deceat viuunt.

Polycletica ars.

eſſet,qui ſitus, quæ inter ſe proportio, ſubtiliſſimè & acuratiſſimè perſecutus eſt.eodem autem tempore ſtatuam à ſe factam publicè propoſuit, in qua ea omnia diligentiſſimè obſeruata erant, ne quid præcipere alijs videretur,quod non ipſe præſtaret, quā ſtatuam ipſam quoq; Canona nominauit. Vellē eandē rationem philoſophi teneremus,neque tm̄ traderemus alijs præcepta, ad quæ vitam ſuam dirigerēt, verum etiā vitā noſtram ad ea conformatam oſtenderemus.Magna ſine vlla dubitatione p̄ceptis noſtris ex eo accederet auctoritas.Sed,quādo id optādū potius quàm ſperandum videtur, quod in frugibus, in fœtibus arborum, in corporib. animantium,quibus veſcimur,facimus, vt reiectis & amputatis ijs, quæ inutilia ſunt,ijs,quæ prodeſſe poſſunt,vtamur, idem in hoc genere Philoſophorū faciendum eſt,vt,reiecta eorum turpi flagitioſáque vita,grauem ſeuerámq; doctrinam non auribus tantùm,ſed multò magis animis combibamus.Non enim,ſi qui ex medicis cibo ſe & potu aliquando ingurgitant, eò illis continentiam præcipientibus, qui ſapiunt, minus

Philoſophorū præcepta cum vita ſpectanda.

minus parent,ſed,illi quidẽ quid agãt, non laborant,artis autem ipſius placitis decretis obtemperant. Nam cùm alicuius mores & præcepta congruunt ac concinunt,tunc aut vtraque laudanda ſunt,aut vtraque vituperanda, cùm diſcrepant & diſſident, cauſſa nulla dici poteſt,quin alterum retinendum ſit, alterum reijciendum , horum à dictis facta ita diſtare conſtat , vt non cœlum à terra longius diſtet,ſunt autem facta turpiſſima , igitur ſermones quibus ea ipſa facta damnantur,ac reprehenduntur, digniſſimi qui audiantur. Atque,vt medici,quo maiorem auctoritatem arti ſuæ concilient,ſolent interdum enumerare quoſdam è præcipuis auctoribus diſciplinæ ſuæ,qui,quod ita ſe compararunt,vt præcepta ſua non oſtentationem ſcientiæ,ſed legem vitæ putarent, diutiſſimè ſaluberrimeque vixerunt,ita nos nihil,ſi volumus,impedit,quamlibet multos Philoſophos nominare, qui,quod decretis ſuis paruerint,quaſque leges alijs proponebant,ipſi ſeruauerint,meritò ſunt apud omnes populos nunquam intermorituram gloriam conſecuti. Illi fortaſſis nominabunt

Hippo

Tres medici qui diu incolumes artis ope vixerunt. Hippocratem, Aſclepiadem, Galenum, quorum primus vſque ad annum centeſimumquartum ætate prouectus eſt, alter eo proceſſit artis ſuæ fiducia, vt auſus ſit cum fortuna ſponſionem facere, ne medicus haberetur, ſi vllo vnquam morbo tentatus eſſet, & victor, cùm ad extremam ſenectutem ſine vllo morbo perueniſſet, ſcalarum lapſu exanimatus eſt, tertius cum imbecilliori valetudine vſus eſſet adoleſcens, ita eā arte corrēxit, vt ad ſeptuageſimum annum peruenerit. *Socratis encomiū.* Nos è philoſophię caſtris ad repellendos ipſius vituperatores primum quidem in aciē educemus illud honeſtatis, illud modeſtię, frugalitatis, innocentiæ, fortitudinis, omnis denique virtutis ſpecimen & exemplar Socratem, qui ita locutus eſt, vt ex eius ſermonibus omnes quæ poſtea cōſecutæ ſunt, philoſophorum diſciplinæ fluxerint, ita vixit vt hodie quoque nomen illius non hominis, ſed integritatis & innocentiæ nomen putetur. *Xenophon. Plato.* Cui ſuccedet par illud nobile in eodem inſtitutum ludo Xenophon & Plato, quorum vterque ſummam in diſſimili genere eloquentiæ laudē pari

vitę

vitæ grauitate cumulauit. Proximè hos Xenocrates: de cuius eloquentia dicit Polemo: de continentia Phryne: de frugalitate & cõtemptione pecuniæ Alexander: de fide & iuſtitia vniuerſus populus Athenienſis, qui eum, dicto publicè teſtimonio, ad aras iurãdi cauſſa accedẽtem, vna voce reuocauit, ac iurare vetuit: parum ſibi decorum ratus, tam ſpectatæ fidei viro, niſi iurato, nõ crediditſſe. Inde æternum Alexãdri crimen Calliſthenes, vnòque verbo tota vetus Academia, & Lyceum, & illa non tam Myconis & Polygnati picturis, quàm Zenonis & Chryſippi diſputationibus nobilitata porticus, quibus ex omnibus quaſi virtutis & doctrinæ officinis innumerabiles viri incertũ doctiores an meliores prodierunt. Agmẽ claudent Epictetus, Plutarchus, Muſonius, cæteríque illi ætati ſuppares, quos ita philoſophatos accepimus, vt iis, quibus cum viuebant, ad omnia recta & laudabilia non voce magis quàm exemplo præirẽt. His copiis facilè ſperamus fore, vt eorum, qui philoſophiã maledictis inceſſere audẽt, retundatur audacia. Qui ſi ita victi erunt, vt dein-

Xenocrates philoſophus vita & doctrina ſummus.

Epictetus Plutarchus Muſonius.

ceps in noſtrum ſe numerũ aggregari velint,& in eius ipſius, quam oppugnabant,caſtris ſtipendia facere incipiant, victoriam adepti erimus longè ei diſſimilem,quam veteres Cadmeam nominabant. Illa enim & victori luctuoſa erat,& victo, hæc & victoribus erit lætitiæ,& victis ſaluti. Sin cùm ſe fractos ac perculſos videant,permanebunt tamen in eadem prauitate atque obſtinatione animi,&,vt ignaui canes, philoſophiam, ad quam propius accedere non audent,eminus allatrabunt: vos tamen,optimi adoleſcẽtes, quorũ cauſſa hic à me inſtitutus eſt ſermo, quibus mei labores ſeruiunt,quorũ ad vtilitatem omnes mei conatus, omnes vigiliæ,omnia ſtudia referũtur, vrgete conſtanter propoſitum,neque patimini vos cuiuſquam ſermonibus à ſuſcepto ſtudio abduci. In ea ætatis parte conſtituti eſtis, in qua & ingenium ad omnia percipienda docilius, & corpus ad tolerandos ſtudiorum labores firmius eſſe conſueuit. Videte, vt eam iis in ſtudiis collocetis, quæ vobis olim maximo & vſui, & ornamento futura eſſe cognoſcitis. Atque,vt obtrectatoribus

Cadmea victoria.

tribus noſtris eripiatis omnem anſam maledicentiæ, connitimini, quantum poteſtis, vt virtutis & officij præcepta, quæ ex me quotidie audietis, non tantùm excipiatis animo, verumetiam vita & moribus exprimatis.

DIXI.

ORATIO SEXTA HABITA ROMAE POSTRIDIE NON. MART. AN. CIↃ D. LXV.

QVod principio me, cùm hos libros explicare ingrederer, dicere meminiſtis, accuratam eorum tractationem & intelligentiam cùm ad omnes vitæ partes vtiliſſimam, tum iis qui in iure ciuili excellere, locúmque aliquem, non inter circunforaneos iſtos clamatores, ſed inter veros & graues & veterum illorum ſimillimos iuriſconſultos obtinere meditarētur, neceſſariam eſſe, id & aliqua iā ex

parte, quam verum ſit, iudicare potuiſtis, & ex ijs præcipuè, de quib. in hoc libro diſputabimus, intelligetis. Ingrediendum enim nobis eſt duce & quaſi myſtagogo Ariſtotele in auguſtiſſimũ & religioſiſſimum iuſtitiæ templum, luſtranda oculis omnia illius adyta, contemplanda in primis ipſius deæ forma, & tum quæ quantaque vis illius poteſtasque ſit, tum quibus ipſa ſe rebus, quibus ritibus coli gaudeat, cognoſcendum eſt. Hæc illa eſt, auditores, omnium domina & regina virtutum, à qua in omne hominum genus leges & iura manarunt, quæ benefactis honores & pręmia, malefactis ignominias & ſupplicia proponens, ſtudia bonorum excitat, malorum improbitatẽ coercet, qua ſublata, non domus vlla, non ciuitas, non hominum inter ſe ſocietas, non ipſa denique vniuerſitas rerum ſtare ac tueri ſe punctum temporis poſſet. Etenim, quoniam hodiernus dies cęterę diſputationis proluſionem modò quandam habiturus eſt, dabitis mihi hanc veniam vt paulò altius huius ſermonis principia repetens, percurram ea quæ priſcis temporibus,

Myſtagogo, id eſt, inquiſitore & prætore.

Iuſtitiæ laudes.

ſumma

ſumma ſapientia præditi homines de iuſtitia tradiderunt. Iuſtitiæ originem à cœlo eſſe dicebant, illic eam & vigeſe, & ex omni æternitate viguiſſe, certo illic ordine atque immutabili quadam lege gubernari omnia, ideoque æterna atque immortalia eſſe. In iis autem, quę ſub orbem lunæ ſubiecta ſunt, abſolutam quidem illam & omni ex parte perfectam iuſtitiam materiæ vitio cerni non poſſe, eſſe tamen aliquā cæleſtis illius imaginem, alibi expreſſiorem, alibi minus expreſſam, futurum enim alioqui, vt permiſcerentur ac corruerent omnia. Atque vt quæque res plura & certiora illius veſtigia retineret, ita eſſe eam perfectiorem, ſtabiliorem, immortalitati viciniorem, vt pauciora minúſque certa, ita minus perfectam minúſque conſtantem, pluribúſque caſibus atque interitu denique obnoxam. In elementis hoc primùm notari volebant, eáque dupliciter conſiderabant, quatenus vnumquódque eorum totum quiddā atque integrum eſt, & quatenus ad compoſitionem quaſiq; coagmentationem cæterorum corporum particulæ quædam illorum

Iuſtitiæ origo ſecundum veteres.

Iuſtitia in elementis

aſſiduè permiſcentur ac temperantur. Tota igitur elementa niſi ſedes ac regiones ſibi à natura datas atque attributas obtineant, ſi irruere in alienas & migrare conentur, ſi ignis proximè ſibi ſuppoſitam animam ſpirabilémque naturam depaſcat, & abſumat, ſi aqua non contenta iis terminis, quos pegit Deus, terram operiat & obruat, quis non intelligit, peritura funditus omnia, & talem quandam confuſionem, qualem poetæ ante orbem conditum fuiſſe fingunt, cōſecuturam? Quid cum partes eorum copulari ac coaleſcere ad alia corpora progignẽda & conſtituenda oportet, nónne iuſtitia quadam tẽperationis illius moderatrice opus eſt, vt tantum cuiúſque pro rata portio ne quātū ſatis eſt, admiſceatur? In illa etiam quadripartita tempeſtatum varietate, qua diſtinctus eſt annus, idẽ obſeruari poſſe dicebant quæ cùm ita eunt, vt quadam ipſius naturæ quaſi lege ſancitum eſt, hoc eſt, cùm & tellus conceptis ſeminibus hyberno frigore adſtringitur, & vernis modicis imbribus ac tempore laxatur, cū & fruges fructúſq; arborū æſtiuis caloribus probè

Chaos intelligit.

Iuſtitiam omni tempeſtate.

probè percoquuntur, & eodem ſub autumnum remittente ſe paulatim ac frangente miteſcunt, tum ſaluberrimus annus eſt, & maxima rerũ ad victũ neceſſariarũ vbertate ac copia inſignis, cùm contrà fit, tum & caritas exiſtit annonæ, & variis morborum generibus omne genus animalium tentari ſolet. Cúmque vnuſquiſque noſtrum duabus ex partibus coniunctus concretúſque ſit, corpore & animo, earum partium ex vtraque quæ iuſtitiæ iniuſtitiæque vis eſſet, liquidò perſpici poſſe aſſeuerabant. Omnia enim mala, omnia damna, omnem perniciem & corporibus & animis ex iniuſtitia euenire, iuſtitia ſalutem, incolumitatem, bona denique omnia effici ac contineri. Nam cùm in corporibus quatuor ſint, quæ quatuor elementis proportione reſpondeant, ignis flaua bilis, animæ ſanguis, aquæ pituita, bilis atra terræ, quandiu hæc cum æquabilitate quadam inter ſe permiſta ſunt, valemus ac vigemus, cùm eorum aliquod aut potentius, aut infirmius, aut plus aut minus iuſto eſt, aut ſe à commutione cæterorum ſegregauit, conſli

Iuſtitia in corpore.

ctamur variis morbis, tandémque interimus. Qua de re principis medicorũ Hippocratis in libello de natura hominis hæc verba ſunt. Corpus hominis habet in ſe ſanguinem & pituitam & bilẽ duorum generum, flauam & nigram ex iis omnibus ipſius corporis natura eſt, eis fit, vt & doleat, & bene valeat Bene igitur valet, cùm ea moderatè inter ſe affecta ſunt & temperatione & poteſtate & copia, maximéque ſi permiſta ſint, dolet autẽ, cum eorum aliquod aut plus aut minus eſt, aut in corpore ſecretum, neque cum cæteris omnibus temperatum. Hæc Hippocratis verba ipſa expreſſi, quibus intelligimus, in ęquabilitate, cuius effectrix iuſtitia eſt, ſitam eſſe bonam corporis conſtitutionem. Sed ne aliquidẽ corpus vtiliter ac ſalutariter ſine aliqua imagine iuſtitiæ poteſt. Niſi enim vis aliqua ſit, quæ & ſiccum & humidum alimentum vbi iam coctum atque confectum & in ſuccum ad ſanguinem conuerſum eſt, æquabiliter diſtribuat ac diſpertiat, atque id quod cuiq; parti aptum & accommodatũ eſt, & quãtum opus eſt tribuat, neq; alias partes tumidas

Cauſa ſanitatis & morborũ ſecundum Hippocratem.

Iuſtitia in nutritiõe corporis.

tumidas & redundantes, alias exhauſtas & enectas eſſe patiatur, facilè intelligimus, hæc tam admirabilis fabrica corporis noſtri quantam deformitatem habitura, & quàm citò ruitura ſit. Atque hæc in corporibus. Quid in animis? quantum bonorum à iuſtitia, quantum malorum ab iniuſtitia effici creditis? In quibus cùm pars vna ſit, qua intelligimus, qua ratiocinamur, qua proximè diuinam naturam accedimus, altera, quæ rationis ipſa quidẽ per ſe particeps non eſt, ſed obtemperare tamen rationi poteſt, cùm quod fieri ius eſt, id ſit, hoc eſt, cùm pars illa ſuperior imperat, & tanquam habenas tenẽs, currum regit, paret altera, & quo illa cumque ducit ſequitur, tum omnis honeſtas, omnis dignitas, omnis officij ac virtutis ſplendor elucet, at cùm excuſſo ac depulſo rationis iugo, cupiditas, quaſi ſeditioſus aliquis ac turbulẽtus ciuis, faſces arripuit, in arcem inuadit, mentem de ſua ſede contra ius fáſque deturbat, tum, vt nauis diſcordibus acta ventis, ſic hominis vita contrariis & inter ſe pugnantibus fœdiſſimarum libidinum flatibus agitata, in

Duæ animi partes.

Iuſtitia in animo.

Iniuſtitia quantum animo noceat.

omnem ſcelerum ac flagitiorum turpitudinem præceps ruit. Ipſis igitur & animorum & corporum noſtrorum inter ſe partibus, vt vtriſque benè ac beate ſit, iuſtitiam quandam intercedere neceſſe eſt. Sed idem in ſocietatibus conuictúque hominum multò euidentius multóque illuſtrius cernitur. Quo modo enim paterfamilias cum vxore, cum liberis, cum ſeruis, quæ primæ coniunctiones ſunt, conuenire poterit, quæ eis omnibus vita erit, niſi & ille iuſte imperet, & hi iuſte pareant? Si vir in vxorem iniurius ac contumeliosus eſſe velit, neque eam pro comite indiuidua vitæ, pro diuinorum humanorúmque omnium ſocia, ſed pro ſcorto aut pro ancilla habere, ſi vxor ſua domeſtica curatione non contenta, implicare ſe aliis rebus & viri partes præripere conetur, neque ſe ei morigeram præbeat, ſi vterque liberos in ſeruorum, ſeruos in pecudum loco ac numero habeat, duriorique eos quàm ius eſt imperio premat, ſi liberi parentum, ſerui dominorum imperium detrectent, eiſque obtemperare ac dicto audientes eſſe abnuant, quis

Iuſtitia ſocietati humanæ prorſus neceſſaria.

Iniuſtitia mirum quantum côiugium ſoleat labefactare

non videt nullam in domo ita inſtituta cōcordiam, nullam beneuolentiam, nullam animorum voluntatúmq; conſociatiōem, plena perpetuò omnia rixarum, diſcordiarum, querelarum, cōtentionum fore? vt in qualibet ſolitudine, in quamlibet vaſtis ac deſertis, & ab omni hominum cultu ac conſortio remotis locis ſuauior vita, quàm in ea domo, vnde iuſtitia exulet, eſſe videatur. Ita omnem fructum, omnem dulcitudinem, omnem amabilitatem vitæ, vitam denique ipſam tollit è vita, qui iuſtitiam tollit. Egrediamur, ſi videtur, domo & in forum ac publicum prodeamus. Quis eſt omnium, qui eū, quem iniuſtum eſſe opinetur, aditu, congreſſione, ſermone dignum iudicet? qui eum, quaſi maleficum aliquod & noxium animal, refugiat, auerſetur, odio habeat? quin eius congreſſum dirum ſibi ac tetrum atque ominoſum putet? Quāuis enim omnia vitia bonis viris odioſa atque inuiſa ſint, tamen iniuſtitia præcipuè alienat ab iis, ī quibus eſt, aliorum animos: omniúmque ſibi odia conflat, conciliat, colligit. Cæteris vitiis affectos aliquo modo ſe rimus

Iniuſtus homo cui q; odioſus ſit.

Iniuſtitiā

eſſe vitio- rum inui ſiſsimum. ximus, quibuſdam ignoſcimus, quibuſdam non nimis offendimur, quibuſdā in hac vitę ac morum corruptione etiā oble&amur, prodigos multi amant, auaros tolerant, multos aliena intemperātia non offendit, qui voluptates nimis refugiunt, etiam ſeueritatis ac caſtimoniæ laudem ferunt, audacium in bello interdum aliquis vſus eſt, timidis & nimis cupidis vitæ ignoſcitur, iniuſtus communi omnium mortalium odio flagrat, ſuis, alienis, ciuibus, peregrinis, notis, ignotis iuxta omnibus inuiſus, exoſus, intolerandus eſt. Itaque etſi illud omnib. hominibus à natura tributū eſt, vt rarò ſua vitia agnoſcāt, eáque modis omnibus tegere & occultare conentur, aut etiam eis virtutum nomina imponere, vt ſe prodigi pro liberalibus, auari pro parcis ac frugi, timidi pro cautis ac conſideratis, audaces pro fortibus haberi & prædicari velint, facilius tamen reperias, qui ſe auarum, timidum, audacem, libidinoſum, *Iniuſtitia ſola inter vitia inexcuſabilis* quàm qui iniuſtum eſſe fateatur. Quin etiam cæteris vitiis ſuis hāc aut defenſionem, aut excuſationem prætendere ac prætexere conſueuerunt, ſei n nemi

nem

nem iniurios eſſe. Auarus ſum, fateor, ſed ita, vt mea cõſeruem, ſuo neminem fraudem. Prodigus, ſed cui, vt largiar, eripio? in quem contumelioſus ſum? In dulgeo voluptati, hilarè viuo, quidq̃d animo meo collubitum eſt, facio, ſed quid tum poſtea, meæ libidines nemini nocent. Et ita ille apud Terentium ho mo impuriſſimus,

Leno, inquit, ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium, *In Adelphis.*
Periurus, peſtis, tamẽ tibi à me nulla eſt orta iniuria.

Videte, quàm odioſa, quámque abhorrens à natura ſit iniuſtitia, quàm turpe atq; inuidioſum iniuriam facere, cùm qui negare non poſſunt aliis ſe vitiis implicatos atque illaqueatos teneri, dum hoc careãt, ferri ſe non poſſe tãtum, ſed propemodum etiam debere arbitrentur Ciuitates verò & regna, & imperia quæ res alia niſi iuſtitia aut ini tio fundare ac cõſtituere, ac poſtea tam multa ſecula conſeruare, ac propagare potuiſſet? Nam & conuenerunt homines, & vitam vna colere decreuerunt, cùm ſe æquo iure vſuros, & quod ſuo ſibi labore peperiſſent, eo ſine metu *Iuſtitiam ciuitates & regna conſtituere & ſundare.*

frui

fruituros eſſe,neque mœnibus magis, quam legibus à vi atque ab iniuria tutos fore confiderent,& quãdiu id obſeruatur,tamdiu amicè inter ſe ac concorditer viuunt,ſimul atque ab æquitate diſceditur,partes,factiones,ſeceſſiones,ſeditiones,& bella ciuilia exiſtunt. Præclarè, vt omnia,Euripides.

Cuſtodia legum ciuitates continet. Idémque alio loco ait, iuſtitiæ neglectum pleríſq; ciuitatibus exitioſum eſſe.Iuſtitia ciuitates à paruis & humilibus profectæ principiis breui tempore ad magnam potentiam peruenerunt, iniuſtitia florentiſſimæ & opulentiſſimæ breuiori tempore funditus conciderunt. Neque enim adamantinis illis vinculis, quæ Dionyſius ſenior crebro in ore habebat, vi atque metu, ſed iuſtitia & æquitate magna imperia retinentur. Quare ſapienter Perſæ ei ex regiis liberis, qui natu maximus erat, quíque in ſpem regni educabatur,cùm alios ad virtutem magiſtros dabant,tum vnum in primis, à quo iuſtitiam doceretur. Pædalio ſectiam Indicam gentem literis proditum eſt in ſacris publicis nihil aliud à diis,

Vide Aelianum de varia hiſtoria li. 6.c.2. Vide Crinitum 1. li. de honeſta dicipl. ca.2.

diis, quam iuſtitiam petere ſolitos eſſe: quòd eam ſi conſequerentur, affatim ſibi bonorum omnium putarent fore. Iuſtitiam enim & perpetuas illius, vt poetæ loquuntur, ſiue comites, ſiue ſorores, veritatem & fidem pax & amicitia, & bonarum artium cultus, & omnium rerum expetendarum abundantia conſequitur. Eam ſi colerent omnes, nunquam tubæ, nunquam litui audirentur, arma aut exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur, belli, diſſenſionis, inimicitiarum ne nomina quidem hominibus cognita eſſent. Quod ſcitè ſane, & ex patriæ ſuæ conſuetudine Ageſilaus expreſſit, ex quo cùm quæſitum eſſet, vtra eſſet virtus prçſtantior, iuſtitiáne an fortitudo, hæc, inquit, ſine illa tantùm ad perniciem valet, at, illi ſi pareant omnes, huius vſus nullus futurus eſt.

Iuſtitiam fœlicitas omnis cōſequitur.

Tutus bos etenim rura perambulat.
Nutrit rura Ceres, almáq; fauſtitas,
Pacatum volitant per mare nauitæ,
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta dom⁹ ſtrupis,
Mos & lex maculoſum edomuit nefas.

Libr. 4. Carm. ode 5.

Laudantur ſimili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

Iuſtitia aurea ſecula v gēt

quemadmodū ſuauiſſimè cecinit Horatius, vbicunque iuſtitia dominatur, illinc fraudes, illinc doli, illinc periuria exulant, non adulteri, non raptores, non fures, non ſicarij, non venefici, nō latrones, non teſtamentorum ſubiectores, non obſeſſores itinerum, reperiuntur, ea denique propemodum eueniunt, quæ aureæ ætatis hominibus euenifſe memorantur. Nam ne tum quidem aliam ob cauſſam.

Ouidi⁹ 1. Metamorph.

Ver erat æternum, placidíque tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores,
Ne renouatus ager grauidis iaceret ariſtis,
quàm quoniam homines.
Sponte ſua ſine lege fidem rectúmque colebant.

Neque enim debemus illa poetarum figmenta tāquam inania quædam documenta accipere, ſed ex eis diſcere, Deum ipſum fauere hominibus iuſtis, eorum labores fortunare, eorū conatus ac cōſilia ad bonos exitus ducere. Nā

neque

neque dictu neque cogitatu fas eſt, eũ, qui ſummè iuſtus eſt, aut ipſa potius iuſtitia, non eſſe amicum, beneuolum, propitium ijs, qui ad iuſtitiam omne ſuum ſtudium conferunt, eámque toto pectore ſequuntur. Itaque Heſiodus quoque, non tantùm aureus & ad verbum ediſcendus poeta, verum etiam philoſophus in primis bonus, multis verſibus perſequitur ac percenſet ea bona, quæ à Deo tribuuntur cultorib. iuſtitiæ, contráque eas, quæ ab iniuſtitia ciuitatibus inferuntur calamitates. Illorum enim vrbes lætas florere populis, nunquam bello, nunquam fame, nunquam alijs eiuſmodi peſtibus conflictari, hos & fame, & peſte, & bello, & alijs innumerabilibus malis iniuſtitiæ ſuæ pœnas dare. Recitarem verſus ipſos, niſi græca quidem huic ſermoni admiſcere nollem: Latinè autem me inaffectatam quandam illorum iucunditatem pari grauitate coniunctam aſſequi poſſe diffiderem. Quod ſi hæc non eſſent, ſique iniuſti quidem abundarent omnibus copijs, in ſumma opum atque honorum affluentia viuerent, fortunam ſibi arbitrio ſuo fin-

Heſiodi laus.

In li. operũ & dierum.

gerent ac temperarent, iuſtos autem odium, contemptus, egeſtas, exilia, orbitates, damna omnia ſequerentur, tenere tamen mordicus deberemus id, quod à Platone diuinitus & religioni noſtræ conuenienter traditum ac diſputatum eſt, iuſtos, etiam ſi omnes fortunæ acerbiates excipiant, ſemper beatos, iniuſtos etiam in maximis proſperitatibus ſecundiſſimiſque reb. in fœliciſſimos eſſe Dixi de iuſtitia, non quæcunque poteram, neque enim id tempus tuliſſet, neque omnia in vnum locum congerenda ac ſemel effundenda erant, ſed ex infinita copia eorum, quæ dici poſſunt, quãtum ſatis eſſe hodiernæ diſputationi iudicaui, quotidie autem, vt ſpero, plura & meliora dicentur. Nunc quod interdum diſertos homines facere animaduerti, vt cùm ad clauſulam orationis ventum eſt, illa, de quibus egerunt, breuiter ac ſummatim colligant, quo ea in vno conſpectu poſita altius in audientiũ animis ac memoria infigat, id eò quoque facere cupio, ſed quis artis eius magiſtri ſingularis cuiuſdã artificij eam rem indigere aiunt, quod mihi deeſt, ab alio mutuabor,

2. de Legib.

bor,recitabóque vobis verba quædam Poli Lucani nobilis philoſophi, vnius ex illis veteribus Pythagoreis, qui tenuerunt eam partem Italiæ, quæ magna Græcia vocabatur. quibus verbis ſumma eorum omnium,quę à me hodie dicta ſunt, continetur. Iuſtitia,inquit,cęterarum omnium virtutum parens & altrix vocanda mihi videtur, neque ſine ea fieri poſſe,vt quiſquam aut temperans ſit, aut fortis, aut prudens: eſt enim harmonia quædam & pax totius animi cum apto & compoſito motu. Illius autem quanta ſit vis, magis è cæterorum habituum inſpectione cognoſci poteſt. Nam cæterorũ vtilitates ad vnũ modò pertinent,huius ad omnia,quæ compoſita ſunt & ad multitudinẽ. Ea igitur in mundo quidem prouidentia vocatur, & harmonia,& iudicium,& mens deorum, qui ita ſtatuerunt.In ciuitate autem pax & bona legum conſtitutio meritò dicitur. In priuata domo, viri quidem & vxoris mutua cõcordia, ſeruorum autem in dominos bonus animus, & viciſſim in dominos amica & beneuola ſeruorum procuratio, in corpore autem &

Polus Lucanus de iuſtitia apud Stob ſermone 9.

animo, primùm quidem ea quæ omnibus chariſſima ſunt, vita, & bona valetudo, & integritas viriũ, tum autem ſapientia omniſque ſcientia. Quæ igitur vna & totum & partes ita regit, & ſeruat efficiens omnia inter ſe concordia & amica, quidni communis omnium parens & altrix omniũ ſuffragijs prædicetur? Hæc ille. Ego autem ad huius virtutis tractationem & cognitionem, & ad has pulcherrimas animorũ epulas nobis omnibus ab Ariſtotele paratas vos, auditores, voco. Cogitate, quid agatis. Virtus, de qua agitur, præſtantiſſima eſt. Qui de ea ſcripſit, philoſophus præſtantiſſimus. Vtinam ex me quoque tertium argumentum ſumi poſſet ad animos veſtros excitandos. Sed, quò minus doctrina & ingenio valeo, eò plus laboris, ac diligentiæ affeream. Nullus autem eſt, quin adhibito labore efficere aliquid & nauare poſſit. Multum à me operæ iam pridẽ in hoc libro poſitum eſt, multæ noctes vigilatæ, vt ad illius intelligentiam peruenirem, præcipuè olim, cùm in iuris ciuilis ſtudia incumberem, ad quæ hunc librum mirificè vtilem eſſe intelligebam

Virtus communis omnium parens & altrix.

Labor nullus fructu caret.

bam. Non puto me vſque adhuc valde fefelliſſe veſtram de me opinionẽ, nequæ ſæpe id, quod pollicitus ſim, non præſtitiſſe. Mihi credite, ſi quantùm ego ad docendum, tantùm vos ad diſcendum diligentiæ afferetis, efficiam, vt multos magnóſque fructus ex huius libri cognitione capiatis.

DIXI.

ORATIO SEPTIMA HABITA ROMAE VI. ID. NOVEMB. ANNO. CIↃ. D. LXV.

CRœſum olim Lydorum regem opulentiſſimum, petendi oraculi cauſſa, Delphos miſiſſe accepimus, qui ſciſcitarentur ex Deo, non leue quidquã & nugatorium, vt antea, cùm clàm in eodem aheno teſtudinem ſimul & agnum coquens, experiri voluerat, nũ quid eorum, quæ agerẽt homines, deũ lateret; neque quid ſe facere oporteret, vt ex ſe procrearet liberos, neque ecquid aduerſus Perſas bellum ſuſcipere deberet, neque denique quidquam ſi-

De Crœſo vide hæc apud Herodo. lib. I.

mile eorum,quæ prius quæſiuerat: ſed rem omnium multò maximam, multòque digniſſimam,in quo cognoſcenda plurimum ab omnibus operæ ac ſtudij collocetur: quomodo fœlicitatem conſequi,& quid agens, id quod ſupererat ætatis beatiſſimè tranſigere poſſet. Sapienter hoc quidem, & non pro ea,quæ pleriſque in aliis rebus eſt, inconſiderantia & temeritate: quod de via,quæ ad ſummum bonum ferret, neque ſtatuendum ſibi ipſi, neque cuiuſquam hominis fidendum conſilio, ſed deum conſulẽdum iudicauit. Reſponſum autem ei redditum eſt planè præclarum, & illa,quæ tum de Apollinis ſapientia erat, opinione digniſſimum: non ſi maximos auri argentíque aceruos extrueret,non ſi multos exercitus aleret, non ſi terminos imperij ſui longè latéque proferret, ſed ſi ſe ipſe cognoſceret, ita demum beatum fore. Iam,etſi apud nos, qui vera religione imbuti ſumus, nihil Apollinis valere debet auctoritas: tamen eiuſmodi oracula,quæ pręceptum aliquod vtile ad inſtituendam vitam continent, amare & magnificare debemus. Conſtat

Cognitio ſui ad fœlicitatem vitæ neceſſaria.

ſtat enim, ea nihil eſſe aliud, quàm inſignes quaſdam & eximias ſapientiſſimorum hominum ſentẽtias, quæ quoniam diuinitus immiſſæ in eorum animos videbantur, ad Deũ referebantur auctorem. Quoties igitur audiuimus, Apollinem reſpondiſſe Crœſo, beatum eum fore, ſi ſe cognoſceret: quoties præceptum eadem de re in tẽplo Delphico inſcriptum fuiſſe legimus, toties illud cogitare debemus, magnũ quoddã bonum eſſe cognitionem ſui, cùm inter omnes omnium ætatum ſapientes viros conuenerit, in eo poſitũ eſſe fundamentum fœlicitatis: neque vlla re vnumquemque noſtrũ in plura aut grauiora mala, quàm ſui ipſius ignoratione, probari. Quod cùm ita ſe habeat, omnibus viribus elaborandum eſt nobis, vt cognitionem noſtri, quando tantùm in ea momenti ac põderis ad beatam vitam ſitum eſt, conſequamur. Sed in hac re illud primũ videndũ eſt, quid ſit noſſe ſe, ne, eo ſecus quàm oportet accepto, errore aliquo implicemur. Fieri enim prorſus nõ poteſt, vt rectè id faciamus, quod iubẽmur, niſi prius, quid iubeatur, intelligamus.

Seipſum cognoſcere quid ſit.

Hoc autem nō alius melius nos, quàm Plato docuerit, apud quem Socrates in Alcibiade primo multa diſputat, quib. hominem animum eſſe, non corpus oſtendat. Semper enim id, quod aliqua re vtitur, ab eo, quo vtitur, aliud eſſe: Vti autem homines & partibus corporis ſui, vt manibus pedibúſque, & toto corpore, ex quo effici, vt, quantùm inter artificem & inſtrumētum intereſt, tantùm inter hominem & corpus interſit, quam ſententiam & Ariſtoteles libro decimo Ethicorum cōprobauit, & apud Ciceronem libro ſexto de rep. his verbis Africanus expreſſit. Mens cuiusque is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Quòd ſi homo non corpus eſt, ſed animus, qui iubet, vt noſipſos noſcamus, illud videlicet iubet, vt noſcamus animum noſtrum. Atque hoc à Platone acceptum ita extulit idem Cicero libro primo Tuſculanarum diſputationum. Eſt illud quidem vel maximum, animo ipſo animum videre, & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, vt ſe quiſque noſcat. Non enim, credo, id præcipit, vt membra

Inter hominem & corpus intereſſe.

noſtra

noſtra,aut ſtaturam,figurámue noſca-
mus,neque nos corpora ſumus,neque
ego,tibi hæc dicens,corpori tuo dico.
Cùm igitur,Noſce te, dicit, hoc dicit,
Noſce animū tuum, nam corpus qui-
dem quaſi vas eſt aliquod animi aut
receptaculum. Duo ſunt, quæ hacte-
nus probare ſtuduimus,eximiū quod-
dam bonum eſſe cognitionem ſui, &
noſſe ſe nihil eſſe aliud, quàm noſſe a-
nimum ſuum. Nunc antequam pro-
grediamur vlterius, illud admonendi
ſtis, vnam eandémque rem non vno
eodémque modo à diuerſis artificibus
conſiderari. Angulum rectum, aiebat
Ariſtoteles, primo horum librorum,
alia ratione conſiderat Geometres,alia
faber.Sic & hominem aliter medicus,
aliter pictor,& animum hominis, ali-
ter phyſicus conſiderat, aliter politi-
cus.Phyſici, quæ ſit animorum natu-
ra,quærunt,ſimplex,an compoſita at-
que concreta, corporea, an expers
corporis, mortalis & caduca, an im-
mortalis & æterna,ſit ne totus animus
in qualibet parte corporis,an vnaquę-
que illius facultas ſuam in corpore ſe-
dem quáſique domicilium habeat à *Animus vt à phyſico conſideratur.*

cæteris ſecretũ ac ſeparatũ. Nos quæcumque de iis & talibus ab eis, duntaxat religioni noſtræ conſentanea, traduntur, tanquam vera & indubitata ponentes, animum ea tantùm ratione cõſideram⁹, quæ vel deprauari & corrumpi vitiis, vel virtutibus perſici & ad Dei ſimilitudinem, quantùm natura patitur, perduci poteſt. Quare cùm hodie nobis illud propoſitum ſit, vt ex Ariſtotelis in iis libris qui ad moralem philoſophiam pertinent ſententia, de animi humani partibus, déque vniuſcuiuſq; illarum perfectione verba facimus, (hoc enim potiſſimum modo præparandos eſſe vos duxi ad cognitionem & intelligentiam eorum quæ in huius ſexti libri explicatione tradentur) certos quaſi cancellos circundabimus orationi noſtræ, eámque ſuis regionibus ac terminis circũſcribemus, vt ab iis, quæ phyſicorum ſunt abſtinentes, ea tantùm quæ ad munus noſtrũ propriè pertinent explicemus. Hoc loco propè ſuperuacaneum eſſe iudico, petere à vobis, vt me attentè audiatis. Certè enim ea vobis cauſſa huc veniendi fuit. Et vt ridiculus fuerit

Attentionis petitio quando ſuperuacanea.

halu

balneator,ſi,quos lauandi cauſſa in balnea ingreſſos videt, ab eis multis precibus petat, vt lauent:ita ego mihi videor ridiculus fore,ꝙ facturi huc conueniſtis,id ſi vt faciatis vos rogē. Oratorum iſte mos eſt,qui,etiam cùm ex- exploratū habent,ſe attentiſſimè auditum iri:tamen attentionem petunt:nō quód opus eſſe ea putent,ſed quoniā, ſi aliter fecerit,aduerſus artis ſuæ præcepta feciſſe ſe putant. Meum eſt conari,vt auditu digna adferā, veſtrum, ne ea præteruolare patiamini,ſed ſingula diligenter expendentes,penitus demittatis in animos veſtros. Mihi, vt ne ad id,quod mearū partium eſt, præſtandū imparatus venirem,prouiſum eſt: vos quoque ad me qua ſoletis benignitate & attentione audiendū ſatis veſtrapte ſponte paratos eſſe confido. Animi noſtri ſiue partium, ſiue facultatū bipertita diuiſio eſt. partim enim ipſarū ratione præditæ ſunt partim rationis expertes. Ac ratione quidem prędit as eas vocamus, quæ ex omni animantium genere in ſolis hominibus: rationis autem expertes, quæ etiam in beſtiis atque ex aliqua parte in ſtirpibus *Animus bipertitus*

repe

reperiuntur. Rationis expertes (ab eis enim exordiri & ab infimis quaſi per gradus ad ſumma cõtendere decreuimus) duplicẽ ipſæ quoque habent varietatem. Aliæ enim ſunt, quæ vitam continent, aliæ, quę animal conſtituũt. Quæ vitam continent, tres ſunt, quas illa & in rebus inueniendis acutiſſima, & in eiſdem appellandis diſertiſſima Græcorum natio vocat. τὸ θρεπτικὸν, τὸ αὐξητικὸν, τὸ γεννητικὸν Nos quia vetera quidem Romana vocabula, quibus hæc exprimamus, non habemus, iis autẽ, quę poſtea, cuſa ſunt vti propter quandam, vt verum fatear, ſtultã & ineptam religionem non audemus, vnũ in plura ſpargere ac diducere cogimur, dicimúſque, vim nutriendi, vim augendi, & vim procreandi. Hę omnes non in animalibus modò ſunt, verũ etiam in ſtirpibus. Quę autem conſtituunt, animal, duorum ipſæ quoq; generum ſunt, partim enim cognitione quadam & apprehẽſione, partim appetitione & declinatione cernuntur. Illas γνωστικὰς Græci, has ὀρεκτικὰς vocant. γνωστικαὶ In animalibus ſunt duæ, ſenſus, & phantaſia, vtendum enim eſt

Animi partes rationis expertes.

Anima vegetatiua.

hoc,quando latino caremus. Senſibus apprehenduntur ſingula tantum, non etiam vniuerſa, niſi quatenus ſunt in ſingulis,nō enim lapidem,aut lignum propriè ac per ſe videmus,ſed hunc lapidē & hoc lignum, aut potius neque hunc lapidem neque hoc lignum, ſed huius lapidis aut ligni colorem.Senſus enim non percipit eſſentiam, vt Ciceronem locutum eſſe aiunt, ſiue vt poſteriores locuti ſunt,ſubſtantiā, ſed ea tātùm quæ ei adiuncta ſunt,neque roſam aut videmus aut olfacimus,ſed roſæ odorem olfacimus, colorem videmus.Senſus autem ſunt,vt notum eſt, numero quinque, quorum tactus in omnibus eſt animalibus, cæterum alij in alijs deſiderantur. Phantaſia rerum ſenſu perceptarum formas quaſdam, & vt Græci loquuntur, typos recondit ac continet,ac prætereà iudicat de quibuſdam, de quibus ſenſus exteriores iudicare non poſſunt,vt hoc flauū eſſe dulce,& hūc qui accedit, eſſe Socratē. Senſus in eo ad quod propriè percipiēdum aptus eſt,nunquam fallitur,dū & interuallum moderatū ſit,& inſtrumētum,& id quod interijcitur,probè affectum,

Senſuum munus.

Subſtantiam vocat eſſentiam Tullius.

Senſus 5.

Phantaſia.

Senſus vt non fallatur.

Phantaſia brutis ineſt.

ctum at phantaſia ſæpe fallitur: vt cùm in picturis eminere videtur quæ plana ſunt: vt cùm remus ĩ aqua inflexus videtur: vt cùm cani Aeſopeo imago carnis in aqua caro videbatur. Hanc ineſſe in beſtijs vel ex eo cognoſcimus, q̓ earũ pleræq; & meminerunt & ſomniãt: vt equi, vt canes: quorum neutrum ſine ea de qua loquimur facultate facere poſſent. Ex eis naſcuntur illæ, quas in perſequẽdo fugiẽdóque cerni & Græcè ὀρεκτικὰς vocari diximus. Nam cùm omnem ſenſum voluptas aut moleſtia comitetur: quarum altera naturæ conſentanea & amica eſt, altera aduerſa & inimica: fit vt nullum animal ſit, in quo non inſit naturalis & appetitio eorũ quæ iucunda, & fuga eorum quæ moleſta eſſe videantur, ὀρεκτικὰς δυνάμεις Ariſtotelis interpretes Ammonius, Euſtratius, & alij vulgò, duas tantum faciunt ἐπιθυμίαν καὶ θυμόν. Sed intelligendum eſt, in omnib. animalibus exiſtere & ex bono præſenti lætitiam, & ex eo quod nondum adepta ſunt cupiditatem, & ægritudinẽ ex præſenti malo, & metũ ac declinationem, ſi mali quid imminere videatur. Hæc Stoici, vt me-

ὀρεκτικαὶ δυνάμεις quot.

Cõcupiſcibiles facultates verè ineſſe brutis negant Stoi[ci]

tertio ab hinc anno ex hoc ipſo loco dicere memini, propria hominis, non ei cũm cæteris animalibus communia eſſe voluerunt. Neque enim metuere beſtias, ſed quaſi metuere: nec cupere, ſed quaſi cupere, eodemque modo neque vera ipſas lætitia neque vera moleſtia affici, ſed vtriuſque imaginem modò quandam ac ſimilitudinem habere. Quam opinionem vt ſtultam & delirã exagitãt Plutarchus, Galenus, Porphyrius, & alij. Sed Stoici ſi dogmatũ ſuorũ conſtantiam ac conuenientiam retinere ac conſeruare vellent, ita dicere neceſſe habebant. Hæc enim omnia ita definiebant, vt ex opinione naſci dicerent: ex opinione boni præſentis, lætitiam: ex opinione mali præſentis, moleſtiam: ex opinione boni imminentis, cupiditatem: ex opinione mali imminentis, metum. Cum igitur opinio in ſolis ſit hominibus, ſequebatur, vt ea quoque hominum propria eſſent. Sed verius eſt hæc omnia conuenire etiam in beſtias: neque ex opinione tantùm exiſtere, ſed etiã ex ſenſu aut phantaſia boni maliue aut præſentis aut imminentis. Omnes igitur illæ facultates,

de

de quibus hactenus diximus, in mutis quidem animalibus ita ſunt rationis expertes nullā vt prorſus cum ratione habeant aut communionem aut ſocietatem. In homine eæ quæ Græcorum lingua ὀρεκτικαὶ nominantur, etſi ratione præditæ non ſunt, rationem tamen audire & eius obtemperare imperio poſſunt. Quorum vtrumq; nobis paulò enucleatius explicandum videtur. In eis igitur non ineſſe rationem, ex eo quiuis facilè intelligat, quòd ratio ipſa ſecum pugnare non poteſt, ac ſæpenumero lætitiam, moleſtiam, cupiditatē, metū rationi aduerſari videmus. Rurſus eſſe ijs omnibus aliquam cum ratione communionem, id indicio eſt, quod ſuſcepti præter rationem animi motus, ratione adhibita, aut deponuntur aut mitigantur. Itaque rectè ex Ariſtotelis ſententia dicitur. τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ἄλογον διττὸν εἶναι τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἁπλῶς ἄλογον εἶναι καὶ κατ' οὐδένα τρόπον λόγου κοινωνεῖν τὸ δὲ κἄλογον μὲν εἶναι φύσει, μετέχειν δέ τινι λογικόν. Hæc latinè ita expeditè, & vt ita dixerim, rotundè explicari non poſſunt. Sed nihil difficile amanti.

ὀρεκτικαὶ facultates quales in homine.

Libenter

Libenter hoc & omne militabitur bellum in veſtræ ſpem gratiæ. Conabor ſi qua ratione poſſim hæc ita latinè eloqui, vt intelligantur. Earum animi noſtri facultatum, quæ ratione carere dicuntur, duplex ratio eſt. Quædam ita ſunt rationis expertes: vt nulla prorſus eis intercedat cum ratione cõmunio: Tales autem ſunt quinque, vis alendi, vis augẽdi, vis generandi, ſenſus, & phãtaſia. Nam hæ omnes & communes nobis ſunt cum multis animantibus, & ratione nullo modo dirigi poſſunt. At eæ duæ, quarum in altera vis eſt concupiſcendi bonorum propoſitum, eiúſq; adeptione gaudendi, in altera declinandi malum imminẽs, & eo, cũ iam vrget dolendi, ſuapte quidem natura rationis expertes ſunt, ſed quodammodo tamẽ rationis participes dici queunt. Quibus eas argumẽtis rationis expertes eſſe cognoſcimus? Primũ quòd his omnibus modis afficiuntur etiam beſtiæ, nam & concupiſcunt, & lætantur, & metuunt, & dolent. Deinde quòd ſæpenumero cum ratione pugnant, vt cum incontinentem aliò ratio, aliò cupiditas trahit, qualis eſt Ouidij Medæa, quæ ſe ait vi-

Facultates rationis prorſus expertes.

Facultates rationi obaudientes.

Meta. 7.

dere quidem & probare meliora, deteriora autem ſequi. Nullo autem modo fieri poteſt, vt eadem animi pars eodẽ tempore in contrarias partes trahat. Quare cum aliò ratio, aliò cupiditas trahit, facilè intelligitur, aliam à ratione eſſe cupiditatem. Vnde igitur colligimus eas eſſe tamen in homine rationis quodammodo participes, quoniã eas rationis audire imperium, eíque parere interdum videmus. Agamennoni apud Homerum iraſcitur Achilles, multa iratus dicit, quæ neque eum, cui dicuntur neq; eum, à quo dicuntur, decent. Hinc cognoſcas licet, iram à ratione aliã eſſe. Cùm iam eò proceſſiſſet, vt ſtricto gladio impetum in Agamennonem facere pararet, prohibet ratio, quem enim alium accipiamus Pallada? Atque ibi Achilles diuinam illam & nunquam delendam ex animis hominũ ſententiã profert.

Iliad. 1.

Χρὴ μὲν σφωίτερόν γε θεὰ ἔπος ἐρ-
ύσασθαι.
Καὶ μάλαπερ θυμῷ κεχωλωμένον.
ὡς γὰρ ἄμεινον.

Homini quantumlibet irato, rationem tamen audiendam, eiúſque obſequendum

dum imperio dicit, id enim ſatius eſſe. Poteſt igitur iræ furentis impetus ratione cohiberi, veréque dictum eſt ab antiquo poeta, morbis hominum rationem mederi. Sic qui gaudent doléntue quibus nō oportet, aut plus minúſve quā oportet, eodémque modo qui cupidi ſunt aut timidi, aut cōtrariis vitiis laborant, rationis imperium accipere & conformare ſe ad illius præcepta poſſunt. Atque hoc eſt, quod Ariſtoteles primo horum librorum dicebat, illam animi partem ratione quidē carere, ſed tamen quodammodo participem eſſe rationis. In ea igitur ſūt omnes eæ virtutes, de quibus in ſuperiobus libris diſputatum eſt, quæ vſitato iam & recepto vocabulo morales nominantur. Sequitur nunc vt eam animi partem conſideremus, quæ ſuapte natura ratione prædita & hominum propria eſt, cuius etiam ipſius vires ac poteſtates antiqui duorū generum eſſe dixerunt, Appetitionis duas, volūtatē & προαίρεσιν, quam vulgò electionem vocant, quarū volūtas sēper tendit ad bonum προαίρεσις variat, & modò bona malis, interdum etiam mala bo-

Ratio perturbationibus dominatur

Pars animi ratione prædita.

nis anteponit. Sed hac de re & diximus multa, cùm librum tertium explicaremus, & in librum ſeptimum; vbi de cõtinentia incontinentiáq; diſputabitur, plura, dicenda erunt. Tres cognitiones δόξαν, id eſt, opinionem, διάνοιαν, quam mentis agitationem, Cicerone, niſi fallor, auctore vocare inſtitui, & νοῦν quẽ aut mentem aut intelligentiam vocemus licet. Mentis cum ſenſu ac præcipuè cum ſenſu oculorum magna quædam ſimilitudo eſt, vnde & ſæpe Ariſtoteles oculum mentis vocat, & dictum eſt id eſſe mentem in animo, quod oculum in corpore, & vt ſuo loco oſtendimus, ſenſum ac mentem interdũ cõfũdit. Vt enim ſenſus, ita mens quoque extremorum eſt: ſed ſenſus eorum quæ ſunt inferiora demonſtratione, mens eorum quæ ſupra omnem demonſtrationem. Mente apprehenditur Deus apprehenduntur mentes illæ ab omni contagione materiæ ſeparatæ, apprehenduntur mundi & eorum quæ illius ambitu continentur primordia, cæteráque eiuſmodi, quæ multis magníſque obſcuritatibus inuoluta, & in intimis rerum omnium parẽtis naturæ receſſibus

Mens.

bus abdita & retruſa iis demum perfe ctè patent, qui puro & ab omnibus libero cupiditatibus animo cœleſtē quã dam in terris vitam agunt. Ad illud mẽ tis lumen cùm ſe applicuit & admouit διάνοια, in qua ineſt vis ratiocinandi & ex aliis alia colligendi, ex eorum complexu ac coniunctione exiſtit, & exoritur illa omnium virtutum ſuprema, quam magnificentiſſimo vocabulo Sophiam Græci, Latini Sapientiam nominarunt. Ea perfecta cadere in hominẽ non poteſt, rectéq; iudicauit ſiue Thales Mileſius, ſiue quis alius, non enim inter omnes conuenit, ſolum Deũ eſſe ſapientẽ. Sed tamen priſcis temporibus qui de Deo, rebúſque diuinis, qui de mundi origine, qui de abditis rerũ cauſis diſſerebant, earúmque rerum cognitione cæteris excellere videbantur, eos ſapientes vocabant. Sapientiam autem eſſe dicebant cognitionem diuinarum humanarúmque rerum & cauſarum quibus eæ continẽtur. Primus Pythagoras arrogantiam verbi fugiens, non ſophon ſe, ideſt ſapiẽtem, ſed philoſophum, ideſt, ſapientiæ amantẽ eſſe profeſſus eſt, ab eóque deinceps qui

Sapiẽtia.

Solus deus ſapiens.

Philoſophiæ vocabuli reperior

Cicero 5. Tuſcul.

ſe iiſdem quibus ille ſtudiis dederũt philoſophorum appellationem retinuerunt. At mente in rebus tam ſublimibus tãque arduis vti pauciſſimis hominibus datum eſt. Pleraq; pars in fœdiſſimo eodémque tenaciſſimo corporearum cupiditatum cœno hærentes, & quaſi clauis quibuſdam, vt Plato loquitur, terræ affixi, ad diuina & cæleſtia ne aſpirare quidem poſſumus. Quod cùm ita ſit, omnibus tamen hominibus lucent quaſi ſcintillæ quædam illius luminis, quib. fit, vt principia diſciplinarum, & communes illas ſẽtentias, quas ἀξιώματα aut κοινὰς ἐννοίας vocant, ita videamus, quaſi ea quæ cernuntur oculis, eiſque ſine cauſa firmius etiam ac certius, quàm iis quorum cauſam tenemus, aſſentiamur. Ad quas cùm ſe admouit ἡ διάνοια & ex illis alia quædã neceſſariò collegit, efficitur ἐπιστήμη, id eſt, ſcientia, quam eſſe aiunt cognitionem rei per primã propriam & neceſſariã cauſã. Quid mens propriè, quídq; διάνοια, ſit, diximus, ſimúlq; paucis tum ſapientiæ tum ſcientiæ originem oſtendimus. Quarum vtraque ad eam vim mentis pertinet, quam Græci ducto à contem

Axiomata ſiue cõmunes ſententiæ.

contemplatione vocabulo νοῦν θεωρητικὸν vocãt. Eſt eñ & altera quæ ab eis dicitur πρακτικὸς νοῦς, aut latiori nomine & aptiori ad omnia complectenda, ὁ νοῦς ὁ ἕνεκά του, quaſi tu dicas mentem, quæ non ſimplicem, vt illa, veritatem ſibi propoſitam habeat, in cáque acquieſcat, ſed referat præterea ad alia, vt ad actionẽ aut ad operis alicuius molitionem & effectionẽ. Hac aut videmus duce natura, aut certè facilè percipimus communes quaſdã ſentẽtias de rebus bonis & malis expetendis, & fugiendis: cuiuſmodi ſunt, tuendam eſſe hominũ inter ipſos ſocietatem: colendam eſſe iuſtitiam: ab iniuria abſtinendum: vim vi repellere ius fáſque eſſe: itémque alias quę quaſi principia ſunt ac ſemina artium ad vitã neceſſariarum. Ad hæc principia cùm acceſſit primùm διάνοια, quæ vt dixi alia cum aliis comparans, alia ex aliis nectẽs progreditur, ac prouehitur paulatim longiùs: deinde diuturnus vſus & experientia cum accurata & diligenti animaduerſione, ac notatione eorum quæ eueniunt in vita, exiſtit illa magiſtra vitæ, omnium bonorum conſiliorum pręceptrix, om-

Vide ariſtotel. c. 1. 7. Meta.

Communes ſentẽtia hominibus innata.

Elogia prudẽtia.

nium honeſtarum actionum modera-
trix, omnium moralium virtutum dux,
gubernatrixque prudentia: eadémque
illa vi excogitatæ, auctæ, & ad ſummũ
perductæ ſunt artes illæ, quib. aut nul-
lo modo, aut certè non ſatis cõmodè
carere poteramus Reliqua eſt opinio,
varium & multiforme monſtrum: quo-
quo non Proteus aut Vertumnus plu-
res induerit ſpecies. quanquam enim
in rebus incertis & fortuitis proprium
illius munus eſt: non tamen eis ſe fini-
bus continet: ſed indomita quadam &
effrænata licentia per omne genus re-
rũ temerè ruens, omnia permiſcet at-
que perturbat. Interdum etiã ſeſe pro
ſapientia, pro ſcientia, pro prudentia
vendicat, homines nimium fidentes
ſibi in grauiſſimos ac perniciofiſſimos
inducit errores. Huic igitur, quoniam
fallax, incerta & inſtabilis eſt, nullius
virtutis origo tribuitur, niſi quòd bona
opinio de iis quæ ſciri poſſunt, præpa-
ratio quædam eſt ad ſcientiam, bona
opinio de rebus agendis, vtiliter ad cõ
parandam prudentiam antecedit. Im-
mo verò, vt in diſciplinis quædam po-
nuntur, quibus ſine vlla dubitatione,
creden

Opinionis inconſtãtia et fallacia.

credendum eſt, ita ait Ariſtoteles opinionibus ac ſententiis ſenum & eorũ quos longa & multiplex rerum experientia cautos ac prouidos effecit, in conſilio capiendo & in inſtituenda vita maximam fidem habendã eſſe, eas enim eandem vim ad prudentiam, quã illa principia ad ſcientiam, obtinere. Dixi breuiter, vt propoſueram, de omnibus humani animi facultatibus, & quanquam hanc totam diſputationem quotidianis verbis & inornato dicendi genere contexui, tamen confido eam vobis non minus gratam fuiſſe, quàm ſi omnes vndique floſculos colligens, omnes dicendi lepores ac feſtiuitates aucupans, concinno quodam ac modulato verborũ ſono aures veſtras demulcere ſtuduiſſẽ. Poteſtis autem facilè perſpicere ex iis quæ dicta ſunt, quibus de rebus in hoc ſexto libro explicando diſputaturi ſimus. Nam cùm in ſuperioribus libris, earum virtutum, quæ ſunt in illa parte animi, quam per ſe ratione carere, ſed ratione tamẽ parere poſſe diximus, natura pertractata ſit, in hoc de virtutibus illius ſuperioris ac diuinioris partis, hoc

6. Ethico. cap. 12.

Quid 6. Ethicorum tractet Ariſtoteles.

eſt, de intelligentia, ſapientia, ſcientia, arte, prudentia, ſed potiſſimum de prudentia diſſeremus. Quid igitur? finémne ſtatim faciam, (id enim à me iam expectari video) an prius quàm deſino, ad hæc toto pectore amplectanda paucis vos cohortabor? Ego verò ita faciam, neque committam, vt aut ad ineundam aut ad perſequendã pulcherrimam & fructuoſiſſimam ſtudiorum viam, vllo aut loco aut tempore mea vobis cohortatio defuiſſe videatur. Dubitatis igitur, adoleſcentes, quin ad harum rerum cognitionem adipiſcendam omnis vobis diligentia ſuſcipienda, omnis labor perferendus, omnis aliarum rerum cura ex animo eiicienda ſit? Vbi, quæſo, iſtam egregiam indolem, quam in pleriſque veſtrum videmus, vbi iſtud ingenium ad omnia ſumma natum, vbi iſtam partem ętatis ad concipienda doctrinæ, virtutíſque ſemina omnium aptiſſimã aut honeſtius, aut ſuauius, aut fructuoſius collocare poteritis? Quid enim eſt, quo quiſquam oblectari: quo ad diſcendum inuitari atque allici poſſit: cuius non in hiſce

Adhortatio vehemẽs ad tractationem de animi partibus audiendam.

hiſce quotidianis diſputationibus noſtris copiam reperire aliquam liceat? Eſt quem arduarum rerum & remotarum à cognitione vulgi accurata tractatio capiat? Talia nobis plurima in animi partibus excutiendis, in principijs humanarum actionum euoluendis, in patefacienda ſapientiæ ſcientiæque natura, neceſſario tractanda erũt. Eſt quem non tam ardua & ſublimia, quàm in quotidiano vſu poſita, & ad inſtituendam vitam accõmodata, delectent? Vtiliſſimis ad vitam præceptis aures eorum qui me audient quotidie perſonabunt. Eſt cui antiquitatis cognitio & veteris hiſtoriæ commemoratio iucunda ſit? At nos quidem ſcitis vix vllum præceptum tradere ſolitos eſſe, quin ei illuſtrando repetitam ex Græca Romanaque hiſtoria exemplorum lucem adhibeamus. Poetarum alius amœnitate ducitur? Nos verò ex optimis vtriuſque linguæ poetis pulcherrima quæq; libantes, perpetuò diſputationes noſtras eius quaſi ſalis aſperſione condimus. Græcam linguam amat aliquis? Ariſtotelem hic quotidie Græcè loquentem audiet: qui ea lingua dictus

Ratio quam in docendo tenet Muretus.

Diuerſa hominum ingenia & captus.

Omnem operam pollicetur Muretus.

dictus eſt aureum orationis flumẽ fũdere. Latinam anteponit alius? Dabimus nos quidem operam, vt ex optimis Græcis non peſſima Latina faciamus, neu quis à nobis audiendis tanquam in latinè loquendo non ſatis diligentibus, abſterreatur. Omninòque quicunque tantam huc animorum alacritatem tantámque diſcendi cupiditatem adferent, quantam ego rerũ optimarum varietatem, & quantum perſpicuè docendi ſtudium adferam, faxo, nunquam eis veniat in mentem, quod docenti mihi aſſiduam operam dederint, pœnitere.

DIXI.

ORATIO OCTAVA

HABITA ROMAE ANNO CIↃ. D. LXVII.

NOn eram neſcius, cùm hanc Pandectarum interpretandarum prouinciam ſuſciperem, fore, vt multis ſermonem darem, quibus mirũ ac nouũ videretur, me, qui tot annos in hoc docendi munere ita conſumpſiſſem, vt

eos

eos modò libros attingerem, qui aut ad eloquentiam aut ad philoſophiam pertinerent, mutata ſubitò voluntate, ad tractationem iuris ciuilis tam longo interuallo redire, à quo me pleriq; iampridem animum omnino auocaſſe & ad mitiora ſtudia, tanquam ad Sirenum ſcopulos, adhæſiſſe, aut quaſi loti cuiuſdam Homericæ, ita illorum dulcedine, ac ſuauitate captum, huius iámne per ſomnum quidem meminiſſe arbitrarentur. Quibus vt ſatis faciã, ſimúlque vobis omnibus huius conſilij atque inſtituti mei rationem reddam: etſi non libenter facio, vt de me loquar, tamen antequam progrediar longius, pauca quædam de toto ſtudiorũ meorũ curſu breuiter commemorare cõſtitui: quæ ſi audire ac cognoſcere graue non erit, ſpero fore, vt grauiſſimi quidẽ & eruditiſſimi homines, quos hîc adeſſe video, factum meum non improbẽt: vos autem optimi & ſtudioſiſſimi adoleſcentes, etiam fructũ aliquem ex hac narratione capiatis. Cùm enim, quæ præcipuè res progreſſus meos retardauerit, méque decurſo iam ſpatio à calce ad carceres, vt dicitur, reuocauerit, cognoſ

Odyſſea μ.

Odyſſea α.

cognoſcetis, forſitan, exemplo meo edocti, melius ipſi veſtris rationibus conſuletis. Ego igitur, vt primum puer Grammaticorum & Rhetorum præceptis viſus ſum vtcunque imbutus eſſe, leuiter guſtatis dialecticæ principiis, cæteris autem philoſophiæ partibus, ne à limine quidem ſalutatis, nulla Græcæ linguæ intelligentia, nullo rerum vſu, nulla antiquitatis cognitione inſtructus, animum ad ius ciuile appuli, & iis doctoribus, qui tum illis locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi. Iámque eò proceſſeram, vt, quæ tum præcipuæ laudes habebantur, & in argumentando ſatis acutus, & in reſpondendo nõ incautus, & quacunq; de re ageretur, abundè loquax eſſem, &, quod multis palmarium videbatur, multarum legum non intellectarum principia vno ſpiritu citare, multorum interpretum nomina recenſere, multos verſus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, vt opinor, & periſtylia, & intercolumnia, nullo negotio, numerare quamlibet multa poſſe. Cùm ipſe me eo nomine circumſpiciebã, mé que

Mureti ſtudiorum curſus.

Iuriſconſultorum circumforaneorum feſtiua deſcriptio.

que pulchrum,ac beatum putabã,tum vno ore omnes,vt ait Comicus, omnia bona dicere, & laudare fortunas meas,qui tantula ætate tantùm mihi, vt ipſi putabant,ſapientiæ, vt res ipſa docuit,ſtultitiæ & inanium opinionum ſupellectilem comparaſſem. Iam omnes me mei foro & cancellis & ſubſelliis deſtinabant, magnámq; in ſpem venerant,tabulam me aliquam non in poſtremis fore, confidentem, acrem, contentioſum,præſertim cùm & natura eſſem firmis lateribus,& voce magna,&,quod caput eſt,illi me quos dixi magiſtri, ſi non multùm ſapere, at certè quod apud eos pro eodem erat, multùm audere multúmque clamare docuiſſent Quid verbis opus eſt? Inibi iã erat,vt illud vitæ genus ingrederer, cùm Deus (Deus enim fuit,neque hoc mihi ex animo excuti poteſt) De⁹ igitur effecit,quædam Budæi & Alciati & aliorum eiuſdem notæ hominũ ſcripta ,quæ nunquam ante illud tempus aſpexeram, in manus meas venirent. Quæ cum euoluere cœpiſſem ,paſſimq́ue in eis multa reperirem, quæ de magiſtris meis nunquam audiſſem,

diſſem, multis ſententias, quas illi me ratas ac firmas eſſe docuiſſent, grauiſſimis argumentis conuulſas ac labefactatas, multa ex Græcis ſcriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus mihi tenebræ eſſent, nolite quærere, quid mihi animi fuerit. Viſus mihi ſum de cœlo decidiſſe, aut in alium quendam orbem delatus eſſe, neque aliter affectus ſum, quàm egeni, & inopes homines interdum ſolent, qui cùm totam noctem ſomniarunt ſe diuites repentè factos eſſe, vbi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contrectarunt, experrecti, omnia domi ſuæ obtentu telis aranearum vident. Quid facerem? ego ille paulò antè tumidus & ferox, cùm mihi derepentè vultus, animus, verba cecidiſſent, iámque ſuffuſus pudore, verecundarer inter eos verſari, qui de me ita magnificè ſenſerant, ſubduxi me clanculum ex illis, in quibus diu merueram, caſtris, & in Græciam nauigaui, id eſt, ad Græcarum literarum & diſciplinarum magiſtros me contuli, eadémque opera perluſtraui etiam vetus illud Latium, id eſt, omnes

Inanis opinio.

Græcis et latinis literis ad ius ciuile accedenti opus eſſe.

nes ad vnũ veteres linguæ Latinę ſcriptores diligenter & accuratè peruolutaui, ſedulò vndecumque omnia colligens, quibus mihi iuriſprudentia inſtructior, & ornatior fieri poſſe videretur. Atque in hac peregrinatione, tum in Lycei ambulationibus, tum in Academiæ ſpatiis ſæpe me exercui, quíque aut illius è Gargetto delicati, atq; otioſi ſenis hortos inuiſos præterij, tam venenorum quàm ſalabrium herbarum feraciores, neque deiectas veteris illius Pœciles, non tam Polygnoti manu, quàm Zenonis ingenio nobilitatæ, reliquias neglexi. Et vt magnã voluptatem capiunt, qui ad magnorum ac nobilium fluminum, Euphratis puta, aut Nili fontes, ac capita ipſa venerunt, ita iuuit me incredibiliter, cùm apud illos ſapiẽtiſſimos ſenes cernerem, quibus ex fontibus manaſsẽt amplisſima illa iuris ciuilis flumina, per quæ toto orbe ſparſa, atque diffuſa, tam multis aſſiduè ſũmo homines ingenio nauigarent. Intereà, vt paterfamilias, qui, mercaturæ cauſſa in longinquas terrarum oras profectus, dulcem eximiæque animo charam, domi

Epicurum intelligit.

Porticus in qua docebat Zeno Stoicorum princeps.

vxorem reliquit, ſæpe de ea cogitans, ſicubi aut gemmam aliquam, aut ſcitè tornatum annullum, aut monile bacatum, ſegmentatam veſtem, aut talia mundi muliebris ornamenta conſpexit: ſtudioſè omnia comparat ac ſeponit, quibus eam domum reuerſus, muneretur: ſic me per omne ſcriptorum genus vagantem nũquam ea cura ac cogitatio deſerebat, ecquid decerpere ac delibare ex eorum vno quoque poſſem, quod, cùm ad iuriſprudentiam reuerterer, ad eam expoliendam & exornandam accommodatum eſſet. Sciebam enim quàm turpe haberetur, & diu manere, & inanẽ redire. Quòd autem Homerus ait, Vlixem in illo diuturno errore crebrò ſpectare ſolitum Ithacam verſus: itidem ego ad iuriſprudentiã identidem reflectebã oculos: & ab ea tandiu abeſſe me, vix ſatis æquo animo ferebam. Quinetiã, ne me amœniores illæ diſciplinæ vſu quodammodo ſuum facerent, multa ſæpenumero faciebam vſucapionis interrumpendæ gratia: quod & mea qualiacunque ſcripta declarãt crebris iuriſconſultorum adſperſa ſententiis, &

Similitudo à mercatore ſũpta ornatum vxori per longinquas terras quærenti.

Odiſſ. α.

quoti

quotidianæ diſputationes, quibus quoties erat occaſio, aliquid ex hac diſciplina petitum intexebatur, non obſcurè indicabant. Nunc, cùm mihi videar non ea quidem omnia, quæ animo conceperam, perfeciſſe, ſed vſque eò tamen progreſſus eſſe, vt iis, qui iuris ciuilis cognitionem ex ipſis fontibus haurire cupiunt, opis aliquid adferre poſſim: putaui tempus iã ipſum poſtulare, vt prodirẽ, & nauatæ in hoc genere ſtudiorum operæ ſpecimen aliquod darem. Cur autem Pandectas potiſſimum extra ordinem interpretari voluerim, cauſſa hæc fuit. Videbam eruditiſſimos in hac ſcola viros, quibus docendi iuris munus mandatum eſt, ita ſe in eo gerere, vt, ipſa ſi loqui poſſet iuriſprudentia, non certius, aut copioſius, aut maiori cum dignitate videatur explicatura ſẽſus ſuos quã ab illis quotidie explicantur. Omnia ex eorum ore profluunt, quæ in hac arte, aut cogitari prudenter, aut diſputari acutè, aut certò definiri ac ſtatui poſſunt. Itaque cùm in omnibus habeam quod admirer, in nullo habeo quod deſiderem. Sed illi tamen

Cur Pandectas enarrandas ſibi delegerit.

Profeſſorum iuris laus.

quid dignitati ſuæ, eíque quàm meriτiſſimò obtinent, auctoritati conſentaneum ſit, intelligentes, perpetuò in grauium & arduarum quæſtionum tractatione verſantur: exquiſitam ſingularum vocum explicationem, vt humile quiddam, neque ſatis dignum, in quo tempus conterant, aut prætermittunt, aut modicè attingunt. Planéque ſi ad eos audiendos ij tantùm accederent, quos oporteret, id eſt, qui prius in Grammaticorum, Rhetorum, Philoſophorum ſcholis diu multùmque exercitati eſſent: nihil amplius, quàm quod ipſi cumulatiſſimè præſtant, requireretur. Nunc, quod ego principio feciſſe dixi, vt ad ius audiendum aliarum omnium artium rudis accederem, in eo vereor ne etiam hodie à pleriſque peccetur. Cogitaui igitur, ſi pro mea virili parte huic incommodo mederi ſtuderem, neque inuidioſum id mihi, neque inutile aliis fore. Nam neque inuidiam habet vllam, quod ab aliis neglectum iaceat, id ſumere: & in exercitu non tantùm Imperatorum & tribunorum ac centurionum, ſed & gregariorum militum, & colonum quo

Qui viliora tractant non improbandos eſſe.

quoque ac lixarum aliquis vſus eſt. Neque ſi gubernatorum in naui regenda præcipuum eſt munus, non ijquoque vtiles ſunt, quorum inſentina exhaurienda omnis conſumitur labor? Quanquam, ſi id quod res eſt fateri, ſi recta & vera ſpecioſis ac fucatis anteponere, ſit, quanti res quæque ſit, nõ quanti vulgò fiat, ſpectare volumus: multo plus eſt in hac pura & ſimplici verborũ explicatione momenti, quàm plerique fortaſſe ſuſpicarentur. Nam cùm, verba, vt ait Ariſtoteles, ſint eorum, quæ animo cõcepimus, notæ, fieri nullo modo poteſt, vt, qui vim verborum non percipit, eam ſententiam, quæ illis verbis expreſſa eſt, aſſequatur. Itaque & idem Ariſtoteles alibi ait, eos, qui, quid quoquo verbo propriè indicetur, non ſatis intelligunt, in rebus iudicandis ſæpenumero falli: & apud Platonem Cratylus ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere dicit. Et quis tandem eſt, qui neſciat, patrum auorúmque noſtrorum memoria, cùm peruerſa quædam ac peſtifera opinio inualuiſſet, nihil cultum orationis, nihil hiſtoriæ veteris

Cap. 1. libr. de interpretatiõ.

notitiam ad eos; qui graues ac ſerias diſciplinas tractarent, pertinere, Græcas verò literas etiam impedimento eſſe, quanta & quàm denſa caligo vniuerſum propè terrarum orbem obtexerit? quantáque verborum neglectũ rerum ignoratio conſecuta ſit? Sed quid neceſſe eſt huic rei aliunde argumenta petere? Illi ipſi, quorum libros quotidie terimus, veteres iuriſconſulti in explicandis legibus, ſenatuſconſultis, edictis prætorũ, aut ædilium conſtitutionibus, decretis, epiſtolis principum, quam quæſo viam rationémque tenuerunt? Nempe in patefaciẽda ſingulariũ vocum vi ac proprietate tam multi támque aſſidui sũt, vt magnam induſtriæ ſuæ partem in eo conſumere videantur. Quod prolatis ac productis ipſorum locis probarem, ſi, tam facilè, quàm neceſſarium eſſet. Antiſtium Labeonem in iuriſconſultum nobiliſſimum cùm alicubi valde commendaſſet Gellius, ad poſtremum addit: Latinarum vocum origines rationéſque percalluerat: eáque præcipuè ſcientia ad enodandos iuris laqueos vtebatur. Hos me ſequen-

Veteres Iuriſcõſulti in explicatione verborũ plurimũ occupantur

Antiſtius Labeo.

quētem duces, nemo, vt opinor, meritò culpauerit. Quam igitur interpretandi viam nobis Vlpianus, Paulus, Caius, Marcellus, cæteríque iuris antiſtites præiuerãt, eam ſequemur, & eorum veſtigiis, quantùm vires noſtræ ferent, inſiſtentes, ſumma ope conabimur, efficere, vt neque prætermittamus neceſſaria, neque inutilia conſectemur: & quotidie tamē aliquid minimè vulgare miniméque cōtritum adferamus. Quod vt iam nunc perſpicere poſſitis, dum ad titulum de iuſtitia & iure interpretandum accedo, quæſo, diligēter attendite. *Iuriſconſulti príncipes.*

DIXI.

ORATIO NONA HABITA ROMAE PRID. KAL. MARTII ANNO M. D. LXIX.

QVod antiquitus à ſapientiſſimis viris dictum eſt, non licere cuiquam mortalium, quid facturus, aut non facturus ſit, certó pronunciare: quód in vita multa eueniūt, tum vt ea *Futurum incertum*

cognoſcetis, forſitan, exemplo meo edocti, melius ipſi veſtris rationibus conſuletis. Ego igitur, vt primum puer Grammaticorum & Rhetorum præceptis viſus ſum vtcunque imbutus eſſe, leuiter guſtatis dialecticæ principiis, cæteris autem philoſophiæ partibus, ne à limine quidem ſalutatis, nulla Græcæ linguæ intelligentia, nullo rerum vſu, nulla antiquitatis cognitione inſtructus, animum ad ius ciuile appuli, & iis doctoribus, qui tum illis locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi. Iámque eò proceſſeram, vt, quæ tum præcipuæ laudes habebantur, & in argumentando ſatis acutus, & in reſpondendo nô incautus, & quacunq; de re ageretur, abundè loquax eſſem, &, quod multis palmarium videbatur, multarum legum non intellectarum principia vno ſpiritu citare, multorum interpretum nomina recenſere, multos verſus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, vt opinor, & periſtylia, & intercolumnia, nullo negotio, numerare quamlibet multa poſſe. Cùm ipſe me eo nomine circumſpiciebã, mé

Mureti ſtudiorum curſus.

Iuriſconſultorum circumforaneorum feſtiua deſcriptio.

que pulchrum,ac beatum putabã,tum vno ore omnes,vt ait Comicus, omnia bona dicere, & laudare fortunas meas,qui tantula ætate tantùm mihi, vt ipſi putabant,ſapientiæ, vt res ipſa docuit,ſtultitiæ & inanium opinionum ſupellectilem comparaſſem. Iam omnes me mei foro & cancellis & ſubſellijs deſtinabant, magnámq; in ſpem venerant,tabulam me aliquam non in poſtremis fore, confidentem, acrem, contentioſum, præſertim cùm & natura eſſem firmis lateribus,&voce magna,&,quod caput eſt,illi me quos dixi magiſtri, ſi non multùm ſapere, at certè quod apud eos pro eodem erat, multùm audere multùmque clamare docuiſſent Quid verbis opus eſt? Ibi iã erat,vt illud vitæ genus ingrederer, cùm Deus (Deus enim fuit,neque hoc mihi ex animo excuti poteſt) De^a igitur effecit,quædam Budæi & Alciati & aliorum eiuſdem notæ hominũ ſcripta, quæ nunquam ante illud tempus aſpexeram, in manus meas venirent. Quæ cum euoluere cœpiſſem, paſſimque in eis multa reperirem, quæ de magiſtris meis nunquam audiſſem,

diſſem, multis ſententias, quas illi me ratas ac firmas eſſe docuiſſent, grauiſſimis argumentis conuulſas ac labefa-ctatas, multa ex Græcis ſcriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus mihi tenebræ eſſent, nolite quærere, quid mihi animi fuerit. Viſus mihi ſum de cœlo decidiſſe, aut in alium quendam orbem delatus eſſe, neque aliter affectus ſum, quàm egeni, & inopes homines interdum ſolent, qui cùm totam noctem ſomniarunt ſe diuites repentè factos eſſe, vbi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contrectarunt, experrecti, omnia domi ſuæ obtentu telis aranearum vident. Quid facerem? ego ille paulò antè tumidus & ferox, cùm mihi derepentè vultus, animus, verba cecidiſſent, iámque ſuffuſus pudore, verecundarer inter eos verſari, qui de me ita magnificè ſenſerant, ſubduxi me clanculum ex illis, in quibus diu merueram, caſtris, & in Græciam nauigaui, id eſt, ad Græcarum literarum & diſciplinarum magiſtros me contuli, eadémque opera perluſtraui etiam vetus illud Latium, id eſt, omnes

Inanis opinio.

Græcis et latinis literis ad ius ciuile accedenti opus eſſe.

nes ad vnū veteres linguæ Latinę ſcriptores diligenter & accuratè peruolutaui, ſedulò vndecumque omnia colligens, quibus mihi iuriſprudentia inſtructior, & ornatior fieri poſſe videretur. Atque in hac peregrinatione, tum in Lycei ambulationibus, tum in Academiæ ſpatiis ſæpe me exercui, quíque aut illius è Gargetto delicati, atq; otioſi ſenis hortos inuiſos præterij, tam venenorum quàm ſalabrium herbarum feraciores, neque deiectas veteris illius Pœciles, non tam Polygnoti manu, quàm Zenonis ingenio nobilitatæ, reliquias neglexi. Et vt magnā voluptatem capiunt, qui ad magnorum ac nobilium fluminum, Euphratis puta, aut Nili fontes, ac capita ipſa venerunt, ita iuuit me incredibiliter, cùm apud illos ſapiētiſſimos ſenes cernerem, quibus ex fontibus manaſſēt amplisſima illa iuris ciuilis flumina, per quæ toto orbe ſparſa, atque diffuſa, tam multis aſſiduè ſūmo homines ingenio nauigarent. Intereà, vt paterfamilias, qui, mercaturæ cauſſa in longinquas terrarum oras profectus, dulcem eximiæque animo charam domi

Epicurum intelligit.

Porticus in qua docebat Zeno Stoicorum princeps.

vxorem reliquit, ſæpe de ea cogitans, ſicubi aut gemmam aliquam, aut ſcitè tornatum annullum, aut monile bacatum, ſegmentatam veſtem, aut talia mundi muliebris ornamenta conſpexit: ſtudioſè omnia comparat ac ſeponit, quibus eam domum reuerſus, muneretur: ſic me per omne ſcriptorum genus vagantem nũquam ea cura ac cogitatio deſerebat, ecquid decerpere ac delibare ex eorum vno quoque poſſem, quod, cùm ad iuriſprudentiam reuerterer, ad eam expoliendam & exornandam accommodatum eſſet. Sciebam enim quàm turpe haberetur, & diu manere, & inanẽ redire. Quòd autem Homerus ait, Vlixem in illo diuturno errore crebrò ſpectare ſolitum Ithacam verſus: itidem ego ad iuriſprudentiã identidem reflectebã oculos: & ab ea tandiu abeſſe me, vix ſatis æquo animo ferebam. Quinetiã, ne me amœniores illæ diſciplinæ vſu quodammodo ſuum facerent, multa ſæpenumero faciebam vſucapionis interrumpendæ gratia: quod & mea qualiacunque ſcripta declarãt crebris iuriſconſultorum adſperſa ſententiis, & quoti

Similitudo à mercatore sũpta ornatum vxori per longinquas terras quærenti.

Odiſſ. a.

quotidianæ diſputationes, quibus quoties erat occaſio, aliquid ex hac diſciplina petitum intexebatur, non obſcurè indicabant. Nunc, cùm mihi videar non ea quidem omnia, quæ animo conceperam, perfeciſſe, ſed vſque eò tamen progreſſus eſſe, vt iis, qui iuris ciuilis cognitionem ex ipſis fontibus haurire cupiunt, opis aliquid adferre poſſim: putaui tempus iā ipſum poſtulare, vt prodirē, & nauatæ in hoc genere ſtudiorum operæ ſpecimen aliquod darem. Cur autem Pandectas potiſſimum extra ordinem interpretari voluerim, cauſſa hæc fuit, Videbam eruditiſſimos in hac ſcola viros, quibus docendi iuris munus mandatum eſt, ita ſe in eo gerere, vt, ipſa ſi loqui poſſet iuriſprudentia, non certius, aut copioſius, aut maiori cum dignitate videatur explicatura ſēſus ſuos quā ab illis quotidie explicantur. Omnia ex eorum ore profluunt, quæ in hac arte, aut cogitari prudenter, aut diſputari acutè, aut certò definiri ac ſtatui poſſunt. Itaque cùm in omnibus habeam quod admirer, in nullo habeo quod deſiderem. Sed illi tamen

Cur Pandectas enarrandas ſibi delegerit.

Profeſſorum iuris laus.

quid dignitati ſuæ, eiſque quàm meritiſſimò obtinent, auctoritati conſentaneum ſit, intelligentes, perpetuò in grauium & arduarum quæſtionum tractatione verſantur: exquiſitam ſingularum vocum explicationem, vt humile quiddam, neque ſatis dignum, in quo tempus conterant, aut prætermittunt, aut modicè attingunt. Planéque ſi ad eos audiendos ij tantùm accederent, quos oporteret, id eſt, qui prius in Grammaticorum, Rhetorum, Philoſophorum ſcholis diu multúmque exercitati eſſent: nihil amplius, quàm quod ipſi cumulatiſſimè præſtant, requireretur. Nunc, quod ego principio feciſſe dixi, vt ad ius audiendum aliarum omnium artium rudis accederem, in eo vereor ne etiam hodie à pleriſque peccetur. Cogitaui igitur, ſi pro mea virili parte huic incommodo mederi ſtuderem, neque inuidioſum id mihi, neque inutile aliis fore. Nam neque inuidiam habet vllam, quod ab aliis neglectum iaceat, id ſumere: & in exercitu non tantùm Imperatorum & tribunorum ac centurionum, ſed & gregariorum militum, & colonum quo

Qui viliora tractant non improbãdos eſſe.

quoque ac lixarum aliquis vſus eſt. Neque ſi gubernatorum in naui regenda præcipuum eſt munus, non ijquoque vtiles ſunt, quorum inſentina exhaurienda omnis conſumitur labor? Quanquam, ſi id quod res eſt fateri, ſi recta & vera ſpecioſis ac fucatis anteponere, ſit, quanti res quæque ſit, nõ quanti vulgò fiat, ſpectare volumus: multo plus eſt in hac pura & ſimplici verborũ explicatione momenti, quàm plerique fortaſſe ſuſpicarentur Nam cùm, verba, vt ait Ariſtoteles, ſint eorum, quæ animo cõcepimus, notæ, fieri nullo modo poteſt, vt, qui vim verborum non percipit, eam ſententiam, quæ illis verbis expreſſa eſt, aſſequatur. Itaque & idem Ariſtoteles alibi ait, eos, qui, quid quoquo verbo propriè indicetur, non ſatis intelligunt, in rebus iudicandis ſæpenumero falli: & apud Platonem Cratylus ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere dicit. Et quis tandem eſt, qui neſciat, patrum auorúmque noſtrorum memoria, cùm peruerſa quædam ac peſtifera opinio inualuiſſet, nihil cultum orationis, nihil hiſtoriæ veteris

Cap. 1. li. de interpretatiõ.

quẽtem duces,nemo,vt opinor, meritò culpauerit. Quam igitur interpretandi viam nobis Vlpianus, Paulus, Caius,Marcellus,cæteríque iuris antiſtites præiuerũt.eam ſequemur,& eorum veſtigiis, quantùm vires noſtræ ferent,inſiſtentes,ſumma ope conabimur,efficere,vt neque prætermittamus neceſſaria,neque inutilia conſectemur: & quotidie tamẽ aliquid minimè vulgare miniméque cõtritum adferamus. Quod vt iam nunc perſpicere poſſitis, dum ad titulum de iuſtitia & iure interpretandum accedo, quæſo, diligẽter attendite.

Iuriſconſulti prĩcipes.

DIXI.

ORATIO NONA HABITA ROMAE PRID. KAL. MARTII ANNO. M. D. LXIX.

QVod antiquitus à ſapientiſſimis viris dictum eſt, non licere cuiquam mortalium, quid facturus, aut non facturus ſit, certó pronunciare: quód in vita multa eueniũt,tum vt ea

Futurum incertum

ne facias,quæ facere decreueris,tum ea vt facias,quæ nunquam facere conſtitueris: id ego & ſæpe ante hac in aliis, & in me ipſo nuper veriſſimũ eſſe cognoui. Nam in hoc publicè docendi munere quinquennium iam cum aliqua hominum approbatione verſatus, eo me,vt ſcitis, ſuperioribus menſibus ſponte abdicaueram : i 'que eo animo, vt,quod ex me ſæpe auditum eſt,nunquam me poſtea eandem prouinciam ſuſcepturum , nunquam eoſdem labores denuo ſubiturum putarem. Cogitabam,ſatius eſſe deſinere, quàm deficere:me,ſiue placuiſſem,ſatis iam ſpectatum eſſe:ſiue diſplicuiſſem, plus ſatis : ſatius eſſe cum deſiderio , quàm cum ſatietate diſcedere: vtcumque eſſet,tradendam quaſi curſu aliis lampadem,qui & laboris patientiores,& doctrinæ copia inſtructiores , inſtitutam hic & inchoatam à nobis, maiore animo,quàm viribus,iuriſprudentiæ cum eloquentia,& cum antiquitatis cognitione coniunctionem exædificarent, ad ſummúmque perducerent. Mihi ad nominis mei commendationem abũdè videbatur , tanti ac tam præclari

operis

operis aliqua ſaltem fundamenta ie-ciſſe,& præſtando,quod poſſem, alios qui plus poſſent, vt experiri vellent, exemplo meo excitaſſe. Iámque totus in eo eram, vt me non languori quidem ac deſidiæ dederem: qui ſemper ignauorum vitam mortémque iuxta æſtimaſſem: ſed ad eas artes mecũ recolendas ac celebrãdas referrem, quibus vſque à puero deditus fui: & ad mandandas literis cognitiones quaſdam meas, quibus efficerem, conarer quidem certè, vt, quod mihi otium Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis ſtudiorum ac fortunarum mearum patroni ſumma liberalitate conceditur, eius aliquis fructus non ad præſentes modò & eos qui nunc ſunt, ſed & nũc ad exteros,& olim ad poſteros perueniret. In hac me cognitione defixum, & tanquam in portu, complicatis velis, cæteríſque armamentis omnibus compoſitis,quieſcentem,veſtra, Cardinales ampliſſimi, auctoritas expergiſci denuo,& ſubductam iam nauim, mutato conſilio,deducere,& vela ventis pandere coegit. Quæ mihi res eò mirabilior viſa eſt, quòd non dee-

Ignauorũ vita & mors eadem.

Hippolytus Ferrarienſis Cardinalis mecænas Mureti.

rant homines & ingenioſi, & eruditi, & exercitati, qui vobis ad hoc munus obeundum vltrò ſtudium atque operam profiterentur ſuam: quorum etiã vnum à meipſo verè atque ex animo commendatum eſſe memini. Itaque, vt in hiſtoriis eſt, eos, qui M. Catonem in præturæ petitione ſuperârant, ipſoſmet mirari ſolitos, quòd ſe tali viro populus Romanus prætuliſſet: ſic fateor, mihi mirum viſum eſſe, quid ita vobis potius libuerit, me alia iam omnia cogitantem, etiam cùm aliqua ad vetus honorarium acceſſione reuocare, quã in locum eum aliquem ex iis ſufficere ac ſubſtituere, qui id in beneficij loco putabant. Quod ego neque ita me ignoro, vt mihi tribuam, ac non veſtrę potius humanitati, quàm vlli merito meo acceptum feram: & tamen non debeo eſſe aut aduerſus dignitatem meam, aut aduerſus veſtra iudicia improbè curioſus. Nam, ſiue aliquid eſſe in me, cur hic honos mihi habendus eſſet, iudicaſtis, potius eniti ac contẽdere debeo, vt veſtram de me opinionem rebus confirmem, quàm, vt verbis refellam: ſiue, quod magis credo

M. Catonis integritas ipſis cõpetitorib. mirabilis.

veſtra

veſtra tãtùm in eo humanitas,& quædam erga me voluntatis propenſio valuit,non minus optabile aut honorificũ duco, à vobis amari, quàm magna aliqua ſiue eruditione, ſiue eloquentia præditũ iudicari.Illud quidẽ neq; reticere,neque diſſimulare poſſum,recentẽ iſtã veſtræ erga me voluntatis ſignificatiõnẽ magnum mihi onus impoſuiſſe, magnam curam & ſollicitudinem,magnam vigilandi,laborandi,contendendi omnes ĩduſtriæ meæ neruos neceſſitatem attuliſſe. Non enim mihi tantùm elaborandum eſt,vt,ſi quam mihi exiſtimationem ſuperiorum annorum labores vigiliæqúe pepererunt, eam conſeruem ac tuear:ſed multò magis, vt veſtra de me iudicia ſuſtineam,& aliqua ſaltem ex parte reſpondeam illi expectationi, quam de me, vt veriſimile eſt, in multorum animis pondus auctoritatis veſtræ concitauit. Quod quidem me ſtudioſiſſimè conſtantiſſiméque facturum vobis omni aſſeueratione confirmo,daturúmque operam,vt hæc, qua nunc cincti ac circumfuſi eſtis, ſtudioſorum adoleſcentium multitudo,ſi nulla alia re,at certè indu

A magnis viris amari honorificum.

Omnem operã & diligentiã pollicetur

induſtria & aſſiduitate vix alium quẽquam à vobis ad rationes ſuas accommodatiorem huic muneri præfici potuiſſe fateatur. Sed iam tempus eſſe videtur, vt ſpecimẽ vobis aliquod exhibeam eius rationis, ac viæ, quam & vſque adhuc in docendo tenui, &, niſi vos aliud iubeatis, deinceps perpetuò tenere decreui: Quod dum facio, date mihi obſecro hanc veniam, vt auertam à vobis orationem, atque ita diſſeram quaſi ij tãtùm adeſſent, quorum cauſſa me, rude iam, vt arbitrabar, donatũ, in hanc arenam denuo reuocandũ cẽſuiſtis.

DIXI.

ORATIO DECIMA HABITA ROMAE PRIDIE NON. NOVEMB. AN. M. D. LXIX.

Sibi de ſua ius ciuile docẽdi ratione gratulatur.

MAiorem in dies fructum capio ex hoc conſilio atque inſtituto meo, exornãdi iuris ciuilis, neque lautius modò ac nitidius, ſed diſtinctius etiam & ad rudiorum captum accommodatius, quàm plerique vulgo ſolẽt, expli

explicandi. Nam etſi ſatis intelligo, nõ tãtum mihi eſſe vel virium vel, auctoritatis, quantum ad hoc, quod animo concepi, quódque omnibus votis expeto, planè perficiendum requireretur: iuuat tamen, tãti ac tam præclari operis qualiacumque fundamenta iacere, experiri ſi fortè alios rebus omnibus inſtructiores commouere & ad eandem cogitationem ſuſcipiendam excitare poſſim: efficere denique vt quicumque olim de hoc meo conatu verè iudicare & poterunt, & volent, quiduis mihi potius, quam, aut in diligenda rectè docendi ratione ac via iudicium, aut in eadem aliis commoſtranda volũtatem defuiſſe fateantur. Quibus enim rebus eius, qui quamcumque artem docere inſtituit, officium contineri arbitror, eas vt præſtarem, & alias ſemper, & præcipuè ex quo libros Pãdectarum explicare ingreſſus ſum, magno mihi ſtudio eleboratum eſt. Ac ne quis fortè quærat, quæ tandem illa ſint, in quibus & multum operæ poſuiſſe me dico, & multum ponendum eſſe omnibus, qui docendi munus, ita vt oportet obire ac ſuſtinere meditãtur expo-

exponam ea, vt potero, breuiter, vobíſque poteſtatem faciam, ex iis quæ hodierno die de doctoris officio dicam, exiſtimandi quid à me in poſterum nō expectare tantùm, ſed etiam exigere debeatis. Exiſtimo igiſtitur duob. verbis comprehendi poſſe munus eius qui docet: videndum enim ei eſſe, quid doceat, & quomodo. Prius illud eā vim habet: curādum eſſe ei, primùm vt vera doceat: tum propria eius artis, in qua verſatur, aut certè cum eo quod agitur coniuncta & cohærentia. Modus autem docendi is eſt, vt perſpicuè doceat: quod duab. reb. conficitur, ordine, & genere ſermonis ad res enodādas & enucleandas accommodato. Hæc omnia qui præſtet, vt in docendo & vera tradat, & pertinentia ad eā artem quam docet, & ita diſtinguat, vt ſuo quidque loco digerat ac colloce, & verbis propriis, ſignificantibus ab eorum qui purè ac nitidè loquuntur conſuetudine non ab horrentibus efferat, atq; eloquatur, ei ego nihilomnino ad ſummi ac perfecti doctoris laudem deeſſe ſtatuo: qui autem cùm ea plenè quidem & abſolute præſtare non

Munus doctoris duobus verbis cōprehēſum

Summus doctor quis

non poſſe ſe agnoſcat, eò tamen quid qui habet vitium confert, vt ad eas laudes quàm poteſt proximè accedat, digniſſimum eſſe, cuius honoſtiſſimos conatus, & induſtriam ad præclara tēdentem bonorum omnium perpetuus applauſus approbatióque comitetur. In his omnibus variè peccatum eſſe video à multis eorum, qui quadringē-tos ferè ab hinc ānos ius ciuile tractarunt: quorū etiam nonnulli tanto apud multos in pretio ſunt, vt, quaſi Atlantis humeris cælum, ita eorum auctoritate huius artis dignitas ſuſtineri putetur. Nam & multa ſæpe pro veris falſa docuerunt: & referſerunt libros ſuos alieniſſimis quæſtionibus: & ſine vllo ordine omnia tradiderunt, & cùm Latinè loqui neſcirent, nouum quoddam & monſtroſum ſibi confinxerunt loquē-di genus, vt ſi veteres illi Pauli, & Vlpiani, & Papiniani & cætereri viri antiſtites reuiuiſcant, multis interpretibus opus futurum ſit, ad eos qui ſcripta ſua interpretati ſunt, intelligendos. Ac cur falſa quidem pro veris tradiderint, non negauerim alias quoque fuiſſe cauſſas: duas tamen præcipuas feciſſe

Peccata ius ciuile docentiū

Duæ præcipuæ cauſſæ cur iuris interpretes fallantur.

arbi-

arbitro,ignorationem antiquitatis, & peruerſum quoddam ſtudium cōtradicendi.Etenim cùm tota reipublicæ atque imperij Romani facies ita verſa atque immutata eſſet,vt nullum retineret veteris formæ veſtigium,alię cōſuetudines eſſent, aliæ leges, alia religio, alij magiſtratus, alia iudicia:extincto autem lumine Latinarum & Græcarum literarum, omnia denſiſſimis ignorantiæ tenebris ſepulta, atque obruta tenerentur:fieri nullo modo potuit,quin homines eius reipublicæ ignari, cuius leges & iura tractabant,tanqaum in illum noctè ſine lumine errantes,ſæpe offenderent, ſæpe laberentur, ſæpe quouis potius,quàm quo inſtituerant, peruenirēt. Ad quod incōmodum cùm aliud acceſſiſſet ex praua quadam ambitione, quæ multorum ex illis animos occuparat,vt inde corum putarent, cuiquam aſſentiri, ac tum demum ſibi pulchri ac beatiuiderentur,ſi ſuperiorum placita labefactare ac ſubuertere, ipſi autē aliquid, quod ante ſe nemo dixiſſet, adferre potuiſsēt quaſi clauū clauo,ſic opinionem opinione trudentes, eo tandem

Studium cōtradicendi iuris interpretū.

rem

rem perduxerant, vt, cùm receptū ſit, in rebus iudicandis communem interpretum ſententiam ſequendā eſſe, ſæpenumero, quæ ī plures probata ſit, in tanta diſcrepantia, ac varietate dubitetur. Scitum autem eſt quod ait Plato, ſemper inter ſe conſentire eos qui aliquid ſciunt: nam neque ſciri poteſt niſi quod verum eſt: neque in qnaque re verum eſſe amplius vno poteſt. Iam quod ſecundo loco poſui, multas ſæpe ab eis inculcatas quæſtiones, neque iuris ciuilis proprias, neque ad id quod in manibus erat vllo modo pertinentes, id, quin verum ſit, dubium nemini vnquam futurum eſt, qui eorū ſcripta vel per tranſennam, vt dici ſolet, aſpexerit. Niſi fortè quærere, quæ ſit poteſtas ablatiui, vt loquuntur, abſoluti, aut gerundij, aut relatiui, QVI, QVAE, QVOD, & ſimilia, quæ vel referre piget, grāmaticorū non eſt potius, quàm iuriſconſultorum: aut quæ ſit ratio definiendi, quid interſit inter definitionem & notationem vocabuli, quando liceat argumentari ab enumeratione partium, non Dialectici potius, quàm iuris ciuilis profeſſores, do-

Iuris interpretum contrarietas & diſſidium ignorantia iudicum.

Iuris interpretes in alieniſſimis quæſtionibus occupati.

cere debent: aut denique innumerabilia, quæ eorum commentarios legentibus paſſim occurrunt, non melius & verius ab ijs artificibus quorum propria ſunt explicantur. Nam de ordine quid dicam? quem ſemper ſapientiſſimus quiſque plurimi fecit: cui tantùm tribuerunt quidam ex veteribus philoſophis vt ſummum ac ſupremũ huius vniuerſitatis parentem atque opificem Deum dicerent in orbe condendo nihil aliud præſtitiſſe, quàm quòd confuſas & permiſtas inter ſe rudis materiæ partes diſcreuiſſet certoq; ordine ſuis quamque in ſedibus collocaſſet. Impia opinio, fateor. omnia enim non tãtùm digeſſit ac diſpoſuit, ſed ex nihilo effecit ac procreauit Deus. Sed tamen ex eo intelligi poteſt, quæ illorum de ordine opinio fuerit, quantamque vim in eo ineſſe crediderint: cùm à quo nihil amplius quàm confuſas mundi partes in ordinem adductas eſſe dicebant, cum tamen ipſi quoque cum cæteris veriſſimo nomine parentem ac conditorem omnium rerum vocarent. Extat præclara ſententia apud Xenophontem in Oeconomico, nihil eſſe aut pulchrius,

Ordinis commendatio.

Xenophon de ordine.

chrius,aut ad vſum commodius:quàm ordinem: nihil contrà aut aſpectu fœdius ac deformius,aut quod plura omnibus rebus incommoda adferat,quàm confuſionẽ ac perturbationem. At noſtri iſti cùm dialecticen, aut non didiciſſent,aut ita didiciſſent,vt non didiciſſe præſtaret: quibus, quæſo, modis omnia miſcuerunt? qualem nobis cuiuſque generis præceptorum farraginẽ reliquerunt? Vt ſi quis ruſticus hordeum,triticum, viciam, legumina in vnum aceruũ conferat,non illius aceruum horum commentarijs exiſtimem perturbatiorem fore.Mihi quidem, cũ in eos inſpicio,ſæpiſſime Ouidiana illa de Chao in mentem veniunt.

Confuſio quæ eſt in libris iuris interpretum.

Quáque erat & tellus,illic &pontus, & aër.

Metam. I.

Non aliter enim apud hos, vbi verbi cauſa de auctoritate magiſtratuum agitur, dicetur etiam aliquid de teſtamentis:vbi de emptione & venditione diſseritur,aliquid de pœnis,aut de auctoritate tutorum inſeretur: nihil eſt denique quod certam ſedẽ aut domicilium habeat: nihil quod non alieniſſimo æquè facilè ac ſuo loco pertra-

ctatum reperiatur. Inde illæ crebræ ex vno in aliū locum reiectiones: cùm te, quod hîc agendum ac tractandum erat, id iubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, nunquam, niſi admonitus, diuinare potuiſſes. Prorſus vt ſi quis paterfamilias veſtem non in veſtiario, ſed in arca panaria cōderet: panē ex puteo hauriret, piſces in nemore, lepores in piſcina incluſos haberet. Apud Ariſtotelem primo phyſicorum recenſetur opinio veterum quorundā, in quib. fuit & Anaxagoras, qui quidlibet in quolibet ineſſe dicebant: idque exprimebant hemiſtichio quodam, vt opinor, Empedoclis, πᾶν ἐν παντὶ μέμικται. Hoc an phyſicis verè dicatur, viderint, qui illa tractant: in talium certè interpretū commentarijs veriſſimè dici poteſt. Atque hoc ſunt etiam qui eos de induſtria feciſſe dicant, vt artē iuris obſcuriorem, ac difficiliorem cognitu redderent, & ad cæteros labores illum quoque adderent, quo excarnificarent diſcentium ingenia, peruolutandi ſæpe illas ingentes librorū moles, & omnia alieno loco potius quærendi quàm ſuo. Quod ſi verum eſt, nam

Homoermeria.

Iuris interpretes obſcuritatem malignè affectaſſe.

Nam ego quidem aliam potius fuiſſe cauſam ſuſpicor, neque ita de eis malè ſentio, vt, cùm melius poſſent, noluiſſe credam: ſed tamẽ ſi ita eſt, non obſcurum eſt, quàm eis pro tam ſancto atq; honeſto propoſito gratiam debemus. Vltimus locus erat de genere dicendi, quo dixi eos, qui quid docent, vti debere nitido, perſpicuo, vſitato, tali denique vt ſine vllis ſalebris, ſine vlla aſperitate influat in aures animóſque diſcentium, eíſque ſe nõ ad ſcita fucíſque ac pigmentis quæſita, ſed naturali pulchritudine ac ſuauitate commendet. A quo ij quos dico quàm longe omnes ab fuerint, quis non videt? Et ſunt tamen qui eos defendant: vt nulla eſt tam mala cauſa quæ patronos non inueniat: dicúntque eloquentiam in eo qui ius docet, non requiri: ſatis eſſe ſi artem ſuam teneat: eius præcepta dum tradat, quibus ea verbis pronũciet, nihil intereſſe. Citant etiam in eam rem verba quædam Ciceronis, quibus ait ſe in philoſopho eloquentiam, ſi adferat, non aſpernari: ſi careat, non admodum requirere. Nimium delicatos eſſe, qui in tanta præclariſſimarum re-

Genus dicendi iuris doctori neceſſarium.

Rationes quib. barbaries iuris interpretũ defenditur.

Ex 1. de finibus.

rum copia etiam verborum concinnitatem requirant:& perinde facere ac ſi optimos & ſaluberrimos cibos faſtidirent,niſi in auro aut in gemmis apponerentur. Tum præterea facilius intelligi ac percipi quæ qualibuſcunque verbis ſine delectu efferuntur, quàm ſi quis in eiuſdem pura ac latina oratione exprimendis elaboraret. Poſtremò vſu hoc iam & experientia compertum eſſe,quibus verborum cura eſt,eos exſuccos ferè, & aridos, & exangues, & grammaticos potius aut ludimagiſtros, quàm veros & ſolidos iuriſconſultos euadere: cùm contrà, qui magno & forti animo contempſerunt ſermonis delicias, & illud horridum,incomptum,agreſte, ruſticanum dicendi genus adamarunt, ij demum iuris ac legum cognitione impleant pectus, in conſultationibus, in foris, in ſubſellijs regnent, in omnium maioris momenti controuerſiarum diſceptatione ac dijudicatione dominentur. Quibus vt reſpondeam, primum

Refutatio barbarorum.

dico,non exiſtimare me eloquentiam, neque ad iùs, neque ad vllam omnino artem tractandam, neceſſariò requiri:

quiri: ne ad illam quidem ipſam, qua fieri eloquentes putantur. Multos enim accepimus, cùm ipſi eloquentes non eſſent, optimos tamen alijs ad eloquentiam duces ac magiſtros fuiſſe: qualem in Græciam Hermogenem, in hac vrbe Quinctilianum fuiſſe aiunt. Et Ariſtoteles, ſi ſe ad dicendum contuliſſet, fortaſſe multos habuiſſet ſuperiores, quo tamen eloquentiæ præcepta nemo vnquam melius, aut perfectius tradidit. Munditiam quidem ſermonis non in artibus modò docendis, ſed etiam in congreſſibus & in familiari colloquio ab omnibus ingenuis & paulò liberius inſtitutis hominibus requirendam puto. Non gemmas, non aurum, non emblemata requiro: fictilibus æquo animo cœnare poſſum: præſertim ſi epulæ, ſint vt ais, exquiſitæ: ſed illa ipſa fictilia terſa ſint niteant, appetentiam potius quàm vomitum concitent. An tu conuiuatorē feras, qui, quamlibet lautos cibos in vaſis cœno ac luto conſpurcatis apponat? Nam quòd aiunt facilius intelligi quæ ita dicuntur: credo equidem hoc inter ipſos verum eſſe. Balbi enim bal-

Optimi dicendi magiſtri qui eloquētes ipſi nō fuerunt.

Nitorem ſermonis ingenuum quemque decere.

bos,vt eſt in prouerbio,melius intelli-gunt.Ingenui quidem adoleſcentes, in Ciceronius,Cęſaris,Plauti, Terentij & ſimilium libris exercitati, & Latinæ linguæ intelligentes,nouos ſibi de verborum ſignificatione commentarios conquirant oportet, cum acceſſuri ſunt ad illas mixobarbaras cantiones. Neque enim vna ſaltem lingua eſt,qua loquuntur,ſed teterrimus quidam cinnus ex fœdiſſima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluuione, olens, vt ſeruus ille Plautinus ait,allium, hircum, haram,ſuem, canem,capram commiſtam:vt quemadmodum odor qui ex Auerno afflabatur, ſuperuolantes aues necare ſolitus dicitur,ita illud pus,illa ſaniés, illud virus optima quæque ingenia exanimet. Ego quidē certè multos noui optimo adoleſcentes, & acutiſſimo ingenio præditos, qui cùm in alijs diſciplinis exercitati, ad artem ſe iuris accingerent,talium magiſtrorū incondita voce perterrefacti,refugerunt, retulerunt pedem.

Virgil. 6. Aeneid.

Improuiſum aſpris veluti qui ſentib. anguem.

Preſſit

Preſſit humi nitens, trepidúſque repente refugit. *Virgil. 2. Aeneid.*

Quod autem quaſi firmamentum defenſionis ſuæ ponunt, nō poſſe quemquam magnum iuriſconſultū euadere, cui vlla faciendæ ac poliendæ orationis cura ſit: pro Deum immortalem, etiámne hoc tam erudito ſeculo, ita hac tanta luce ac ſplendore diſciplinarum omnium cuiquam ſe perſuaſuros putant? Quemquamne ex illo ſuo grege inquinatè ac contaminatè balbutientium potius quàm loquentium proferent, quem cum Alciato, cum Duareno, cum Cōnano comparare audeant? Sed hos omitto: ad id, quod inſtituerā redeo. Dixi quatuor eſſe, quæ qui ius docent, præſtare debeant: vt vera doceāt, vt ad rem pertinentia, vt ordine, vt genere dicēdi apto ad docendum. Id, qui non præſtarent, culpaui. Dicet aliquis: Quid tu te igitur ea præſtaturum eſſe profiteris? Nō auſim tātùm de me aut mihi, aut vobis polliceri. Illud quidem non dubitanter adfirmo, neque planè imparatum eſſe me ab iis, quæ ad id efficiendum neceſſaria ſunt, & vt aliquid olim *Recētiores iuriſconſulti diſerti.*

præſtitiſſe dicat ſummã diligentiã adhibiturum. Sed, vt diei tempus eſt, diutius detinẽdi nõ eſtis. Die craſtino conabor viam vobis munire ad titulũ de Pactis minore negotio intelligendum. Dicam cur de Pactis agatur hoc loco: tum quid ſit pactum, quæ pactorũ diuiſiones: qui quib. paciſci poſſint: quiq; ſint pactorum effectus. Hæc craſtinæ diſputatiõis capita futura ſunt. Inde ad ea iuriſconſultorũ veterum fragmenta, quæ in hũc titulum relata ſunt, ſigillatim interpretanda veniemus.

DIXI.

ORATIO VNDECIMA HABITA ROMAE POSTRIDIE NON. NOVEMB. AN. M. D. LXXI.

CONſtituerã hodie, nulla, vt Caius noſter loquitur, præfatione facta, ad tractationem earum rerum, quas hoc anno docere inſtitui, accedere: idque & vobis vtilius, & mihi conueniẽtius fore arbitrabar, niſi me amici quidam, quorum & iudicio, & auctoritati plurimum

plurimum tribuo, defixa iam ſtatutáq; ſententia deductum, ſibi potius quàm mihi, hac in re morem gerere coegiſſent. Neque tamen eis planè adſenſus ſum: ſed, vt Homericus Iupiter, partem eius quod petebant conceſſi, partē negaui. Nam quod à me cōtendebant, ne ſtatim in ea quæ huius artis propria ſunt ingrederer, ſed hoc anniuerſarij laboris quaſi veſtibulum populari aliqua, & magis ad omnium ſenſus accōmodata diſputatione exornarem, in eo non grauatè ipſorum volūtati acquieui: quòd auctores erāt, vt aliquod mihi vndecúmq; argumētū ſumerē, quamlibet remotū & alienum abeo quod ageretur, populari modo, & plauſibile, & in quo oſtentare vim ac copiam dicendi liceret, id vt ipſos à me obtinere ſinerem, ipſe à me non potui obtinere. Vix iſta faciebam adoleſcens, cùm & omnes vias perueniendi ad aliquam eloquētiæ famam ſtudiosè conquirerem, & iis ī artibus exercerer, quas qui tractant, in eis hæc nō ferri modò, ſed & requiri ſolent. Hac verò ætate, & hac qualicumque hominum opinione de me, & hoc ſuſcepto munere, quod ab

A quibus de propoſito reuocatus.

Suæ adoleſcentiæ ſtudia.

ab omni vnitate longiſſimè abeſſe debet: ſi puerorũ aut ſophiſtarũ in morem de comenda ac pingẽda oratione ſolicitus ſim, & ſine vlla neceſſitate eas mihi ad dicendum materias deligam, in quibus bellè ac commodè aliquid dicere poſſe videar, ineptis fortaſſe gratũ faciam: quos ſemper fucata & inania omnia, magis quã vera & ſolida delectant: grauium certè ac cordatorũ hominum nõ effugiam iuſtam ac meritã reprehenſionem. Obſequamur igitur amicorum petitioni: ſed ita, vt ne obliuiſcamur, quid deceat. Explicaturus ſum eam partẽ Digeſtorum, in qua de iudiciis diſſeritur. Sed prius dicam nõnulla de ipſo munere iudicandi, quantum in eo ſit auctoritatis, quantũ põderis & momenti ad totius reipub. fœlicitatẽ: tum, qualem eſſe eum oporteat, qui ei muneri rectè & ꝓ dignitate præfuturus ſit: quæ in iudicando ſeruanda, quæque fugienda videantur: quæ omnia à noſtris quidem partim modicè attinguntur, partim vt certa & indubitata ponuntur: à Philoſophis autem, vnde noſtra fluxerunt, accuratè ac copioſè pertractari ſolent. Dicam autem

Aliquibus probabitur aut reprehendetur.

Vnde orationis ſubiectũ ſumit.

autē nón oratorio more: ſed hoc noſtro ſcholaſtico,& vmbratili,& ſedato, non ad permouendos animos, ſed ad docendos,non ad faciendos clamores, ſed ad ſilentium potius & attentionē obtinendam idoneo. Ita me duas res conſecuturum eſſe confido,vt & amicorum petitioni,ſi minus planè,at certè aliqua ex parte ſatisfiat:& hoc quãuis ex alia arte accerſitum diſputationum mearum caput cum cætero corpore ſatis aptè ac concinnè cohærere videatur. Tanta igitur eſt,vt hinc potiſſimum exordiar, in omni ciuitate eorũ qui iudicijs præſunt auctoritas, vt ex eis potiſſimum reip. fœlicitas aut infœlicitas pendeat.Etenim verè dixerunt veteres, legem eſſe animã ciuitatis,& perinde fœlicē aut infœlicē euadere vnamquamque ciuitatem,vt bonis maliſue legibus tēperata eſt. Vtor hîc legis nomine magis ad populi cōſuetudinem, quàm ad veritatem:ſcio enim,ſi qua mala lex ſit, eámne legis quidem nomine dignã eſſe. Sed ſi tantum poſitum eſt in legibus:legum autem ipſarũ nullus eſt vſus, niſi ſint qui eas exequantur ac cuſtodiant:& legum mini

Duo ex oratione eſt cōſecuturus.

Lex ad duo ſe habet.

miniſtri ac cuſtodes magiſtratus, vnde eos nomophylacas Plato vocat: magiſtratuũ porrò præcipua vis in exercendis iudicijs cernitur: conſtare opinor, qualia in ciuitate iudicia ſint, talẽ eſſe totius ciuitatis ſtatum. Immo verò ea prima fuit antiquiſſimis tẽporib. cauſa congregandarũ ciuitatum: vt eſſent, qui vim coercerent, tenuiores à potentiorum iniurijs defenderent, ſuum cuique tribuerent, iuris æquabilitatem inter omnes proportione tuerentur. Hanc originem creandorum regum fuiſſe, quod vetuſtiſſimum in terris imperij nomen eſt, Herodotus, & ab eo mutuatus Cicero, tradunt. Itaque reges ipſi antiquitùs iudicabant, vt Minos, cuius ſingularis iuſtitia iudicem eum, veterum opinione, etiam apud inferos fecit: vt Tenes cultus apud Tenedios pro Deo: quem cum ſecuri inſulam ex ſe dictã obambulare ſolitum tradunt: eaque percutere, quos, cauſa diſcuſſa, iniuriam feciſſe cognoſſet: vt Philippus Macedo, quem etiam patienter tuliſſe accepimus, obiurgatum ab anicula, cui audiendæ ſibi eſſe otium negauerat: cùm illa retuliſſet, ne regnaret igi

Quæ cauſa ciuitatum congregandarum.

Virgilius 6. Æneid.

tur,ſi audiendis ac dijudicandis cauſis vacare nollet. Et perdiu,quæ Hebræorum populo ſummo cum imperio præerant non reges, ſed iudices vocabantur: vt intelligamus nihil eſſe tã regiũ quàm iudicare. *Hebræi iudices habebant nõ reges.* Siue enim priuata iudicia inſpiciamus: verè ait Cicero,omnes omnium pecunias poſitas eſſe in poteſtate eorum qui iudicant: ſiue publica, omnium ciuium non fortunæ modò, ſed dignitas,exiſtimatio,ſalus eorum, qui iudicia publica exercent,ſidei,religionique commiſſa eſt. *Quibus reb. Reſpublica contineatur.* Sapientiſſimus homo Democritus duabus rebus rẽp. contineri dicebat,pœna & præmio: earum autẽ rerum vtraque in eorum manu eſt,qui munus ſuſtinent iudicandi. Magna igitur adhibenda cautio eſt in iudicibus delegendis: eorúmque & ſingularis quædam prudentia,& ſpectata probitas eſſe debet: ne ſi,aut errore ducti,aut cupiditate abrepti,permiſſa ſibi poteſtate, ſecus quàm decet vtãtur,ipſa ciuitatis fundamẽta ſubuertant. Ac veteres quidem illi pauciſſimis verbis iudicis officium concludebant: cùm ita dicerent, legem eſſe mutum iudicem, iudicem autem legem loquentem. A-

bono

Lex eſt Iudex mutus & Iudex eſt lex loquens. Politicorum I.

bono enim iudice ita prorſus omnia iudicari oportet, vt lex ipſa, ſi loqui poſſet, iudicaret: atque ita legem & iudicem inter ſe conſpirare, vt ſit lex quaſi anima iudicis: iudex, quaſi vox legis. Et, quemadmodum Ariſtoteles ait, legem eſſe mentem cupiditatis expertem, ita optandum eſſet, vt eiuſmodi iudices reperirentur, qui omni cupiditate ſpoliati, mente tantùm ac ratione in diſceptãdis controuerſijs vterentur. Sed talia optare licet, ſperare nõ licet. Nimis enim verum eſt, quod in quodã cantico poſuit Simonides, perdifficilè reperiri hominem τετράγωνον ἄνευ ψόγου Huic incommodo ſapientiſſimi quíque veterum quæcunque potuerunt remedia cõparârunt. Inter quos

I. Politic.

Ariſtoteles cenſuit, in bene inſtituta ciuitate, omnia, quoad eius fieri poſſet, legibus comprehendenda ac definienda: quàm pauciſſima autem in poteſtate, atque arbitrio iudicũ relinquenda. Cuius rei tres ab eo ſanè graues cauſæ adferuntur. Vna, ꝙ multo maior numerus neceſſarius eſt iudicũ, quàm eorum qui leges ferant. Facilius autẽ eſt paucos bonos, & prudentes viros reperire,

rire, quàm multos. Altera, quod lõgius tempus datur legem aliquam laturis, quàm de certo aliquo negotio ac controuerſia cognituris. In maiori autem temporis diuturnitate maior eſt penitus peruidẽdi veri facultas. Tertia, quæ omnium potentiſſima eſt, quód leges & in futurum proſpiciunt, & vniuerſè ac generatim feruntur, vt neque gratiæ neque odio locus eſſe poſſit. At iudicia & de præſentibus negotiis, & de certis perſonis exercẽtur: vt & gratia, & odio & inuidia, & miſeratione, & ratione proprij alicuius cõmodi, aut incõmodi, facillimè abduci à vero iudicis animus queat. In iudicibus autem deligẽdis illud præcipuè obſeruandum eſt, vt boni viri eligantur: in quo veteres ita diligentes fuerunt, vt ſæpe in libris noſtris viri boni nomine non alius quàm iudex intelligatur. & Horatius narrat patrem ſuum cùm ſibi virtutis & officij præcepta traderet, laudandarum actionũ exempla ex iudicibus potiſſimũ ſumere ſolitum eſſe. Sic mẽ, inquit, Formabat puerum dictis: & ſic iubebat, Vt facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc.

Iudices boni viri ſunt eligendi.

Vnum ex iudicibus ſelectis obiiciebat: & alibi cùm viri boni quaſdam quaſi notas enumerando percenſeret, hāc inter præcipuas ponit.

Quo multæ magnæque ſecantur iudice lites.

Iudices apud Romanos cęnſoriæ notæ minimè ſubditi.

Ac videte, quantopere veteres illi Romani, eos qui res iudicabant ab omni improbitatis ſuſpitione puros eſſe voluerint. Notatiōi atque animaduerſioni cenſoriæ non tribuebant auctoritatem rei iudicatæ: neque ſiquis à cenſoribus ſenatu motus eſſet, propterea ei aditum ad honores denegabant. Quin imo quoſdam à cenſoribus è ſenatu eiectos, ipſos poſtea cenſores fuiſſe legimus. Sed tamen, vt omnis etiam leuiſſima ſuſpicio abeſſet à iudicum moribus, lege Iulia repetundarum qui ſenatu moti eſſent iudices non poterant dari.

Cauſa triplex cur iuuenes ad res iudicandas non admittātur.

Ætas etiam iudicibus conſiderāda eſt: neque enim idonei ſunt adoleſcentes ad tantum munus ſuſtinendū. cuius rei tres ferè cauſæ adferri ſolent. Vna, quòd de moribus adoleſcentum nihil adhuc certo ſciri poteſt. mutantur enim, vt ait Horatius, in horas, & improbum quidem eſſe aliquem vt co-

gnoſcas, vel vnus dies ſufficit vt ait Theognis: at diu vixerit oportet, de cuius probitate certum iudicium fiat. Altera, quòd in iuuenibus magnæ & vehementes ſunt animi cõmotiones, quas illi ſæpius quàm rationem ſequuntur. Poſtrema quòd longus rerum vſus in iudice requiritur, qui cadere in adoleſcentem non poteſt ὃ νέῳ, ait Plato libro tertio de rep. ἀλλὰ γέροντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν κριτὸν εἶναι. Neque verò quilibet ſenex ad iudicandum aptus eſt. Non enim vt prudentia neceſſariò ætatem requirit: ita ætas neceſſariò prudentiam adfert. ſed is demum, cui anteactæ vitæ curſus & integritatis & prudentiæ opinionem comparauit. Obſeruabat & illud antiquitus, ne egeni & exhauſti homines facilè ad iudicandum admitterentus. Cùm enim plerique à Theognidis ſententia non abhorreant, & paupertatem omni ratione fugiendam putent, verendum videbatur, ne ſæpè tales iudices nõ tam rationem muneriis ſui, quàm magnitudinem munerũ aliorum conſiderarent: néue libertius in nummorum quàm in argumentorum quæ vtrinque adferrentur

Nulli egeni fiebant Iudices.

ponderibus expendendis occuparētur: & vtrius grauior eſſet manus; eius cauſam quoque meliorem videri pronunciarent. Atque ob eam cauſam iudices non tantùm ex moribus, ex ætate, ſed etiam ex cenſu legebantur: quod Romanis alicubi obiicit Tertullianus.

Iuſiurandum eorũ qui eſſent iudicaturi.

Cùmque iuris iurandi religio maximũ & ſanctiſſimum fidei vinculum meritò apud omnes exiſtimetur: iudicaturi, prius iurabant ſe ex legum præſcripto iudicaturos: cuius res frequens apud Demoſthenem, & alios merito eſt, néue legum verbis callidè, & ſubdolè interpretandis ab earum ſententia & voluntate diſcederent, addebant, τῇ γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, vt apud Demoſthenem, aut quod idem valet, τῇ ἀρίστῃ, vt apud Ariſtotelem in Rhetoricis, & apud Iulium Pollucē libro octauo relatum eſt: quo ſignificabant ſe ita leges interpretaturos, vt rationi, & æquitati maximè conſentaneũ videretur.

Iudiciorũ locus ſacer.

Quin etiam, vt maiore diuini numinis metu perfunderentur, iudicabant in loco ſacro. Quamuis enim Deus omnibus locis præſens eſt, eiúſque vt ait Aratus, omnia plena ſunt: id conſecratis tamē locis,

locis magis omnes neſcio quo modo illius præſentia commouemur. Atque hanc conſuetudinem antiquiſſimã fuiſſe, Homerus oſtendit, qui iudices in Achilis clypeo ſculptos & ſenes fuiſſe ait & in ſedilibus lapidis ſacro in loco cõſediſſe. οἱ δὲ γέροντες. inquit, ἥατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ. Summa autem in eo adhibenda diligentia eſt, vt tollantur omnes occaſiones, quæ poſſunt efficere aliquem animi motũ, quo iudex abducatur à vero. Nam quod de amore ait Theocritus, pulchra ei videri, quæ pulchra non ſunt, idem abſolutè de toto talium commotionum genere dici poteſt: prout quiſque affectus eſt, ita res eis alias atque alias videri. Arquatis, ait Varro, & veternoſis omnia lutea vidẽtur: febricitantibus amara, quæ dulcia: aliter omnibus de rebus ebrij, aliter ſobrij iudicant. Idem putãdum eſt euenire iis omnibus, quorum animus aut amore, aut odio, aut ira, aut inuidentia, aut denique aliquo πάθει occupatus eſt. Docent Philoſophi, ſi ſenſus de rebus ſibi obiectis verè iudicaturus ſit oportere ipſum ſentiendi inſtrumentum, quod illi αἰσθη-

Cicero 5. Tuſcul. *ſuum cuique pulchrũ eſt.*

τήριον,vocant,ἄποιον,id eſt omni qualitate,earum ſaltem, de quibus iudicandum eſt,vacuum eſſe:ſic & iudicis animum in ſola veritate defixum ab omni perturbatione purum ac liberum eſſe oportet.Malè verum examinat omnis corruptus iudex: ait Horatius. Quoniam ergo nemo, vt omnia moliatur, exuere ac deponere inſitum atque ingeneratum omnibus ſui amorem poteſt:ideo veteres neminem rei ſuæ idoneum iudicem eſſe voluerunt:quod & apud iuris noſtri auctores ſæpe legitur & ante eos ab Ariſtotele & in ethicis, & in politicis dictum erat. Ne de filij quidem negotio idoneus iudex eſt pater.amat enim eum vt partem ſui. & quamuis reperiuntur patres quidam, qui de filiis ſeueriſſimè iudicarunt, vt in externa hiſtoria Zaleucus, in Romana,Brutus, Manlius,& alij:vſitatius tamen eſt, patres in filiorum peccatis conniuêre.Sed hac de re alio loco plura dicentur.Corrumpũtur iudices etiã donis:& ea cauſa fuit,cur iis legibus quæ de pecuniis repetundis latæ ſunt, punirentur,qui ob rem iudicãdam pecuniam accepiſſent.Narrat Plutarchus, The

Filio non eſt iudex adhibendus pater

Thebis olim poſitas in publico fuiſſe iudicio ſtatuas, eáſque ſine manibus: quod indiciũ eſſet, nihil eos à quoquã accipere debere: eius autem, qui iudicio præſideret, etiam ſine oculis: quòd ipſo perſonarum aſpectu iudices interdum à recto abduci arbitrarentur. Antonius certè apud Ciceronem gloriatur, M. Aquillium, in manifeſto repetundarum crimine, hoc potiſſimum à ſe artificio liberatum, cùm eum mœſtum ac ſordidum produxiſſet, tunicámq; eius à pectore diſcidiſſet, & cicatrices aduerſorum vulnerum, quæ ille pro rep. acceperat, oſtendiſſet. Ita iudices, quem abſentem forte damnaſſent, eum, aſpectu ipſius commoti, liberârunt. Eodem artificio multis antè annis vſus erat Hyperides, qui, vt narrat Athenæus, cùm Phryne meretrix pulcherrima rei capitalis argueretur, atque ita teneretur, vt argumentis purgari non poſſet: cùm multa pro ea dixiſſet, ad poſtremùm ſtatuit eã in conſpectu iudicum, & pectus eius papilláſque nudauit: qui aſpectus tantùm potuit, vt, quàm omnium ſententiis damnatum iri opinio erat, omnium ſuffra-

1. de Orat. 1.

giis abſoluta diſceſſerit, ex quo inſtitutum eſt, vt Ariopagitæ noctu iudicarẽt, cuius rei præter cæteros auctor eſt Lucianus. Sed & quo iudicia integriora & incorruptiora eſſent, nomina ipſa eorum de quibus ageretur, in Ariopago reticeri ſolita, quidam tradiderunt. vt, nulla prorſus perſonarum ratione habita, de rebus tantùm ipſis iudicaretur. Multùm etiã in iudiciis peruertendis poteſt eloquẽtia: neq; prorſus mentiebantur veteres illi magiſtri, qui ſe docere profitebantur, quomodo cã inferior dicendo ſuperior fieri poſſet. Cui enim nota non ſunt verba Ciceronis in cauſa Cluentiana, obiectas à ſe iudicibus tenebras gloriãtis? Ideóque rectum erat illud eundem Ariopagitarum inſtitutum, apud quos oratores præconis voce nihil verborum extra rem facere, & neque prooemiis vti, neque epilogis iubebantur. Sapienter quoque Anaſtaſius & alij posteriores Imperatores conſtituerunt, ne cuiquã adminiſtratio patriæ ſuæ ſine ſpeciali iuſſu principis permitteretur. Arbitrati enim ſunt id, quod eſt, vnumquemque neceſſariò in patria ſua multis cognationi

Cur Ariopagitæ noctu iudicent.

Pro Cluentio.

tionibus, affinitatibus, neceſſitudinibus implicatum teneri: iiſque omnib. rebus iudiciorum religionem ac ſeueritatem impediri. Eodem pertinebant permiſſæ antiquo more alternæ iudicũ reiectiones: vt è iudiciis omnis omnino ſuſpicio inclinati, ac propendentis in alterutram partem animi tolleretur. Neminẽ, ait Circero pro Cluentio, voluerunt maiores noſtri non modò de exiſtimatione cuiuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe iudicem, niſi qui inter aduerſarios conueniſſet. expediret etiam in eos iudices, qui ſe corrumpi ſiuiſſent, grauiſſimas pœnas conſtitui: vt feciſſe Cambyſen ait Herodotus, qui, vtinam non ſingulari, ſed in omnem poſteritatem duraturo exemplo, ſupra iniuſti iudicis corium in loca diſſectum, eius filium ac ſucceſſorem ſedêre iuſſit: vt eum à paternæ improbitatis imitatione paterni ſupplicij memoria reuocaret. Omnino autem iudicibus tria in animo perpetuò habẽda eſſe arbitror. Vnum, vt cogitent, quemadmodum ipſi de aliis iudicant, ita de ſe non alios tantùm homines, ſed ipſum Deum iudicaturum,

Quibus rebus iudiciorum religio impediatur.

Tria quæ iudices ſibi proponere debent.

Alterum, ne prius ſententiam ferant, quàm diligentiſſimè vtriuſq; partis iura cognouerint. Meritò laudatur à Platone illud Heſiodi, Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Et elegans eſt illud Philippi, vt opinor, Macedonis, qui cum altera aure occluſa accuſatorem audiret: interrogatus, cur id faceret, dixit ſe eã ſeruare integram reo. Poſtremũ illud eſt, debere quidem iudicem planè medium eſſe: ideo enim

5. Ethic. cap. 4. μεσίται, vt ait Ariſtoteles, vocantur. Sed tamen, ſi in alterutram partem inclinãdũ ſit, vt Circe dicebat minus periculi eſſe, ſi nauis ad Scyllam potius paulum inclinaret, quàm ſi ad Carybdim: ita in hominibus puniẽdis minus mali eſſe in clementia ac lenitate, quàm in ſæuitia, & acerbitate. Nam etſi laudata eſt apud veteres prætoris cuiuſdã ſeueritas, cuius tribunal ſcopulũ reorum vocabant, multò tamen maiorem laudẽ haberet illa vox Neronis, ſi ex animo prolata eſſet, aut ſi ipſe in eadem manſuetudine præſtitiſſet, qui ſuſcripturus ſententiæ capitis in quendam: Vtinam, inquit, nunquam didiciſſem literas. Et M. Antonini illud præcipuè

commendatur, quod pœnas legibus definitas ſemper vſque ad aliquem modum mitigabat, Pleni ſunt libri noſtri talium ſententiarum: Benignius inter prætandæ ſunt leges, quo volũtas earum conſeruetur, & interpretatione molliendæ ſunt pœnæ potius, quã exaſperandæ. Non poſſum hoc loco prætermittere dictũ quoddam vetuſtiſſimi Oratoris Antiphontis. Ε δεῖ τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον, ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δ' ἀδίκως' ἀποκτεῖναι, ἀσέβημα. Cuius ſententiæ ſimilem quandam ex libris noſtris ſuo loco proferemus. Dixi de auctoritate & officio iudicum, non quæcunque poteram: neque enim id aut res poſtulabat, aut tempus patiebatur: ſed ea tamen, quæ dixi, neque aliena, neque inutilia fuiſſe confido. Quid præſtiterim, vos ipſi iudices eritis. Si quis erit, qui me cõtẽdat debuiſſe ſtatim ad ea, quæ iuris ciuilis propria erãt, accedere: ab eo peto, ne mihi veniam neget, quod ego amicis rem non magni momenti petentibus negare non potuerim: néue ſi ita difficilis creditor vt in craſtinum expectare nolit: cùm præ-

Ratio nẽ reddit quod ſtatim ius ciuile nõ ſit īterpretatus.

præſertim ipſi iuriſcõſulti ſub eo, quem explicaturi ſumus, titulo tradãt, in mora modici temporis non magnum dãnum ineſſe conſeri.

DIXI.

ORATIO DVODECIMA HABITA ROMAE NON. NOVEMB. AN. CIↃ. D. LXXII.

Reuocatus à Cardinalibus Muretus à profeſſione iuris ciuilis.

IVs ciuile me non vulgari via, ſed noua quadam, & ante me in his, quidẽ ſcholis inuſitata ratione tradere ingreſſum, & in opere inſtitutóque pulcherrimo quartum iam annum, magna auditorum frequentia, magna animi contentione verſantem, veſtra, Cardinales ampliſſimi, in medio curſu inſiſtere, aliúdque munus ſuſcipere coegit auctoritas. Nam, cùm homo eruditiſſimus, qui tradendis eloquentiæ præceptis in hac vrbe conſenuerat, & afflicta valetudine, & ipſa iam ætate otium ac quietem poſtulante, miſſionem à vobis honeſtiſſimam impetraſſet, nec ei facile ſucceſſor idoneus reperiri poſſe vide-

fetur,mihi potiſſimum mandandū eſſe ab eo derelictam prouinciā cenſuiſtis.Parebo libens, vt debeo, auctoritati veſtræ: neque mihi quidquam vnquam à vobis imponetur aut laboris, aut oneris,quod non ego prompto atque alacri animo ſubeam:quæque mihi à vobis imperata erunt, nunquam aut aſpernabor vt nimis humilia,aut vt nimis ardua extimeſcam.Veſtrum eſt, decernere ac ſtatuere,quam à quoque noſtrū huius quaſi reip.litterariæ partem adminiſtrari ac procurari velitis: noſtrum parere,& mādata veſtra ſubſequi,neque vnquam ita nobis placere, aut tātùm nobis tribuere,vt de veſtro iudicio iudicemus.Equidem quòd ad me attinet, neque vllam artem,quę quidem hominis ingenui ſtudio digna ſit,ſordidam & abiectam eſſe duco: & hanc,ad quam tradendam nunc vocor ſemper nobiliſſimam exiſtimaui.&, ſi aliter ſentirem,fortaſſis tamen nō vererer imitari Laconem illum,qui incōuiuio,extremo loco iuſſus accumbere, conuiuatoris ingenium, ac iudicium commendauit,qui rationem excogitaſſet, quia illi quoque loco dignitatem com-

Tacita laus ſuiipſius.

comparatet. Non enim tantum, vt vulgò dicitur, magiſtratus virum oſtendit & in luce hominum collocat: ſed etiã ſæpe magiſtratum is qui eũ gerit exornat. Epaminondã ferunt, cùm à ciuibus ſuis Telearchus creatus eſſet: erat is apud Thebanos nõ magni momẽti magiſtratus: non detrectaſſe, ſed dixiſſe ita geſturum, vt deinceps Telearchia honoratior haberetur. Atque ita effectum eſt. tantùm enim Epaminõdæ valuit auctoritas, vt poſt eũ Telearchi perpetuò creati ſint ex principibus ciuitatis. Hæc & talia dicerem, ſi in eloquentiæ profeſſione parum ineſſe dignitatis exiſtimarem. Sed & de re ipſa, & de me longè mihi alia opinio eſt. Quamuis enim non inficior, magnum me ſemper amatorem atque admiratorem diſertæ atq; ornatæ orationis fuiſſe, ſtudioſéque in eam rem operam dediſſe: etiam, ſi vultis, aliquando impoſuiſſe populo, & apud eos, qui me cum deterioribus comparabant, in aliquam non infantis neque in diſerti hominis opinionem veniſſe: vereor tamen, ne exemplo meo comprobem, id quod tradunt rei militaris ſcriptores, etiam

Epaminondæ Thebani authoritas.

Prolepſis eſt.

vete

veteranos milites pro tironibus haben dos,cùm diu à pugnando ceſſarũt.Sed quoniam id tantùm à me expectari ac requiri puto primũ,vt vobis, adoleſcẽtes indicem, ac commonſtrem eas vias quibus ad eloquentiam poſſe arbitror perueniri:deinde vt ad ſuperandam earum difficultatem,quantum in me erit ſi quid modò erit,neque autẽ multum neque tamen nihil omnino fore confido,auxilio ſim:ſuſcipiã, ac ſubibo paulo maiore cum fiducia onus id, quod mihi,ſi meum perpetuum publicæ vtilitatis ſtudiũ diuinæ benignitatis aura comitetur,vtcumq;poſſe videor ſuſtinere.Vt enim,ſi quis homo egẽs ac tenuis,alios ſe collocupletaturũ eſſe pro fiteatur,rediculus ſit: ſin id tãtum polliceatur,oſtenſurum ſe quam viã inſiſtere debeant,qui rem facere cupiunt, nihil tamen alienum atq; abhorrens à fortuna ſua ſuſcipere videatur: ſic ego, ſi ea me traditurũ dicere auſim,quibus eloquentes fieri poſſint,meritò irridear cũ ipſi mihi eorũ perexigua pars ſuppetat:ſin id tantùm dicam,poſſe me iis qui eloquentiæ ſtudio tenẽtur,viasque ad illam ferant oſtendere,& ad idquod

Similitudo ducta ab egeno.

ada

adamarunt conſequendum aliquid operis afferre: cauſſæ, vt opinor nihil ſit, cur me quiſquã aut nimium mihi adſumere, atq; arrogare dicat, aut ea polliceri quæ præſtare non poſſim Nolite autem auditores exiſtimare me vulgare aliquid vobis & in medio poſitum polliceri, cùm polliceor me vobis itineris ducem ad eloquentiam fore: neque ita eloquentiæ nomen accipite, vt vulgò accipi conſueuit. Hodie enim vt quis vulgaria rhetorum præcepta vtcumquè didicit & in Ciceronis ſcriptis tantum poſuit operæ, vt, adhibito Nizolij libro, poſſit orationem aut epiſtolam ſcribere, cuius tum ſingulæ voces tum ipſa etiam ſtructura & collocatio Ciceronem oleat, protinus magno eorum cõſenſu, qui nihil altius aut ſublimius cogitant, eloquentis nomẽ aſſumit. Itaque, ſi de quopiam iſtorũ percunctêris, num Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum legerit, denique num philoſophiam attigerit; negabit: ſe enim, relicto aliis philoſophiæ ſtudio, eloquentiæ gloria contentum fuiſſe. Quid Herodotum, Thucidem, Xenophontem quàm diligenter, ſtudioſéque

Explicat de qua eloquentia verba faciat.

Philoſophi.

Hiſtoriographi.

que verſauerit. Aliquid ſe fortaſſe ex eis libaſſe dicet, ſed properantem & aliud agentem,& qui vnam modò ſpectaret eloquentiam. Certè igitur Homerum, quem vt cęterarum ingenuarum artiũ: ita eloquentiæ quaſi fontem quendam eſſe dicũt,Sophoclẽ Euripidem, à quo optimè ali eloquentiam, ipſi eloquentię magiſtri prodiderunt,cęteros denique Græcos & latinos poetas accuratè peruolutaſti. Quẽ tu mihi, inquit, Homerum quem Sophoclem,quas nugas nominas,quaſi ego poeta,non orator, eſſe voluerim. Nimirum igitur, cùm à te omne aliud ſcriptorum genus abdicaſſes, in illis eloquentiæ luminibus Lyſia,Hyperide, Andocide,Iſaico,Iſocrate,Demoſthene, quamplurimũ olei conſumpſiſti, in eis egregium aliquod ſtudiũ collocaſti, eos ſæpe relegens in ſuccum ac ſanguinem conuertiſti tuũ. Immo,inquit, quorundam ex iſtis vix ipſa nomina agnoſco:alios à Cicerone meo cõmendari memini,qui mihi ſolus in amorib. ac delitijs fuit, quem ego admirabili quodam eloquentiæ ſtudio inflammatus, nunquam ex oculis, ex manibus,ex ſinu depoſui: cuius in

Poetæ *Oratores.*

ſcriptis ita diligens ac ſollicitus fui, vt, quemadmodũ nummi aurei aut argẽtei à plumbeis tinnitu ipſo dignoſcuntur, ita ego voces Ciceronianas ab iis, quæ Ciceronis non ſunt, ſono ipſo diſcernere ac dijudicare poſſim. Bene ſit, inquam, iſtis aurib. tuis tam delicatis, tamq́; eruditis: ſed cur, quæſo, cùm Ciceronẽ tanti facias, eos, quos tantopere ab eo laudari videbas, non attigiſti? Iſtos, inquit, legiſſem, ſi Græcè eloquẽs eſſe voluiſſem. Latinæ quidẽ eloquentiæ laudẽ affectanti ſatis eſſe vnus Cicero viſus eſt. Quæ iſta, malùm, Latina eloquentia eſt, aut quando quiſquam veterum iſtud iter ad eloquentiam tenuit: Mihi quiſquam eloquentiam vocat, cùm genera cauſarum, & nomina figurarum, & vulgaria quædam præcepta de conformandis orationis partib. & huiuſmodi nænias didiceris, voculas ex Cicerone collectas côiungere, & ex eis quaſi teſſellis ieiunam ac famelicam orationẽ contexere, ſedulò cauentẽ ne quid dicatur, quod non antè Cicero dixerit? Picarum & pſittacorũ iſta eloquentia eſt, auditas voces iterare ac reddere, neq; quidquã vnquam dicere

Dialogiſmus.

Quæ vulgaris eſt eloquentia.

quod

quod ſit verè ac propriè tuũ. Aliud antiqui vocabant eloquentiã: qui niſi qui de ciuilibus negotijs ornatè ac copiosè loqui poſſet, qui dicẽdo animos audiẽtiũ flecteret, qui admirationẽ cõcitaret qui modò clamores faceret, modò circumfuſam multitudinẽ ſtupore defigeret, neminem eloquentẽ vobabat. Itaq; qui ſe dicendi magiſtros profitebãtur, multa de ratione argumentandi, multa de virtutib. ac vitijs, multa de permotionibus animi, multa de veterũ inſtitutis, ac legibus, multa de ratione inſtituẽdarũ ac gubernãdarũ ciuitatũ diſputabant: ſeq; propterea non rhetores, aut, quæ tum vſitata erat ipſorũ appellatio, ſophiſtas, ſed glorioſiore ac magnificentiore nómine politicos nominabant. In quo etſi eos Ariſtoteles coarguit, ipſe tamẽ docet rhotoricẽ quiddam eſſe ex dialectica, & ex politica cõflatum atque cõmiſtũ: & opus rhetorices eſſe ait ijs in rebus omnibus, quæ in conſultationem cadunt, omnia videre, quæ ad fidem faciendam accõmodata ſunt. Tribus autem præcipuis capitib. hoc contineri ait, ſi dicamus, vt qui audiunt, bonos viros eſſe nos opinentur:

Quis verè eloquens.

Rhetorica quidpiam ex dialectica & politica conflatũ.

tur: ſi eorũ animi motus quoſdã concipiant ad id, quod volumus efficiendũ atque obtinendum accommodatos: ſi id quod probare volumus, aut demonſtremus, aut demonſtrare videamur. Vt autem dialecticus, non illo ex ſcholaſtico puluere clamator odioſus ac moleſtus, ſed verus ac germanus dialecticus duobus ad probandum inſtrumentis vtitur, ſyllogiſmo & inductione, ſic ei cõpar ac geminus & in diſſimili genere ſimillimus orator duo illa habet, quæ duobus illis ex altera parte reſpondeant, enthymema quod ſyllogiſmo, exemplum quod inductioni. His duobus armatus eſt, his pugnat, his & ſuam & aliorum dignitatẽ tuetur: neque ſine magna copia enthymematum & exemplorum ad omnem dicendi materiam comparata, eloquentis nomẽ ſuſtinere quiſquam poteſt. Enthymematum copia à philoſophis, exemplorum à poetis & hiſtoriarum ſcriptorib. potitur: neque quiſquã oratoris, aut eloquẽtis nomine dignus euaſerit, qui nõ prius omnia philoſophorum ſcripta, quæ quidẽ ad formandos mores & ad tractandam remp. pertineant, omnẽ hiſtoriam

Enthymematis & exempli materia vnde petenda

Enthymema & exẽplum duo rhetoris inſtrumẽta.

ſtoriã veterẽ, omnes antiquos & Græcos & Latinos poetas diligenter & accuratè peruolutârit. Magnus labor, dixerit aliquis. Fateor: ſed magnum eſt & id, quod hoc labore petitur. Et verum eſt quod ait Horatius: nil ſine magno vitæ labore dedit mortalibus. Ad hanc facultatem conſequendam ego me vobis auditores, quantum vires meæ ferent, ducem ac comitem profiteor. Veſtra res agitur: vobis, vt ille ait comic⁹ ſenex, ſeritis, vobis occatis, vobis eiſdẽ meritis, vobis denique iſte pariet lætitiam labos. Videbitis me quotidie cauſa veſtra efficiẽtem, quæcumque potero: conantẽ etiam ea quæ non potero. Alite vos quoque ſtudium meũ attentione veſtra: &, dũ ætas apta eſt ad labores perferendos, dum animus nullis aliis curis occupatur, dum cætera, quæ ad capiẽdum ingenij cultum requirũtur, affatim ſuppetunt, nolite committere vt vtilitas veſtra, quæ & Gregorio Pontifici Maximo, & ampliſſimis Cardinalibus, quib. ille munus hoc demãdauit, & nobis omnibus tãtæ curæ eſt, à vobis, à quibus minimè decet, negligatur. Equidẽ pro mea virili parte nul-

lo loco vobis deero: docebo, admonebo, inſtabo, vrgebo, excitabo, nonnunquam etiam, ſi res ita poſcere videbitur, obiurgabo atq; increpabo. Nolite expectare, dum vobis aduler. Cotemnam vos, ſi vos literas contemnetis. ſin eas amabitis: & amabo ipſe cōmoda veſtra ex animo, &, vt vos me viciſſim meritò amatis, operā dabo. Sed vt dixi tēpus eſt, diutius detinēdi nō eſtis: Secundum librum Tuſculanarum diſputationum explicare decreui. Cras id facere incipiam. Polliceor autem vobis, qui me attentè audiēt, curaturum me, vt eis operæ ſuæ ratio conſtet.

DIXI.

ORATIO DECIMATERTIA HABITA ROMAE XV. KALEND. NOVEMB. ANNO. M.D.LXXIII.

Dicit ex mandato de literarum & artium ſtudiis.

CVm mihi à ſummis viris, quorum auctoritate, atque imperio noſtra omnium ſtudia diriguntur, mandatum eſſet, vt hodierno die, quo, vt ſcitis, more maiorum, noſter hic quaſi Muſarum exerci

exercitus quotannis luſtrari ſolet, de præſtantia literarum, & earum artium quæ literis continentur, aliquid publicè dicerem, quo iuuenum animi ad earum amorem incitarentur: quod prius facere debueram, ſed inconſulto quodam obſequendi ſtudio abreptus non feceram, cœpi oneris ſuſcepti magnitudinem cum virib meis ſollicitè cōparare. Atque interdum quidem ita ratiocinabar, vt mihi nihil arduum, aut difficile impoſitum crederem. Nam, vt Cyrenæus poeta facile ait eſſe omnib. Apollinem laudare, in quo tot, tantaq; laudum argumenta ſint: ita facile videbatur homini quamlibet infanti atque īdiſerto laudare eas artes, quas verè: ac meritò bonorū fontes nominare poſſumus. Neque enim dubitabam, quin omnium conceſſu multò iuſtius artib. noſtris, quàm illis, de quib. id Xenophon dixit, honos huius nominis tribueretur. Cogitabam etiam tum demum in ſumma me difficultate verſaturum fuiſſe, ſi eas, aut, quod nefas eſt, vituperare iuſſus eſſem, aut earum dignitatem abijcere & extenuare dicendo: nullū enim ſanè argumentū, quod

Callimachus poeta.

quidem alicuius momenti eſſet, ad eam rem reperire potuiſſem. Quod ſi Socrates præſente Phædro amorem vituperaturus, facere id non audet, niſi ſibi prius pallio caput obnuſerit: multò me magis verecũdari par fuiſſet, in tãto eruditiſſimorũ hominum cœtu declamantem aduerſus eas artes, quarum omnes dignitate, ac pulchritudine, ita incenſi eſtis, vt ſine earum tractatione ne vitam quidem ipſam iucundam puteretis. Nunc, vt idem ille ſapientiſſimus ſenex factu facile eſſe ait Athenienſes Athenis laudare, quod, quæ quiſque amat, ea libentiſſimè laudari audit: ſic ipſe mihi videbar facilem & expeditam prouinciam ſuſcepiſſe commendandi ac celebrandi apud vos ea, quæ vobis omnibus in amoribus ac delicijs eſſe conſtaret. Sed interdum occurrebant alia, quæ me commouerent, nec quieto eſſe nec ſecuro animo ſinerent. Nam & in tam vbere ac copioſa materia neceſſe eſt, vnicuique audientium multa in mentem venire, quæ commodè dici queãt; neque fieri poteſt, vt, quidquid omnes cogitãt, dicat vnus: & ea eſt hominum natura, vt, cùm quis, quod ipſe dixiſſet,

In dialogo Platonis qui Phædrus inſcribitur.

dixiſſet, id ab eo, qui dicit, omiſſum videt: non hoc quoque dici potuiſſe, ſed hoc potiſſimum dici debuiſſe contendat. Ita dũ pro ſuo quiſque captu quid ipſe dicturus fuerit, cogitat, & alia ꝓpe omnia faſtidiens, dum id vnum dicatur, auidè expectat: quidquid dixeris ſemper videberis omiſiſſe præcipua: & omnia communia ac contrita dixiſſe, quòd ea nõ dixeris, quæ ſi dixiſſes, ipſa quoque aliis abſoleta & vulgaria viderentur. Vt melior hac in parte ſit eorum cõditio, qui aridis, ac ſterilibus in argumentis verſantur: quorum, ſiue abũdarunt, laudatur ingenium: ſiue defecerunt, materiæ ieiunitas accuſatur: cùm contrà, vbi ampla dicendi ſeges eſt, quidquid allatum eſt, vbertati materiæ adſcribatur: quidquid omiſſum eſt tibi. Ego verò quo modo aut quidquam allaturum eſſe me ſperem, quod nouitate audientium animos, teneat, cùm iis in rebus mea verſatura ſit oratio, in quibus præſtantiſſima ſe omniũ ætatum ingenia exercuerũt: aut ita dicturum, vt nõ innumerabiles aliis iiſdem de rebus ornatius ac copioſius dixerint? Sed mihi neque valde laboran-

Quã difficile oratori vnicuique auditorũ ſatisfacere.

Melior conditio eorum qui in ſterili quàm qui in vbere verſantur materia.

Cantilenarũ nouitas conciliat gratiam.

dum eſt,vt noua conquiram:non enim cantilenæ ſunt hæ,quibus nouitas , vt ait Telemachus,conciliat gratiam: ſed præcepta,quibus vetuſtas addit auctoritatẽ:& ſi vera,vtilia, apta ad id quod mihi propoſitum eſt,digna huius loci auctoritate,digna veſtris aurib. attulero,quibus ea cunq; verbis extulero, hoc ipſo me ſatis ornatè dixiſſe arbitrabor.Agite igitur,viri præſtantes , & cùm aliis nominibus,tũ præcipuè harum de quibus dicere ingredior artiũ cultu & tractatiõe clariſſimi: agite ſtudioſi adoleſcentes,quorum mollis adhuc,& tenera ætas in eiuſdem gloriæ ſpem eodẽ quaſi lacte Muſarum educatur,cognoſcite mecũ felicitatem veſtram,qui inſtinctu quodam , afflatúq; diuino a d eas potiſſimũ artes animum appuliſtis,quibus , ſiue quis vtilitatem ſequatur,nihil fructuoſius:ſiue oblectationem,nihil ſuauius ac iucũdius: ſiue ſplendorem ac pulchritudinem , nihil illuſtrius,aut ad ſtruẽdamnominis immortalitatẽ firmius ac ſtabilius reperiri poteſt.

Similitudo ducta à veterum conſuetudine.

Namſi veteres illi,qui errore ducti plureis eſſe Deos opinabãtur: quem cuique eorum diem conſecrârant,

rant, eo laudes ipſius commemorare ac concinere ſolebant, multò nobis iuſtior cauſa eſt. quicunque iiſdem honeſtiſſimarum artiũ ſtudiis, quaſi quibuſdam ſacris initiati ſumus, cùm hic nobis anniuerſarius dies, maiorum ſapientia & auctoritate, ad intermiſſam per aliquot menſes earum exercitationem deintegro repetendam, conſtitutus ſit? cur ab earum commendatione principium ducere debeamus, eáſque celebrare, quas nobis viciſſim aliquid celebritatis allaturas eſſe confidimus. Meminiſſe autẽ debemus idcirco hũc ſanctum, atque auguſtum locum ad hanc rem delectum eſſe, vt & in laudãdis artibus Deum ipſum laudemus, qui, vt alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit: & publicè conteſtemur, ac profiteamur ſtudia omnia, laboréſque noſtros & Deo auctore, atq; auſpice ſuſcipi, & ad ipſius gloriam tanquam ad finem nobis omnibus præcipuè propoſitum, referri. Vnde igitur, in tanta eorum quæ ſe ad dicendum offerunt copia, potiſſimum exordiar? An ab eo, quod ſemper apud grauiſſimos quóſq; grauiſſimum fuit,

Qui imbuti ſunt artiũ ſtudiis ſunt veluti ſacris initiati.

anti

antiquitatis teſtimonio? Quæ cùm artes omnes bonæ ſint: nam ſi quæ malæ artes dicũtur, immeritò eis artium nomen tribuitur, has tamen noſtras proprio ac peculiari nomine bonas artes vocauit: eaſdémq; artes ingenuas, artes liberales, quòd alias aut à ſeruis, aut ab hominibus ſeruili præditis ingenio exerceri, has vnas ab ingenuis ac liberis excoli conſentaneum iudicaret. Quinetiam cùm Græci earum cognitionem, ſua lingua, tali quodam vocabulo affeciſſent, ex quo id modo intelligeretur, ſtatim à pueritia dandam eis operam eſſe maiores noſtri hoc, vt pleraſque melius ac ſapientius, qui totum hoc artium genus humanitatem vocarunt: credo, indicantes, non multò minus inter homines talibus diſciplinis expolitos, & vulgus aliorum, quàm inter cæteros & pecudes intereſſe. Homines enim duabus præcipuè rebus à cæteris animantibus diſcernimur, ratione, & rationis interprete, oratione: quarum vtraque in eis, qui harum artium expertes ſunt, rudis quodammodo & inchoata: qui eas bene penitus combiberunt, perfecta in illis, atq; abſoluta

Malæ artes immeritò artes vocantur.

παιδιόν. vocarũt.

Homines à cæteris animantibus quibus rebus diſcreti.

ſoluta eſt. Ariſtippus quidẽ, cùm quæſiſſet quidam ex eo, quid boni filio ſuo allatura eruditio eſſet: Si nihil aliud, hoc certè, inquit, quòd in theatro lapis in lapide nõ ſedebit. Idémque alteri, qui cùm ſibi nimium magnam mercedem poſci pro inſtitutione filij videretur, dixerat, Iſta pecunia ſeruum mihi emere poſſum: Tu verò, inquit iocans, etiã hoc amplius: ſi vnum emeris, duos habebis. Significauit videlicet, quorum colluſtratus doctrinarum luce non eſſet animus, eos lapidum, non hominum, aut, ſi fortè, inter homines, ſeruorum, non ingenuorum loco, ac numero eſſe habendos. Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti, quatuor omnino eſſe viæ videntur, quarum vnam aliquam à principio ætatis capeſſere, ac poſtea perſequi propè neceſſe ſit: ex quibus ne dubium quidem eſse poteſt, quin ea, quam ipſi ingreſſi eſtis, longè multúmque alijs omnibus anteponenda videatur. Nam qui iſta ætate ſunt, partim otio ſe atque ignauiæ dedunt, mollémque vitam ac voluptariam ſequuntur, ij præſertim quibus amplum patrimonium eſt: partim ſi anguſtior

Quatuor viæ quibus ſeſe dedunt homines

1. via.

2. via.

ſit

ſit res, quam vt nihil agentes ferat, dant
3. via. ſe ad artem aliquam factitandam : alij, qui excelſiore ſunt animo, armorum tractationem, & militaris rei gloriam
4. via. ſibi proponunt, alij deniq; animum ad literas, & ad hæc mitiora ſtudia appellunt. Quid igitur iſtis turpius aut abiectius, qui, torporẽ ac deſidiam amplexi, vitam luxu atque inertia tranſigunt, nihil agentes, quo ſe homines eſſe teſtentur? Qui, vt Phæaces illi Homerici,

Non pugnis, duráue exercent membra palæſtra:
Sed menſam, & citharæ ſtrepitum, dulcéſque choreas.
Straguláq; & molles curant poſt balnea lectos:

Margine illius ſimillimi, de quo idem Homerus:

Non fodere ille bonus, diuíſue ligonibus arua:
Vertere, non vlli viuebat idoneus arti.

Sic enim & hi neque domi, neque militiæ, neque priuatim, neque publicè, neque ſibi, neque alijs vtiles, ita vitæ curriculum cõficiunt, vt, veluti naues, nullum

nullum ſui veſtigium relinquant. Qui mihi,ſi dijs placet, quòd nihil agant, quaſi non pudere parum ſit,etiam gloriantur. Alij, inquiunt,in opere occupati ſint: nobis maiorum noſtrorum virtute eſt,vnde otioſi lautè ſplendidéque viuamus. Quid maiores veſtros nominatis? qui ſi veſtri ſimiles fuiſsent, vos hodie in poſtremis iaceretis. Si, quales vos eſtis,tales ipſi fuerunt, indigni ſunt qui nominentur: ſin alij, vos indigni,qui eos nominetis. Ac videte,quantopere à ſapientiſſimi poetæ Heſiodi iudicio veſtra ratio diſcrepet. Laborem ille & induſtriam nemini, languorem & ignauiam omnibus turpem eſse confirmat. Preclarè Cicero. Mihi quidem,inquit,qui nihil agit,eſse omnino non videtur. Nam & phyſici docent,quæ cuique rei cauſa eſt,vt ſit, eandem ei eſse cauſam,vt aliquid agat. Sed omittamus hos molles & delicatos, neque eos ex ſomno, cui tam libenter indulgent,excitemus: teneamúſque id quod à ſapientiſſimis viris proditũ eſt, nihil eſse inertia fœdius: otio ali vitia: otium, vt non grauiſſimus poeta grauiſſimè tamen cecinit Catullus non

Labor nemini, ignauia omnib. turpis eſt.

Forma enim eſt cauſa eſſentiæ & actionum.

pri-

priuatis modò hominibus,ſed & regibus,& prius beatis vrbibus exitij cauſam fuiſſe. Cùm igitur otioſa & ignaua vita ne vita quidem habenda ſit,videamus,num ad aliquam potius aliarum artium,quàm ad literas,animum adijcere præſtet. Equidem cùm mente ac cognitione perluſtro eas artes, quibus cum hiſce ſtudijs noſtris,aut nulla, aut non magna communio eſt,ex ijs quidem quæ ita neceſſariæ ſunt, vt eis ciuitas nullo modo carere poſſit, duas præcipuas iudico,agriculturam,&mercaturam: ex ijs autem, quæ ad ornamentum ciuitatis, & ad animos honeſta voluptate perfundendos pertinent,duas minimè ſordidas, miniméque illiberales.picturam,& ſtatuariam. Nam quòd boni vnaquæque ciuitas percipere ex ſuo & patrio ſolo poteſt, id agricultura educit,atque elicit: quo eget,id aliundè mercatura comportat. Ita ciuitas ſine alterius ope ne ſuis quidem opibus fruitur, alterius beneficio fruitur etiam alienis. Pictorum autem & ſtatuariorum opera& voluptatis atque admirationis habent plurimum,& quæ liberalium artiũ nota eſt,ingenij,

Duæ in ciuitate artes neceſſariæ, duæ ad ornatum.

non

non corporis viribus conſtant: & ad conſeruandam clarorum virorum memoriam, cæteróſque ad eorũ imitationem incitandos nõ in meritò magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis auſit harum artium vllam cum literarum ſtudio cõparare? Niſi fortè maius eſt agrum, quàm ingenium, colere, aut iacta in terram ſemina, depactíue ſurculi: quàm ingenia præceptis philoſophiæ conſita, ampliores, aut vberiores fructus ferunt. Mercatura autem vel ſi tenuis eſt, ſordida eſt: vel ſi ampla, tot expoſita periculis, vt meritò ille olim Laco negauerit optabilem ſibi videri fortunam, quæ rudentibus apta eſſet: cuiuſmodi autem ſit, tota fere ad quęſtum, & ad lucrum refertur. At literarum tractatio & dignitatis pleniſſima eſt, & quietis, & eas opes conſectatur, quæ nec furem, nec prędonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiæ ſunt, nec vllis denique caſibus eripi poſſunt. Iam verò quæ Apellis aut Protogenis tabulæ, cum Homeri pictura: quæ Phidiæ, aut Praxitelis ſtatuæ cum literarum monumentis conferri queant? Quos ipſos hodie igno-

Mercatura aut ſordida aut nimium periculoſa.

Nam poeta eſt pictor loquens, & pictor eſt poeta tacens.

rarentus, niſi ſolidiorem ac diuturniorem gloriam eſſent commendatione ſcriptorum, quàm artis ſuæ operibus, conſecuti. Nam quæ illi artificio ſuo elaborabant, & ſolius corporis effigiem exprimebant, & vno tantùm ſpectabantur in loco, & eam naturam habebant, vt ea, ſi nihil aliud, ipſa certè longinquitas temporis confectura, ac conſumptura eſſet. At eruditorum hominum lucubrationes & clarorum virorum non formam modò corporis, ſed ingenia, mores, conſilia, res geſtas ſubiiciunt oculis, & iiſdem, quibus orbis ipſe terrarum, terminis ac regionibus continentur, & tantam vim habēt, vt illa ipſa aliorum omnium humanorum operū cōfectrix vetuſtas his vnis non modò nihil detrahat, ſed maiorem in dies comparet, ac concilieт dignitatem. Trecentas ſexaginta Demetrio Phalereo ſtatuas æreas populus Atheníenſis anno vno, eoque non toto poſuerat: quibus omnib. Demetrius ipſe ſuperſtes fuit. At quæ ipſe ſibi monumēta ingenij, ac doctrinæ magnitudine extruxerat, ea & multis poſt ipſum ſeculis viguerunt, &, cùm poſtea denſa

Demetri⁹ phalere⁹ ingenij ſpecimen addidit.

quæ

quædam & opaca nox omnem prope diſciplinarum lucem extinxiſſet, & oculis erepta, incredibile deſiderium ſui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elatè & magnificè, de ſe, vt ſolet, Pindarus, ſed tamen verè. Statuarium eſſe ſe negat, qui mutas ſtatuas edolet vnà defixas in baſi: ſed quos ipſe cantibus ſuis celebret, eorum famam, terra maríque ſpargi ac diſſeminari. Sed erunt fortaſſe qui vitam militarem huic noſtræ pacatæ, atque vmbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare, aut conari, vt quidquā ex eorum gloria detraham, neque propoſitū eſt, neque fas videtur. Potius omnibus, qui dicendo aliquid poſſunt, omnium induſtriam ad eos celebrandos conferendam cenſeo: & hoc ipſum numero inter præcipua bona, quæ ab artibus noſtris in vitam hominū manāt, quòd earum ope præclara illorum facinora ad immortalem poſteritatis memoriam conſecrantur. Sed tamen ſi quis ſecum in animo reputet, quæ vita ſit eius hominis, qui modicis opibus inſtructus, in literarum ſtudio molliter

Collatio eius qui res militares tractat & eius qui ſtudia literarum.

ac placidè conſeneſcat,& quæ eius,qui ab adoleſcentia armis tractãdis aſſuetus,ſub dio ſępius,quàm ſub tecto,ſub pellibus ſæpius, quàm domi ſomnum capiat:vix dubium fore arbitror , vtra melior & magis expetenda ſit. Alterius aures tubarum & lituorum ,& cornuum clangore , alterius Muſarum concentu & Apollinis fidibus aſſiduè perſonant:illius oculi cæde,& ſanguine , & incendiis , huius admirabilium naturæ operum aſpectu & contemplatione paſcuntur. Ille aut in ipſo ætatis flore hoſtili gladio tranſuerberatur,aut mancos ac debiles artus & inſignem cicatricibus vultum referens,domum redit:hic vt animo ita & corpore integer,vultum, niſi quantum rugæ,caníque venerationis addidẽrũt etiam nutrici agnoſcendum, perfert ad vltimam ſenectutem. Neque verò minus glorioſa,aut minus hominum generi fructuoſa huius quàm illius opera. Occupatur ille in finibus imperij proferendis , hic in finibus cupiditatum regendis ac coercendis:nouit ille quemadmodum vrbes expugnentur, hic quemadmodum gubernentur: ille

quemadmodum iniuria aut repellatur, aut reponatur: hic quemadmodum & accipiatur æquo animo, & negligatur: dicet ille, quàm multos homines manibus ſuis trucidauerit, hic quàm multos à cæde facienda oratione ſua ieuo cauerit: ille quàm multos in ſeruitutem abduxerit, hic quàm multos à ſeruitute vitiorum in veram libertatem perduxerit: illius vſus niſi in bello nullus eſt, huius opera, & in bello, in & pace ſalutaris. Itaque ſi homines inter ſe amicè, ac concorditer viuerent, ſi Dei ac naturæ iuſſa ſequerentur, ſi denique ij eſſent, qui eſſe deberent, iacerent omnes artes belli, vt quarum inter iuſtos iuſtus vſus eſſe non poſſit: noſtræ verò tum demum florerent, ac vigerent: tum demum eas optimus quiſque ſumma corporis & animi contentione ſequeretur. Neque verò quemquam ita eſſe arbitror ſanguinarium, cui non præoptanda videatur nullis empta lachrymis gloria, neque vllo, niſi puro illo ac limpido Aganippes rore irrigata, quàm tabo & cruore oblita, & multa ſtrage ac cladibus comparata. Multa conſultò prætereo: quod mihi, non tā, vt copiā

Inter iuſtos vſum belli iuſtus eſſe non poteſt.

& varietatem conſecter, laborandum eſt, quàm vt effugiam ſatietatem. Quis enim vnquam tanta vbertate ingenij, tanta dicendi copia præditus reperietur, qui literas ita laudare poſſit, vt non ſemper, cùm plurima dixerit, plura tamen omiſiſſe videatur? Omnia, quæ homines in vita expetunt, cuiuſcunque tandem generis illa ſint, nulla re certius, aut facilius, quàm eruditione ac literis, acquiri, conſeruari, amplificari queunt. Eſt quis rei familiaris anguſtia preſſus, ex ea expedire ſe, & ad moderatas opes ſine vlla turpitudine peruenire cupiat? Quæ ad id conficiendum via aut honeſtior, aut expeditior, ac facilior eſt? Quàm multos ex tenui & exili patrimonio, aut iuris ſcientia, aut medendi arte fretos, vt eas potiſſimum nominemus, paucis annis ad maximas diuitias peruenire vidiſtis? Nam quòd plerique vulgato iam prouerbio dictitant, ex omni noſtrarũ artiũ numero duas modò illas frugiferas eſſe ac fructuoſas, cæteras cultorib. ſuis decoquere, ad decollare: in eo vanitatis illos, ac mẽdacij facilè res ipſa coarguit. Nota eſt hiſtoria de

Literarum tractatio ad opes comparandas conferre.

Præter medicinam & iuriſprudentiam cæteras artes eſſe fructuoſas.

de Thalete Mileſio, qui cùm à propinquis obiurgaretur, quòd omne tempus in ſapiētię ſtudio poneret, quòd ad faciendam pecuniā, in qua illi poſita putabant omnia, nulli vſui eſſet: vultis, inquit, oſtendam vobis, poſſe hominem huic ſtudio deditum, ſi ei commodum ſit, diuitem fieri, & hanc eſſe, ſi quis velit, ad quæſtum, ac compendiū vel maximè compendiariam viam? Cùm illi ſe velle dixiſſent, homo, qui ex aſtrorū ſciētia, magnam eo anno olearū vbertatē præuideret fore, multò antè, exiguo pretio, cū cōtra licitaretur nemo, omnia Chiorum ac Mileſiorum prela ac trapeta conduxit: quæ cùm poſtea ſuo tempore, quanti voluit, elocaſſet magnàmq; ex eo vim pecuniæ collegiſſet, oſtendit Philoſophos non tam rem facere nō poſſe, quàm maioribus, ac præſtantioribus cogitationibus occupatos, de ea facienda non laborare. Quid Leontinus Gorgias? nonne Rhetorices profeſſione, & maximas ſibi diuitias peperit & tantam gloriam, vt ei viuo ac vidēti honoris ergo aurea ſtatua in Apollinis Pythij templo conſtituta ſit? Quid ille qui eloquentiæ quaſi

Enumeratio eorum qui neque medici neque iuriſperiti magnam.

mercator, atque opifex quidam habitus eſt Iſocrates? non & ſumma gloria fuit, & iis opibus, vt ter ad Trierarchiã vocatus, cùm eam bis effugiſſet, ad poſtremum ſplendidiſſimè ac magnificẽtiſſimè obierit? ad eam autem non fere niſi opulẽtiſſimus quiſque ac locupletiſſimus adigebatur. Neq; medic⁹ erat optimus peſſimi principis magiſter Seneca, neque de iure cõſulebatur. Et tamẽ quãtam ſibi opum vim homo externus, & alienigena eloquentia & eruditione confecit? Scio, hoc, quod dicam quibuſdam incredibile viſum iri. Sed tamen, ſi vera ſunt, quæ literis prodita ſunt, haud ſcio an nullus hodie tota Italia princeps tãtas opes habeat, quãtas in Senecam quadriennio Nero cõgeſſit. Nam cùm ex veteribus illis Romanis M. Craſſus opulẽtiſſimus fuiſſe dicatur: Senecę opes Craſſi opibus duplo maiores fuerũt. Prope eſt vt pigeat in hac parte tamdiu immoratum eſſe: ſed tamen dicẽdum fuit aliquid aduerſus ſtultitiam eorum, qui aiunt, ſi quis iuris ſcientiam & artem medendi excipiat, cæterarum artium noſtrarũ ſterilem eſſe culturã. Qui error ex eo po-

Tamen opum vim congeſſerunt.

tiſſimum natus eſt, quòd doctrinę mediocritas magnos efferre fructus non poteſt. Itaque excellendum eſt iis, qui magna & præclara concupiuerunt. At nos ſimul atque paulum vltrà prima elemēta progreſſi ſumus, falſa de nobis opinione tumefacti, quia non in nos continuò opes, & honores congeruntur, iacere literas clamitamus. Non iacent literæ: non iacent: neque iacuerūt vnquam: &, ſi antea iacuiſſent, GREGORIO XIII. Pontifice non iacebūt. An ille, cùm & omni doctrina inſtructiſſimus ſit, & ad illos veteres atq; vſitatos noſtros & literarum patronos Io. Moronum Sacroſācti Collegij Decanum, priſcæ maieſtatis abſolutiſſimū exemplar, cuius in ipſo nutu plurimū auctoritatis reſidet, cuius è vultu ipſo, atque oculis elucet grauitas humanita te condita: Aloyſium Cornelium Camerarium, hominem plenum officij, & ad omnium animos ac voluntates deuinciendas ipſis Gratiarum manibus factum: & illa duo ornamenta ſeculi, firmamenta literarum, domicilia virtutis, & eruditionis, Gulielmum Sirletum, & Franciſcum Alciatum, ad eos

Doctrinæ mediocritas efficit vt in nos opes cōtinuò non cōgerantur.

Ioannes Moronus Cardinalium collegij Decanus.

ſit res, quam vt nihil agentes ferat, dant
3. via. ſe ad artem aliquam factitandam: alij, qui excelſiore ſunt animo, armorum tractationem, & militaris rei gloriam
4. via. ſibi proponunt, alij deniq; animum ad literas, & ad hæc mitiora ſtudia appellunt. Quid igitur iſtis turpius aut abiectius, qui, torporẽ ac deſidiam amplexi, vitam luxu atque inertia tranſigunt, nihil agentes, quo ſe homines eſſe teſtentur? Qui, vt Phæaces illi Homerici,

Non pugnis, duráue exercent membra palæſtra:
Sed menſam, & citharæ ſtrepitum, dulcéſque choreas.
Stragulâq; & molles curant poſt balnea lectos:

Margine illius ſimillimi, de quo idem Homerus:

Non fodere ille bonus, duiíſue ligonibus arua:
Vertere, non vlli viuebat idoneus arti.

Sic enim & hi neque domi, neque militiæ, neque priuatim, neque publicè, neque ſibi, neque alijs vtiles, ita vitæ curriculum cõficiunt, vt, veluti naues,

nullum

nullum ſui veſtigium relinquant. Qui mihi, ſi dijs placet, quòd nihil agant, quaſi non pudere parum ſit, etiam gloriantur. Alij, inquiunt, in opere occupati ſint: nobis maiorum noſtrorum virtute eſt, vnde otioſi lautè ſplendidéque viuamus. Quid maiores veſtros nominatis? qui ſi veſtri ſimiles fuiſsent, vos hodie in poſtremis iaceretis. Si, quales vos eſtis, tales ipſi fuerunt, indigni ſunt qui nominentur: ſin alij, vos indigni, qui eos nominetis. Ac videte, quantopere à ſapientiſſimi poetæ Heſiodi iudicio veſtra ratio diſcrepet. Laborem ille & induſtriam nemini, languorem & ignauiam omnibus turpem eſse confirmat. Preclarè Cicero. Mihi quidem, inquit, qui nihil agit, eſse omnino non videtur. Nam & phyſici docent, quæ cuique rei cauſa eſt, vt ſit, eandem ei eſse cauſam, vt aliquid agat. Sed omittamus hos molles & delicatos, neque eos ex ſomno, cui tam libenter indulgent, excitemus: teneamúſque id quod à ſapientiſſimis viris proditũ eſt, nihil eſse inertia fœdius: otio ali vitia: otium, vt non grauiſſimus poeta grauiſſimè tamen cecinit Catullus non

Labor nemini, ignauia omnib. turpis eſt. Forma enim eſt cauſa eſſentiæ & actionum.

priuatis modò hominibus,ſed & regibus,& prius beatis vrbibus exitij cauſam fuiſſe. Cùm igitur otioſa & ignaua vita ne vita quidem habenda ſit,videamus,num ad aliquam potius aliarum artium,quàm ad literas,animum adijcere præſtet. Equidem cùm mente ac cognitione perluſtro eas artes, quibus cum hiſce ſtudijs noſtris,aut nulla, aut non magna communio eſt,ex ijs quidem quæ ita neceſſariæ ſunt, vt eis ciuitas nullo modo carere poſſit, duas præcipuas iudico,agriculturam,&mercaturam: ex ijs autem, quæ ad ornamentum ciuitatis, & ad animos honeſta voluptate perfundendos pertinent,duas minimè ſordidas, miniméque illiberales.picturam,& ſtatuariam. Nam quòd boni vnaquæqúe ciuitas percipere ex ſuo & patrio ſolo poteſt, id agricultura educit,atque elicit: quo eget,id aliundè mercatura comportat. Ita ciuitas ſine alterius ope ne ſuis quidem opibus fruitur, alterius beneficio fruitur etiam alienis. Pictorum autem & ſtatuariorum opera& voluptatis atque admirationis habent plurimum,& quæ liberalium artiũ nota eſt,ingenij,

Duæ in ciuitate artes neceſſariæ, duæ ad ornatum.

non

non corporis viribus conſtant: & ad conſeruandam clarorum virorum memoriam, cæteróſque ad eorũ imitationem incitandos nõ in meritò magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis auſit harum artium vllam cum literarum ſtudio cõparare? Niſi fortè maius eſt agrum, quàm ingenium, colere, aut iacta in terram ſemina, depactiúe ſurculi: quàm ingenia præceptis philoſophiæ conſita, ampliores, aut vberiores fructus ferunt. Mercatura autem vel ſi tenuis eſt, ſordida eſt: vel ſi ampla, tot expoſita periculis, vt meritò ille olim Laco negauerit optabilem ſibi videri fortunam, quæ rudentibus apta eſſet: cuiuſmodi autem ſit, tota fere ad quęſtum, & ad lucrum refertur. At literarum tractatio & dignitatis pleniſſima eſt, & quietis, & eas opes conſectatur, quæ nec furem, nec prędonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiæ ſunt, nec vllis denique caſibus eripi poſſunt. Iam verò quæ Apellis aut Protogenis tabulæ, cum Homeri pictura: quæ Phidiæ, aut Praxitelis ſtatuæ cum literarum monumentis conferri queant? Quos ipſos hodie igno-

Mercatura aut ſordida aut nimium periculoſa.

Nam poeta eſt pictor loquens, & pictor eſt poeta tacens.

raremus, niſi ſolidiorem ac diuturniorem gloriam eſſent commendatione ſcriptorum, quàm artis ſuæ operibus, conſecuti. Nam quæ illi artificio ſuo elaborabant, & ſolius corporis effigiem exprimebant, & vno tantùm ſpectabantur in loco, & eam naturam habebant, vt ea, ſi nihil aliud, ipſa certè longinquitas temporis confectura, ac conſumptura eſſet. At eruditorum hominum lucubrationes & clarorum virorum non formam modò corporis, ſed ingenia, mores, conſilia, res geſtas ſubiiciunt oculis, & iiſdem, quibus orbis ipſe terrarum, terminis ac regionibus continentur, & tantam vim habẽt, vt illa ipſa aliorum omnium humanorum operũ cõfectrix vetuſtas his vnis non modò nihil detrahat, ſed maiorem in dies comparet, ac conciliet dignitatem. Trecentas ſexaginta Demetrio Phalereo ſtatuas æreas populus Athenienſis anno vno, eoque non toto poſuerat: quibus omnib. Demetrius ipſe ſuperſtes fuit. At quæ ipſe ſibi monumẽta ingenij, ac doctrinæ magnitudine extruxerat, ea & multis poſt ipſum ſeculis viguerunt, &, cùm poſtea denſa

Demetri⁹ Phalere⁹ ingenij ſpecimen addidit.

quæ

quædam & opaca nox omnem prope diſciplinarum lucem extinxiſſet, & oculis erepta, incredibile deſiderium ſui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elatè & magnificè, de ſe, vt ſolet, Pindarus, ſed tamen verè. Statuarium eſſe ſe negat, qui mutas ſtatuas edolet vnà defixas in baſi: ſed quos ipſe cantibus ſuis celebret, eorum famam, terra marique ſpargi ac diſſeminari. Sed erunt fortaſſe qui vitam militarem huic noſtræ pacatæ, atque vmbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare, aut conari, vt quidquā ex eorum gloria detraham, neque propoſitū eſt, neque fas videtur. Potius omnibus, qui dicendo aliquid poſſunt, omnium induſtriam ad eos celebrandos conferendam cenſeo: & hoc ipſum numero inter præcipua bona, quæ ab artibus noſtris in vitam hominū manāt, quòd earum ope præclara illorum facinora ad immortalem poſteritatis memoriam conſecrantur. Sed tamen ſi quis ſecum in animo reputet, quæ vita ſit eius hominis, qui modicis opibus inſtructus, in literarum ſtudio molliter

Collatio eius qui res militares tractat & eius qui ſtudia literarum.

ac placidè conſeneſcat, & quæ eius, qui ab adoleſcentia armis tractādis aſſuetus, ſub dio ſępius, quàm ſub tecto, ſub pellibus ſæpius, quàm domi ſomnum capiat: vix dubium fore arbitror, vtra melior & magis expetenda ſit. Alterius aures tubarum & lituorum, & cornuum clangore, alterius Muſarum concentu & Apollinis fidibus aſſiduè perſonant: illius oculi cæde, & ſanguine, & incendiis, huius admirabilium naturæ operum aſpectu & contemplatione paſcuntur. Ille aut in ipſo ætatis flore hoſtili gladio tranſuerberatur, aut mancos ac debiles artus & inſignem cicatricibus vultum referens, domum redit: hic vt animo ita & corpore integer, vultum, niſi quantum rugæ, caníque venerationis addidēr ūt etiam nutrici agnoſcendum, perfert ad vltimam ſenectutem. Neque verò minus glorioſa, aut minus hominum generi fructuoſa huius quàm illius opera. Occupatur ille in finibus imperij proferendis, hic in finibus cupiditatum regendis ac coercendis: nouit ille quemadmodum vrbes expugnentur, hic quemadmodum gubernentur: ille

quem

quemadmodum iniuria aut repellatur, aut reponatur: hic quemadmodum & accipiatur æquo animo, & negligatur: dicet ille, quàm multos homines manibus ſuis trucidauerit, hic quàm multos à cæde facienda oratione ſua reuocauerit: ille quàm multos in ſeruitutem abduxerit, hic quàm multos à ſeruitute vitiorum in veram libertatem perduxerit: illius vſus niſi in bello nullus eſt, huius opera, & in bello, in & pace ſalutaris. Itaque ſi homines inter ſe amicè, ac concorditer viuerent, ſi Dei ac naturæ iuſſa ſequerentur, ſi denique ij eſſent, qui eſſe deberent, iacerent omnes artes belli, vt quarum inter iuſtos iuſtus vſus eſſe non poſſit: noſtræ verò tum demum florerent, ac vigerent: tum demum eas optimus quiſque ſumma corporis & animi contentione ſequeretur. Neque verò quemquam ita eſſe arbitror ſanguinarium, cui non præoptanda videatur nullis empta lachrymis gloria, neque vllo, niſi puro illo ac limpido Aganippes rore irrigata, quàm tabo & cruore oblita, & multa ſtrage ac cladibus comparata. Multa conſultò prætereo: quod mihi, non tã, vt copiã

Inter iuſtos vſus belli iuſtus eſſe non poteſt.

& varietatem conſecter, laborandum eſt, quàm vt effugiam ſatietatem. Quis enim vnquam tanta vbertate ingenij, tanta dicendi copia præditus reperietur, qui literas ita laudare poſſit, vt non ſemper, cùm plurima dixerit, plura tamen omiſiſſe videatur? Omnia, quæ homines in vita expetunt, cuiuſcunque tandem generis illa ſint, nulla re certius, aut facilius, quàm eruditione ac literis, acquiri, conſeruari, mapliſicari queunt. Eſt quis rei familiaris anguſtia preſſus, ex ea expedire ſe, & ad moderatas opes ſine vlla turpitudine peruenire cupiat? Quæ ad id conficiendum via aut honeſtior, aut expeditior, ac facilior eſt? Quàm multos ex tenui & exili patrimonio, aut iuris ſcientia, aut medendi arte fretos, vt eas potiſſimum nominemus, paucis annis ad maximas diuitias peruenire vidiſtis? Nam quòd plerique vulgato iam prouerbio dictitant, ex omni noſtrarũ artiũ numero duas modò illas frugiferas eſſe ac fructuoſas, cæteras cultorib. ſuis decoquere, ad decollare: in eo vanitatis illos, ac mẽdacij facilè res ipſa coarguit. Nota eſt hiſtoria de

Literarum tractatio ad opes comparandas conferre.

Præter medicinam & iuriſprudentiam cæteras artes eſſe fructuoſas.

de Thalete Mileſio, qui cùm à propinquis obiurgaretur, quòd omne tempus in ſapiẽtię ſtudio poneret, quòd ad faciendam pecuniã, in qua illi poſita putabant omnia, nulli vſui eſſet: vultis, inquit, oſtendam vobis, poſſe hominem huic ſtudio deditum, ſi ei commodum ſit, diuitem fieri, & hanc eſſe, ſi quis velit, ad quæſtum, ac compendiũ vel maximè compendiariam viam? Cùm illi ſe velle dixiſſent, homo, qui ex aſtrorũ ſciẽtia, magnam eo anno olearũ vbertatẽ præuideret fore, multò antè, exiguo pretio, cũ cõtra licitaretur nemo, omnia Chiorum ac Mileſiorum prela ac trapeta conduxit: quæ cùm poſtea ſuo tempore, quanti voluit, elocaſſet magnàmq; ex eo vim pecuniæ collegiſſet, oſtendit Philoſophos non tam rem facere nõ poſſe, quàm maioribus, ac præſtantioribus cogitationibus occupatos, de ea facienda non laborare. Quid Leontinus Gorgias? nonne Rhetorices profeſſione, & maximas ſibi diuitias peperit & tantam gloriam, vt ei viuo ac vidẽti honoris ergo aurea ſtatua in Apollinis Pythij templo conſtituta ſit? Quid ille qui eloquentiæ quaſi

Enumeratio eorum qui neque medici neque iuriſperiti magnam.

tiſſimum natus eſt,quòd doctrinę mediocritas magnos efferre fructus non poteſt. Itaque excellendum eſt iis, qui magna & præclara concupiuerunt. At nos ſimul atque paulum vltrà prima eleméta progreſſi ſumus,falſa de nobis opinione tumefacti, quia non in nos continuò opes, & honores congeruntur,iacere literas clamitamus. Non iacent literæ:non iacent: neque iacuerũt vnquam:&,ſi antea iacuiſſent, GREGORIO XIII. Pontifice non iacebũt. An ille,cùm & omni doctrina inſtructiſſimus ſit,& ad illos veteres atq; vſitatos noſtros & literarum patronos Io.Moronum Sacroſácti Collegij Decanum,priſcæ maieſtatis abſolutiſſimũ exemplar, cuius in ipſo nutu plurimũ auctoritatis reſidet,cuius è vultu ipſo, atque oculis elucet grauitas humanitate condita: Aloyſium Cornelium Camerarium,hominem plenum officij,& ad omnium animos ac voluntates deuinciendas ipſis Gratiarum manibus factum: & illa duo ornamenta ſeculi, firmamenta literarum, domicilia virtutis,& eruditionis,Gulielmum Sirletum, & Franciſcum Alciatum, ad eos

Doctrinæ mediocritas efficit vt in nos opes cõtinuò non cõgerantur.

Ioannes Moronus Cardinalium collegij Decanus.

igitur quorum iamptidem in fide, ac clientela eramus, cùm proximè eum, quem pleno gradu per ſua veſtigia incedentem videt, quemque optimo iure cordi ſuo chariſſimum habet, fratris filium Philippum S. Sixti Cardinalẽ addiderit, eumque florentis ætatis commendationem à literarum patrocinio ducere voluerit: qui tali argumento declararit voluntatem erga nos ſuam, is, metuimus, ne literas aut egere, aut iacere patiatur? Sed vt vñ digreſſus ſum redeam, atque id quod inſtitui abſoluã: & ad facultates ac copias ſine dedecore parandas accõmodatæ ſunt literæ, & multò magis colẽdæ ijs, qui opibus abundant: ne, ſi id facere neglexerint, inſtrumẽtis ſibi à Deo ad virtutem datis per inertiam abuſi eſſe dicantur. Eademq; ratio eſt & eorũ quib. obſcuri clari & eorũ quib. parẽtes obtigerũt. Nã neque illi vllo maiori, aut illuſtriori ornamento condecorare, &, vt Homeri verbo vtar, coronare poſſunt nobilitatem à maiorib. acceptã: neque hi ex tenebris vlla ratione facilius emergere, sêque in luce, atque in oculis omniũ collocatos, à contemptu, atque ab obli

Literæ ditioribus multò magis colendæ.

obliuione in perpetuum vindicare. Rex erat ac Regis filius Alexander Macedo: & viam ſibi ad ſummam claritatem ac potentiam armis quotidie muniebat. At is & plus ſe debere Ariſtoteli, à quo eruditus, quàm Philippo, à quo genitus fuerat, & cuius in regnum ſucceſſerat, prædicabat: &, cum ab illo diuulgatos eſſe libros quoſdã arduis de reb. ſcriptos accepiſſet, ægrè tulit: ac generoſa quadam indignatione motus, epiſtolã ad eum ſcripſit, in qua hæc verba ſunt: Nam quare poſthac cæteris præſtabimus, ſi, quæ à te edocti ſumus, ea omnium communia erũt? Ego autem malim optimarum rerum ſcientia, quàm opib. & potentia cæteris anteire. Hæc igitur ille regũ ſtirpe ac ſanguine editus. Obſcuriſſimo autem genere ortos quã multos nominare poſſumus, quos ſupra omnes omniũ famoſas imagines literę collocarunt? Obſtetricis filius erat Socrates. Num igitur eo Alcibiades nobilior? Euripidis matrẽ vendendis olerib. vitã toleraſſe accepimus. At ipſe & regũ familiaritate vſus eſt, ita clarus fuit vt hodie magis Achelaus ex Euripidis, quã Euripides ex Achelaï familiaritate noſca

Libros de Naturali auſcultatione intelligit.

Abiecti generis homines literarũ beneficio ditiorib. ſuperiores.

noſcatur. Tympaniſtria fuit Aeſchinis mater, etiam, ſi Demoſtheni credimus, vulgati corporis. At eum rex Macedonum Philippus quātopere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quāta in gratia apud Syracuſarum regem Hieronē fuit? Sed quid huius rei plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora: vt minus ſæpe, quib. illi regnantib. vixerint, quàm qui eis florentib. regnauerint, quærere ſoleamus. Neque tamen hæc præcipua ſunt eorum bonorum, quæ percipiuntur ex literis: ſunt alia longè maiora, lōgeque diuiniora. Literæ inditos nobis à natura honeſtatis igniculos excitant: luxuriātes quaſiqúe fruticantes cupiditates ſtringunt ac coercent, eáſque rationis finib. regunt: abducunt à vitijs, duces & magiſtræ ſunt ad virtutē: proſperis reb. ornamento ſunt, ſolatio aduerſis, neque illis exultare atque efferri ſuos neque, his frangi ac deprimi ſinūt: eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorū eſſe dixerunt. Crates quidem Thebanus interrogatus, quid ſibi ſupereſſet ex Philoſophiæ ſtudio, notiſſimo verſu reſpō-

Literæ duces ſunt & magiſtræ ad virtutem.

dis

diſſe dicitur: Chœnix lupinum, & mẽtis à curis quies. O magnũ & excelſo animo præditũ virum. Quod alijs regna & imperia non adferunt, vt ſoluto ac libero animo ſint, id ipſi, propter literarum, & Philoſophiæ commercium, chœnix lupinorum adferebat. Quòd ſi tam multa támque præclara bona literis ac diſciplinis cõtinentur. ſi ipſis nominibus ac vocabulis teſtata eſt vetuſtas, earũ cognitionem & hominibus, & liberis atq; ingenuis hominibus digniſſimam eſſe: ſi & ignaua vita homine indigna eſt: & nullo in ſtudio melius, quàm in literis, induſtria collocari poteſt: ſi ad opus ac potentiam, ſi ad honores ac dignitates via optimè literis ſternitur: ſi eiſdem & animi trãquillitas, & nominis æternitas comparatur: quid ſtatis adoleſcentes, aut cur oblatam vobis tanti boni conſequendi occaſionem effugere atque cupĩre pa timini? cur non, alijs omnibus curis & cogitationibus ex animo abiectis atq; abdicatis: in hanc vnam toto pectore incũbitis? Non hoc ſedendi, vt ait Bacchylides, ac cunctandi tempus eſt. Non enim ex plano ac facili gloria hæc peti-

tur:

tur:neq; lata, vt ait Propertius, via currere ad Muſas datur. Nō fruſtrà eas antiqui in arduo atque edito mōte habitare dixerunt: Laborem & ſudorem & vigilias in earum atrio ac veſtibulo excubare voluit Deus: q, vt dicebat Epicharm⁹, labore omnia propè bona hominibus venalia propoſuit. Ego autē, vt liberè vobiſcum agam, valde vereor, ne, cùm pleriſque veſtrum alia omnia abunde ſint, mollitia multi & laboris odio à ſtudiis auocentur. Itaque quib. verbis Homerica Pallas Nauſicaan è ſomno excitat, quam ſegnem, & ignauam vocat, quòd veſtes magni pretij, ſibi emptas à parentibus, neglectui habeat, eáſque illotas ac ſordidas iacere patiatur: ſurgere igitur eam iubet, & ad eas abluēdas cum prima luce proficiſci, præſertim cùm inſtet tempus nuptiarum: iiſdem meritò multos è vobis aliquis quotidie obiurgauerit. Surge quam primum miſer, & ex animo torporem atq; ignauiam excute. Quid tu iſtud ingenium, quod tibi à cōmuni omnium parente Deo, multò qualibet veſte pretioſius datum eſt, ſitu ac ſordibus obſoleſcere quaſiq; rubigine obdu

Cur in arduo mōte Muſæ habitent.

Ingeniū cuique a Deo datum.

obduci pateris? cur non potius dilucu-lo ad illos proficiſceris omnibus ob-uios & expoſitos doctrinarum fontes, quibus te merſans, ex quibus arbitratu tuo hauriens, pectus purgatum vitiorum maculis, & multa præclariſſimarum rerum cognitione madidum referas: præſertim cùm puerulus amplius non ſis, ſed ea iam appropinquet ætas, qua tibi in lucem atque in cõſpectum hominum prodeũdum eſt. Hinc enim demum, multò magis quàm vnde illa dicit, & tibi paries gloriam, & parentum pectus gaudio, lætitiáque complebis. Sed iam longior, quàm par erat, fui. Cogitate, obſecro vos, languidis, ac remiſſis omnia difficilia, nauis & ĩduſtriis omnia peruia, ac facilia eſſe. Deus optimus maximus, cui quæcunque hic acta dictáque ſunt, grata & accepta eſſe cupio, vobis omnibus eum animum inſpiret, vt hæc, ad quæ vos hortatus ſum, tam ſequi velitis, quàm conſequi poteſtis.

DIXI.

ORATIO DECIMAQVARTA HABITA ROMAE POSTRIDIE KAL. MAII ANNO CIↃ. D. LX.

OMnes quidem Chriſtianos principes, PIE Pontifex maxime, credibile eſt, accepto delati tuis maximis virtutibus honoris ampliſſimi nuncio, admirabili quadā lætitia perfuſos eſſe: nec eorum fuiſſe quemquam, quin, ſublatis in cælum manibus, omnium rerū moderatori Deo ſingularibus verbis gratias egerit, quod ſacroſancto Cardinalium Collegio eam mentem dediſſet, vt te potiſſimum deligerent, quem in iſta dignitatis ſede celſiſſimā concordibus ſuffragiis collocarent. Sed quanto noſtri Reges obſeruantia erga Romanam eccleſiam, & inſigni atque aſſiduo defendendæ ornandæque illius ſtudio cæteros ex omni antiqtate ſuperarunt: tanto Franciſci II. Regis, te Pontifice declarato, maius quàm pro virili parte gaudium fuit. Quare, etſi nō dubitabat, quin tu de clariſſimo viro, Epiſcopo

Reges Gallorum in Romanā Eccleſiam omnium præſtantiſſimi.

Epiſcopo Engoliſinenſi, Oratore apud te ſuo, cuius fidem & integritatem tibi planè perſpectam eſſe nouit, animum ſuum erga te, & erga hanc orbis terrarũ principem eccleſiam: & optimè, & libentiſſimè cogniturus eſſes: tamen vt illuſtriorem etiam, & expreſſiorem ſignificationem voluntatis ſuæ omnibus hominibus daret, iudicauit, ſibi faciendum eſſe, vt ad te de ſuis eo propriè nomine eiuſmodi quempiam mitteret, in quo & dignitas ineſſet ea, quæ ad tantum munus obeundum requiritur, & aliæ præterea cauſæ, propter quas eum tibi vnum ex omnibus gratiſſimum atque acceptiſſimum fore cõfideret. Miſit igitur clariſſimum & nobiliſſimum equitum, Ioannem Babonem à Burdæſia, eius quem modo nominaui Epiſcopi fratrem, arcanorum regni, & regiorum omnium cõſiliorum principem, cuius maximis rebus gerendis virtutem, & fidem exploratam habet, quique præterea pietate, & obſeruantia erga hanc ſedem neq; fratri, neque cuiquam mortalium cedit. Quorum ego amborum permiſſu, regiæ voluntatis hodierno die apud

Ioãnes Babo à Burdæſia.

te conſtitutus interpres, gratulor non tam equidē tibi Beatiſſime pater, quàm vniuerſæ Chriſtianæ reipub. quæ priſtinum illum ſplēdorē ſuum, qui magno bonorum omnium mœrore, apud pleraſque gentes prauis opinionibus corruptas, magis ac magis, in ſingulos dies obſoleſcebat, breui ſe, tuo ductu atque auſpiciis recuperaturā, nō dubitantēr ſibi de tua præſtanti bonitate ac ſapientia pollicetur. Summa planè omnia, ac propè diuina in eo requiruntur, qui clauum in eccleſiæ naui teneat: cuius à nutu pendeant leges: cuius ad pedes Reges ipſi ſuppliciter ſe abiiciāt: cuius arbitrio pandatur cælum: qui denique, ſupra omne humanæ dignitatis faſtigium euectus, Dei perſonam inter homines ſuſtineat. Nam ſi diuinæ literæ à quolibet Epiſcopo tantam integritatem ac virtutis perfectionem exigi volunt, nullus vt in omni eius vita reprehenſioni pateat locus: neque grauitatē eius muneris dignè à quoquam ſuſtineri poſſe tradunt, niſi quē pietas prudētia, iuſtitia, vno verbo, virtus ſuis omnibus numeris aſoluta cōmēdet: quid in eo, omni tēpore cum ſummo

Sūma omnia in ſummo Pontifice eſſe debere.

Epiſcopis dotes neceſſariæ.

mo imperio tractare gubernacula eccleſiæ debeat, cuius vita cæteris omnibus pro exemplo, voluntas pro lege, vox pro oraculo futura ſit, quantò hæc omnia requiri maiora, & diuinitati propiora cenſemus? Itaque vt alia, ſic hoc quoque ſanctè ac ſapienter inſtitutum eſt à maioribus, vt quoties de ſummo Pontifice in demortui locum eligendo ageretur: interea dum ea de re ampliſſimus Cardinaliũ ordo deliberaret, nullus intermitteretur dies, quo non omnes, & priuatim & publicè precarentur à Deo, vt eũ ipſe gregi ſuo præficeret, quẽ digniſſimum, quẽ ad publicã cõcordiam, & tranquillitatem aut conſtituendam, aut conſeruandam aptiſſimum, quem denique, quantum humana cõditio fert, ſui ſimilimum iudicaret. Quòd ſi eiuſmodi Pontificem vlla vnquam tempora deſiderarũt, noſtrorum certe is ſtatus eſt, vt nũquam magis ex iſtius ſedis auctoritate vniuerſi orbis ſalus pependiſſe videatur. Non enim Petri nauis, vt ſolebat, placido maris ſecundis conſpirantium ventorũ flatibus impulſa fertur. Horribiles eã procellæ, & turbinũ vis vel exercita

Supplicationes institutæ pro electione Pontificis Maximi.

Eccleſia nunc tẽporis procellis agitata maximis.

tiſſimis metuenda rectoribus agitat: vt quamquam à naufragio quidem nullum periculum eſt, nō mediocris tamē animos teneat metus, ne tam ſæua tempeſtas multos mortales, nouarum opinionum fluctibus inuolutos, in ea breuia præcipites abripiat, vnde poſtea nec enatare ipſi, nec euadere atq; emergere alieno auxilio poſſint. Quos nos omnes diuinæ bonitati maiores agere gratias conuenit, quæ, depoſitis propè iam rebus, certè quidem in ſummum deſcrimen adductis, & extrema ſpe pēdentibus, eum gubernatorem dedit, quo meliorem, ad hæc omnia in melius conuertenda accommodatiorem, non dicam reperire, ſed ne optare quidem, aut etiam cogitando informare poteramus. Iam nunc igitur præcipimus mentibus eius diei lætitiā, quo gentes illæ, tum fallacibus improborum hominum ſermonibus in laqueos erroris inductæ, tum fortaſſis etiam, quorundam è noſtris licentiori & diſſolutiori viuendi genere offenſæ, abſciderūt ſeipſas à corpore Eccleſiæ, & aduerſus eam impium ac nefariū bellum ſuſceperūt, mutato conſilio, ad

ſani

ſanitatem redeant, & erroris ſui veniam petentes, depoſita omni contumacia, ſanctiſſimis pedibus tuis oſculum figant. O præclarum illum triumphum, & cùm omnibus, tum iis præcipuè de quibus agetur, optabilem. Non enim tu illos opprimere, ſed oppreſſos erigere: non in ſeruitutem abducere, ſed à teterrima ſeruitute in veram libertatem aſſerere: non perdere, ſed ſeruare vis: non eorum ſanguinem fundere, ſed, ne ſanguis IESV CHRISTI fruſtra pro eis fuſus ſit, efficere: non retortis poſt tergum manibus, collo catenis grauato, ante currum ducere, ſed iis ipſis vinculis, quibus impediti tenentur, exoluere meditaris. Quibus igitur ipſis, niſi in eo vt vincantur, nulla ſpes ſalutis eſt: credimus vſque eò præfractos ac peruicaces fore, vt ad extremum perire, per obſtinationem animi malint, quàm cedendo, & obſequendo ſeruari? Immo verò certa ſpes eſt, ceſſurã tãdem aliquando rationi temeritatem, luci tenebras, mendacium veritati. Quantam ille dies non terris modò, ſed cælo ipſi hilaritatem allaturus

Victoriã verè Chriſtianã à Pontifice reportant laude hæretici.

eſt? Nam ſi, cum vnus aliquis, qui à recto viuendi tramite deflexerit, in viam redit, innumerabiles illas legiones angelorum exultare ac geſtire gaudio credimus: quid tandem facturas eſſe auguramur, cùm tot hominum miſerabiliter nunc in ſuam perniciem ruentium millia reſipuerint, & vnde ſatanæ inſtigatione diſceſſerant, eo ſe Sancti Spiritus afflatu inſtincta receperint? Age igitur optime maxime Pontifex, præripe poſteris tuis hanc gloriam: & quod aliquando fieri neceſſe eſt, id vt te potiſſimum Pontifice fiat, enitere. Addatur decus hoc annalibus noſtris vt in eis olim legatur, peſtilentiſſimas opiniones, quæ, quaſi contagione quadam paulatim ſerpentes, per omnes propemodum Chriſtiani nominis prouincias peruaſerant, auctoritate tua deiectas; diſſipatas, extinctas, exterminatas fuiſſe. Damnentur votorum ſuorum per te omnes veræ pietatis ſtudioſi, qui multos iam annos nihil ardentius à Deo, quàm concordiam, & harum diſſenſionum finem efflagitant. Signetur hoc præcipuè titulo Pontificatus tuus: vt, ſi quis quondam non expreſſo

Exhortatur Pontificem ad hæreſes extinguendas.

expreſſo nomine Pium quartum intelligi velit, cum Pontificem dicat, qui affectis, & ægrotis eccleſiæ membris tam ſalubrem medicinam adhibuerit: vt etiam ea, quæ deſperata videbantur, integra, & incolumia conſeruarit. O nos beatos, cùm illa, vt ſperamus, euenerint. O te Pontificem modis omnib. maximum ac beatiſſimum. Quæ futura eſt tam barbara, aut tam longinqua natio, quo non, tam diuini beneficij à te in totum hominum genus collati, fama perueniat? Quæ tam ingratæ literæ, quæ de tuis laudibus conticeſcant? Quæ tam ſurda poſteritas, quæ clamores noſtros admiratione virtutis ac fœlicitatis tuæ excitatos non exaudiat? Magnam verò tam præclaræ rei & ſuſcipiendæ occaſionem, & ex animi ſententia conficiendæ ſpem tibi offerre tempus ipſum videtur Nam ſuperioribus annis, cùm duo Chriſtianorum maximi potentiſſimique Reges graui, & diuturno bello inter ſe contenderent: cæterorum autem principum non ferè quiſquam eſſet, qui non ad alterutram partem aut ſuapte voluntate inclinaret,

Laus euentura Pontifici extinctis hæreſibus.

Mala in orbem Chriſtianum inuecta per diſcordias Gallorum & Hiſpanorum.

aut aliquà officij ratione adduceretur, aut etiam neceſſitate traheretur, cùm vndique armorum fulgor, ſtrepitus, terror, omnium oculos, aures, animos, præſtingeret, obtunderet, conſternaret: cùm quibuſdam locis, pauciores iam reperirent, qui fructus ex agris perciperent, quàm qui agros ipſos aut ſua, aut aliena cæde quotidie cruẽtando pinguiores efficerent: eueniebat, vt in illa rerum omnium perturbatione & improbi ac conſcelerati homines opinionum ſuarum venena per omnes populos fidentius atque impunius ſpargerent, & principes, alijs cogitationibus occupati, ad coercendam illorum audaciam animum conuertere non ſatis commodè poſſent. Habet in ſe bellum cum alia mala plurima, tum illud in primis, quod & malè animatis hominibus affert peccãdi facultatem, & plerumque principibus conniuendi neceſſitatem. At nunc, cùm, diuino numine, atroces illi bellorum impetus reſederint: cùm illa tamdiu exoptata pax, cœlo demiſſa, eorum animos, qui odijs vt videbantur, implacabilibus diſſidebant, æterno, vt ſperamus,

Belli mala.

ramus,

ramus, fœdere coniunxerit: quis non intelligit fore, vt principes, alijs curis ſoluti, ad purgandas prouincias ſuas, & ad omnes impiorum dogmatum fibras elidendas, omnes radices euellendas, atque excidendas toto pectore incumbant? Quod quidem Franciſcus, rex Chriſtianiſſimus, & iam nunc diligentiſſimè facit: & diligentius atque animoſius in dies facturũ ſe eſſe profitetur. Meminit enim, eis ſe maioribus editum, qui, vt ſectas relioni noſtræ inimicas extirparent, vt Chriſtiani nominis fines quàm longiſſimè propagarent, vt Apoſtolicæ ſedis auctoritatem ſanctam atque inuiolatam præſtarent, nullam ſibi vnquam difficultatẽ pertimeſcendã, nullum periculum detractandum, nullam dimicationem refugiendam putarunt. An ille cùm vetera illa Chriſtianæ pietatis columina, Childebertos, Martellos, Pepinos, Carolomannos, aliósque innumerabiles heroas, hæreſum extinctores, veræ fidei aſſertores, Pontificæ dignitatis vindices ac propugnatores memoria repetat: eorúmque ſe ſanguinem ac progeniem eſſe cogitet, quorum pro Chri-

Gallorum Reges, hæreſeon extinctores.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſti doctrina expeditionibus,bellis, victorijs totus terrarum orbis nobilitatus eſt:&, vt vetera taceantur, cùm ſe Franciſco primo prognatum, Errico ſecundo natum recordetur, duobus poſt hominum memoriam præſtantiſſimis Regibus,quorum vtriuſque tanta támque inſigni extiterunt in eccleſiam promerita, maximo animo maiorum ſuorum veſtigia non perſequatur?Ille verò faciet:nec adæquare modò eorum gloriam,verum etiam,ſi fieri poſſit, ſuperare conabitur: quíque ſe principem inter eccleſiæ filios locum obtinere intelligat, vt illo ſe honore digniſſimum præſtet, omni ſtudio elaborabit. Tu modò, Pater Beatiſſime, pro tua ſingulari, & eximia ſapientia, quid ad compeſcendos tumultus,& ad ſtatum eccleſiæ componendum vtiliſſimum ſit, ſtatuito. Notum eſt,maximas ſæpè,& pernicioſiſſimas in eccleſia diſſenſiones ritè conuocato ex omnibus Chriſtianæ ditionis partibus Epiſcoporum concilio ſedatas fuiſſe. Eodẽ remedio ſi tibi nunc quoque ægrotis exulceratíſque rebus ſubueniendum eſſe videatur: nihil eſt, quod

Galliæ rex primogenitus eccleſiæ.

Ad concilium celebrandum hortatio.

quod Regi gratius, aut optatius poſſit accidere: neque tibi dubium eſſe debet, quin ipſe omnes vires ſuas eo collaturus ſit, vt quæcunque ab eiuſmodi concilio decreta fuerint, piè inuiolatéque ſeruentur. Omninò autem Beatiſſime Pater, quæcunque obedientia ab optimo, & obſequentiſſimo filio præſtari poteſt, eã tibi Rex ſumma fide ſummáq; conſtantia præſtiturus eſt, ídque ſe ſemper facturum eſſe, per hos clariſſimos, & ornatiſſimos viros, Oratores ſuos, ſanctiſſimè pollicetur. Tu viciſſim perge, vt facis, & Regẽ ipſum, & vniuerſum Galliæ regnum paterna charitate complecti. Multæ ſunt cauſæ, quæ te, vt id facias, excitare debent. Primùm ipſa muneris ampliſſimi, quod te Deus in terris ſuſtinere voluit, ratio. deinde ardentiſſimum illud ſtudium, quod ſemper vſque à Clodouæo viguit in regib. noſtris, adiuuandi Romanam eccleſiam: vt, quoties ita tempora tulerunt, ſe, regnúmque ſuum in apertum diſcrimen obijcere maluerint, quàm eccleſiæ laboranti deeſſe, qua ex re illud aſſecuti ſunt, vt, & ipſis, & eorũ poſteris primus inter eccleſiæ

Reginæ matris laus. cleſiæ filios locus, nemine diſentiente, tribuatur. Valere etiam apud te debet illa nominis ſanguiniſque coniunctio quæ inter te, & lectiſſimam, omníque laude ac prædicatione digniſſimã fœminam Catharinam Regis matrem intercedit. Nam cùm ei, neque quidquam vnquam optatius fuerit, vt tu ipſe omnium optimè noſti, quàm vt te tertium è gente ſua ſummum Pontificem videret: neque maiorem lætitiam attulerit, quã cùm intellexit, ſe id, quod tantopere optauerat, conſecutam: ęquũ eſt, tanto illius erga te ſtudio parẽ à te voluntatem referri. Poſſemus, & alia eodem pertinentia proferre, niſi ea iam mutuæ inter te, & Regem voluntatis teſtimonia vtrinque data eſſent, quæ neminem dubitare patiuntur, quia & ipſe tibi dicto audiens futurus ſit, & tu eum paterna beneuolentia proſecuturus.

Hæc habuimus, Beatiſſime pater, quæ tibi Franciſci II. Chriſtianiſſimi Regis nomine exponeremus. Nũc, cũ idem Scotiæ regnum obtineat, vna *Pro regno Scotiæ* ipſe cum Maria vxore, à qua illud dotis nomine accepit, omnes tibi eius, & opes

opes,& copias deferunt, ſeque omnibus in rebus auctoritati tuæ libentiſſimè obtemperaturos,omnēq; tibi, quæ à filiis debetur,obedientiam præſtituros pollicentur.Nos, ne rurſus orationem à capite accerſere neceſſe ſit, quæcunq; de Galliæ regno diximus, eadē, vt de Scotiæ quoque regno dicta eſſe exiſtimes,obſecramus.

DIXI.

ORTIO DECIMA QVINTA HABITA ROMAE POSTRIDIE ID. DEC. AN. M.D.LX.

Quo tempore Ioanna miſſis ad ſummum Pontificem literis ſua manu ſubſcriptis ſe & catholicam eſſe profitebatur, & ſe nunquam à S. R. P. obedientia deſcituram pollicebatur.

Excuſat eos quod paulò tardius Ro-

SI quantùm lætitiæ Pōtificatus tuus Antonio Regi Nauarræ,& Ioannæ ipſius vxori attulit, Beatiſſime Pater, tantùm eis commoditatis ad eam læti-

tiam

mani miſerunt oratores. tiam, nulla interiecta mora, tibi ſignificandam tempora tribuiſſent: nihil omnino habuiſſent antiquius, quàm vt ad te ſtatim mitterent, qui tibi ſummum honorem, hinc ampliſſimo Cardinaliũ Collegio ſummam prudentiæ ac iudicij laudem, vniuerſæ Chriſtianæ Reip. magnam & propriè exploratã antiquę dignitatis recuperandæ ſpem ſuo nomine gratularetur. Sed quoniam, quãtum ex optimi, & ad ſedandas horum temporum diſcordias aptiſſimi Pontificis creatione gaudium caperent, in ipſorum probitate, ac fide poſitũ fuit: quam vacuum tempus, & ad legationem eius rei cauſa ſubitò decernendam idoneum haberent, nõ fuit: iudicarunt, ſi temporibus ſuis parerent, & quod recentire facere, cùm magnopere cuperent, non ſatis commodè poterant, id in diem differrent, nihilominus cauſa teſtificationem voluntatis ſuæ aut ſibi honorificã, aut tibi iucundam, atque acceptam fore. Et verò, Beatiſſimè pater, ſi apud te, & apud hoc, ſanctiſſimum, auguſtiſſimũmque conciliũ nõ ex vulgi opinionibus, ſed ex veritate vnaquæq; res penditur:

Excuſatio mirifica tarditatis.

gratu

gratulatio paulò ſerius facta non tam propter tarditatem aliquid de illa nouitatis ſuauitate,ac dulcedine deperdere, quàm propter maturitatem aliquid auctoritatis,ac fidei acquirere videtur. Etenim qui tibi,cùm primum ad iſtũ cęlo proximum in terris locum diuino conſilio ſublatus es,gratulabantur, cũ tantam gaudij ſui cauſam afferre poterant,quod certò ſperarent fore, vt qui te per totã vitam omnibus maximis honoribus digniſſimum præbuiſſes, cùm conſecutus, quo nullus amplior exoptari poteſt, tantam dignitatis amplificationẽ pari virtutis acceſſione cumulares. Magna prorſus illis, & illuſtria ſuppeditabant argumenta, cur ita crederent:neque non firmiſſimis fundamentis nitebatur incredibilis illa ſpes,quam de futura Pontificatus tui fœlicitate cõceperant.Sed quã- *Præſentia* tum intereſt inter ea quæ futura cre- *ſperantis* duntur,& ea quæ iam ſunt:quantò ex- *certiora.* perta iam & explorata, quam ſperata *ſunt.* & expectata,maiorem lætitiam in animis hominum commouent: quantò certius & verius homines præterita,& præſẽtia commendare,quàm de futu-

ris affirmare pronunciare poſſunt:tantò plus ponderis ac fidei habere debet ea gratulatio,quæ tibi fit,annum propè iam integrum ex iſta ſacratiſſima ſede vniuerſum orbem ſapientiſſimè gubernanti,quàm illæ, quæ tum fiebant, cùm homines,qualẽ eſſe te plus plúſque in dies experiuntur, talẽ futurum eſſe proſpicerent,quaſique augurarentur. Neque verò hæc in eam ſententiã idcirco à me diſputantur, quod nõ libentiſſimè facturi fuerint Antonius Rex & Ioanna Regina Nauarræ, vt quemadmodum nulli Chriſtianorum Principum concedebant,qui maius ex tua dignitate gaudium percipiſſet. ita nemini,quantum per locorum interualla licuiſſet,concederent,qui tibi citius de illius adeptione gratularetur: ſi quàm ſolutæ ipſis & liberæ voluntates tam ſoluta etiã,& nullis impedita difficultatibus tempora fuiſſent. Sed ita cogitarunt: ſi rerum ſuarum incommodo maturarent id facere: ipſi tibi, cui maximè probare ſtudium ſuũ cuperent pro tua in ſe paterna charitate, vbi rem cognoces,in ſuauem fore celeritatẽ ſine vlla neceſſitate cum ipſorum

incom

incommodatione ſuſceptam. Nunc autem miſerunt ad te, clariſſimum, & ſpectatiſſimum virum Petrum Albretium, propinquum ſuum, qui genibus tuis ſuppliciter aduolutus, tibi, vero IESV CHRISTI in terris Vicario certiſſimo Petri Apoſtolorũ principis ſucceſſori, cõmuni totius eccleſiæ Chriſtianæ Paſtori, ac gubernatori, debitam obedientiam ſuo amborum nomine præſtaret, atque exhiberet: tibíque atque huic Sacroſancto Collegio confirmaret, Antonium Regem, & Ioannam Regiam Nauarræ, vti veros eccleſiæ filios decet, tibi ſemper dicto audientes futuros: neque vllam euenire poſſe rem tãtam, quæ ipſos ab huius ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis obſeruantia, & ab ea, quam ſibi per manus à maioribus traditam, ſumma firmitate ac conſtantia perpetuò retinuerunt, perſuaſione diuellat. Hic ego Beatiſſime pater, ſi orationis vela pandere & quaſi aperto inuectus mari, per eorum principum laudes, quorum nomine apud te verba facio, decurrere inſtituam, vereor, ne, cùm dicendi principium vel facillimè reperero, exitũ re-

Petrus Albretius.

perire non poſsim. Nam quæ tandem nominari poteſt vllo in genere virtus, quæ non in eorũ vtroque ita emineat; vt ad quemcunque ſe quis animo & cogitatione conuerterit, ea demum excellere ac præſtare videantur? Sed quoniam & ipſi nos hoc tempore ſuæ modò voluntatis interpretes, non etiam ſuarum laudum explicatores eſſe voluerunt, & eorum virtus excelſo, atque illuſtri ſita loco, ſatis ipſa per ſe nullo adhibito alienæ prædicationis lumine in oculos omnium incurrit: laudandis ipſis, quod veriſsimè ac copioſiſsime facere poſſem, ſuperſedebo: tantum ex veteribus hiſtoriis nonnulla proferam, ex quibus intelligatur, & ab iis illos ortos eſſe maioribus, & in eorum opes atque imperia ſucceſsiſſe, qui ſibi poſteríſque ſuis ampliſsimam gloriam nulla re magis quàm frangendis, ac domandis noſtræ religionis hoſtibus, defendendáque Apoſtolicæ ſedis dignitate pepererunt. Quis enim ita veteris memoriæ ignarus, ita in ſuperiorum temporum hiſtoriis peregrinus atque hoſpes, qui non Diui Ludouici Gallorum Regis optimi, ac ſanctiſsimi

ſtes pro eccleſia fortiter geſtas, ſi minus è ſcriptorum monumentis cognouerit at auditione certè aliqua acceperit? Cuius viri per omnem vitam domi foriſque ſpectata virtus, & viuum maxima laude cumulauit, & confecto huius vitæ curriculo in cæleſtium concilio collocatum ad Diuorum religionem & ſanctimoniam conſecrauit. Ab eo igitur, & Antonius Rex, & Ioanna Regina Nauarræ, duobus quaſi riuis ex eodem capite manantibus originem ducunt: vt non ſine diuino conſilio ſācti Regis ſoboles in plures familias ſparſa atque diducta, poſt trecentos propemodum annos, matrimonij fœdere copulata, in vnam eādémque domum denuò coaluiſſe videatur. Etenim & tanti herois progeniem quàm latiſſimè fundi ac propagari oportebat, vt à ſtirpe generis, ac ſeminis quam plurimis populorum rectoribus integra illa & incorrupta religio, quæ in eo fuerat, ingeneraretur, & æquum erat, ex ea profectos tandem aliquando rurſum inter ſe coniungi, vt extarent, qui vtraque ſtirpe poſſent Diuo Ludouico generis ſui auctore ac principe gloriari.

Nauarræ domus origo à Diuo Ludouico ducta.

Quod ſi mihi fas eſt, Beatiſſime pater, audiente te, in hoc auguſtiſſimo religionis antiſtitum conſeſſu res diuinas attingere, & de diuorum ſenſibus, ac cogitationibus aliquid dicere: credo equidem Diuum Ludouicum, pro charitate illa, quæ beatos ne tum quidem deſerit, cùm ſpes, & fides finem ſuum conſecutæ deficiunt, credo, inquam, eum è cœlo in ſuos intuentem, horum de quibus loquimur principum coniunctione lætari, & aſſiduis hoc à Deo precibus exorare, vt à ſe orti per ſua veſtigia gradiãtur, vtq; in vero Dei cultu nõ tantùm ipſe ſe populósque ſuos contineant, verum etiam illius propagationem primam ſibi omnium rerum putent. Inde fit igitur, vt & Galliarum Reges eius gloriæ, quæ conſeruanda, & propaganda religione paritur, principatum ſibi præter cæteros appetant: & qui eis genere proximi sũt (arctiori autem eos, quàm Nauarræ Rex, & Regina, neceſſitudine attingit nemo) nulla in re magis elaborent, quàm vt ſe perpetuo eiuſdem laudis ſocietate digniſſimos præſtent. Nam quid ego nunc Ludouicum Philippi & re, & cognomi-

Sanctorũ preces & cura in terris degentium

Galliæ Reges religionis ſtudioſiſſimi.

gnomine animoſi Galliarum Regis filium,Diui Ludouici nepotem, Eburouicum Comitem, Regem Nauarræ, à quo per multos gradus nunquam interrupto ſucceſsionis ordine, hæreditas regni ad Ioannã Reginã peruenit, eum igitur cur mihi pluribus verbis commendandum putem? Quid eius Philippum filium? qui non tantùm regni,verùm etiam patritæ atque auitæ virtutis hæres,pro Chriſtianæ pietatis defenſione cũ Granatæ Rege,acerrimo per id tempus Chriſtianorum hoſte,magnum & diuturnũ bellum,ſumma fortitudine & prudentia adminiſtrauit. Theobaldi verò Campaniæ Comitis,qui & ipſe Nauarris regio Imperio præfuit,virtutẽ quis ſe vnquam ſatis pro dignitate laudare poſſe confidat? qui cum totam prope ætatem in oppugnandis CHISTI aduerſariis conſumpſiſſet,eiúſque rei cauſa, vſq; in Africam inuictum exercitum duxiſſet,multa prælia commiſiſſet, multas victorias reportaſſet, tandem è ſacro bello,ad quod Diuum Ludouicum comitatus fuerat,rediens,paucis poſt eũ diebus ad ſuperos euolauit. Fuit, fuit

Ludouicus Philippi animoſi filius Nauarræ Rex.

Theobaldus Comes Campaniæ, & Rex Nauarræ.

illa ſemper,& adhuc eſt in Nauarrorũ Regibus virtus,vt religionis defenſioni alia omnia poſthaberent : pro eã, quoties ita resferret,non fortunas modó ſuas, verùm etiam ſua capita ſine cũctatione in quodlibet periculum offerrẽt. Neque verò ita eos animatos eſſe mirabitur quiſquam, qui cognouerit nunquam eos ipſa regni ſui inſignia aſpicere poſſe, quin recordentur antiquę maiorũ ſuorũ virtutis,& laborum,quos illi pro religione noſtra maximos maximéque memorabiles pertulerunt.Ita enim memoriæ proditum eſt Caſtellæ Regnũ in Hiſpania quondã à triginta barbarorumRegibus,duce,atq; Imperatore Smaragdo,occupatum fuiſſe.Vnde cùm illi magnum omnibus Chriſtianis terrorẽ iniicerent, breuíque ſe tota reliqua Hiſpania,quæ Chriſtinianorum erat, potituros eſſe cõſiderent:Sãctium Nauarrorum Regem,collecto forti magis quã numeroſo exercitu,aduerſus eos profectũ eſſe, cùm prius pulcherrimũ clariſſimũmq; iuſiurandum iuraſſet,nũquam ſe ex eo bello,niſi parta victoria,reuerſurũ.Excogitauerant barbari cùm alia multa ad

Caſtellæ Regnum à barbaris occupatum

Sanctius Rex Nauarræ & eius iuſiurandum

ad prohibendas noſtrorũ incurſiones aptiſſima, tum catenas quaſdã ferreas, quibus ita vias omnes occluſerant, vt equitatui, quo plurimùm valebant noſtri, omnis adẽpta ſpes faciendæ in hoſtem irruptionis videretur. Sed nihil virium habent aduerſus prudentiam ſubdola, & aſtuta conſilia: debiles ſunt omnes aduerſus cõſtantiam machinæ: imbecilla & inutilis aduerſus fortitudinẽ multitudo. Deo duce p medios hoſtes ſibi & ſuis viam ferro faciens Sanctius non prius deſtitit, quàm barbaros fuſos, fugatos, caſtris exutos docuit victoriam non in munitionibus operibúſq; bellicis, ſed in cauſę bonitate poſitã eſſe: qui pro CHRISTI nomine dimicarent, eorum impetum non poſſe ne collatis quidem in vnum aliorum omniũ virib. ſuſtineri. Superatis igit, & in poteſtatẽ redactis hoſtibus, omniũ noſtrorum & Imperatorum & militũ incredibilis concurſus ad Sanctium factus eſt: alius amplexari eũ, alius ad genua accidere, alius fortem illam dexteram barbarorum domitricem, Hiſpaniarũ liberatricẽ, victoriæ cõfectricem, exoſculari; qui propter multitudinem

Sanctius barbaros vicit.

Gratulatio exercitus cum Imperatore victo rius a deptο-

propius accedere non poterant, vultu, oculis, manibus, corpore, quaſcumque poterant, animi ſui ſignificationes dabãt: vna omnes voce, & bellatorẽ fortiſſimum, & Imperatorẽ inuictiſſimum conſalutabant. Inde cùm de diuidenda præda agi cœptũ eſſet: quæ tanta erat quantam triginta potentiſſimorum regum collatæ vnũ in locũ opes coaceruare potuerant: nemo erat in vniuerſo exercitu, qui non ita ſentiret, itaq; prædicaret, quantamcumq; ſibi partem ex ea vel depoſceret, vel etiã ſuo iure ſumeret Sanctius, nunquam tantum ad eum peruenturum eſſe, vt non multò plus ipſius virtuti pręclariſq; factis deberetur. Erat in caſtris barbarorũ auri, argenti facti, infectique permagna vis: gemmarum maximi pretij admirabilis multitudo: multum tapetium, multum cõchyliatæ veſtis, multum periſtromatũm: vt eſt illa etiam in bellis luxurioſa gens: armorũ omnis generis optimorum & exquiſitiſſimo artificio fabricatorum infinitus prope numerus: equi præſtantes permulti: phalerarum, ephippiorum, cæterorũmque ornamẽtorum equeſtrium incredibilis copia: captiui

Caſtra barbarorum ditiſsima.

longè

longè plurimi: ex quibus ingens pecunia confici poſſet: quibus omnibus ex rebus, Sanctium, vt quantùm vellet ſibi ipſe ſumeret, ſummo omnes conſenſu obſecrabant. Ille, alacri vultu, cùm gratam ſibi eſſe illam exercitus volũtatem ſignificaſſet: Non me, inquit, barbaricarũ opum cupiditas, vt in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie ſtans corpus meum telis hoſtium obijcerem, induxit. Chriſtianæ mihi pietatis ardor, & huius pulcherrimę regionis ab iniuſto immanium belluarũ dominatu vindicandæ ſtudium, faces ad eam rem, & ſtimulos ſubdiderunt. Nunc, cùm id, quod volui, diuino beneficio, & veſtra milites virtute conſecutus ſum: nõ cõmittam, vt maiori animo videar armatorum & ſtantium copias, quàm inermium & iacentiũ ſpolia contempſiſſe. Ornamẽto ſint iſta primum immortalis Dei noſtri Diuorúmque templis ac delubris. vt partim in ſacrarijs repoſita, partim etholis pendentia, propagent in omne tempus memoriam noſtri: poſteróſque noſtros ad ſuſcipiendam ſemper magno animo religionis noſtræ defenſionem exuſcitent. Ditent

Oratio Sanctij ſpolia barbarorum ſibi oblata reſpuentis.

Quo ſpolia hoſtib. erepta Chriſtiani deſtinare debent.

cætera egenos & exhauſtos, pro ſuis quẽmq; meritis, milites: vt, cùm iuuentutis ſuæ firmitatem in periculis & laboribus conſumpſerint habeant olim quo ſenectutis infirmitatẽ in tranquillitate atque in otio ſuſtentare poſſint. Ego quidem, quòd ad me attinet, præter has catenas, quas ſpectantibus adiuuántibuſque vobis perfregi atq; perrupi: & præter illam gemmam, illam, quam meis manibus deiectam, illic iacentem videtis (hæc autẽ dicens, oſtẽdebat illis proſtratum, & in ſanguine ſuo inuolutum exanimem Smaragdũ) nullam omnino mihi mercedem, nullum præmium, aut poſtulo, aut appeto. Ergo ad conſeruandam tã nobilis victoriæ memoriam, ſimulq; ad incitandos ſucceſſorum ſuorum animos, & ipſe poſteà catenas pro inſignibus geſtauit: & inſtituit, vt iiſdem inſignibus cæteri poſt ſe Reges vterẽtur. Ac quoniã eo in prœlio præcipuũ quem dixi barbarorũ ductorem Smaragdum ſua ipſe manu obtruncauerat: eiuſdem nominis gemmã medio illarum catenarũ complexu voluit cõtineri. Quinetiam propter hanc aliáſque ſimiles victorias, regibus

Vnde inſignia regum Nauarræ.

gibus Nauarræ honoris ergo tributum eſt, vt inungantur, coronentur: conſecientur. O beatum illud ſeculum, cùm Chriſtiani & principes, & populi ſine vllis diſcordijs, ſine vlla opinionũ varietate ac diſcrepantia, ſummo conſenſu, omnes vires ſuas ad proferẽdos Chriſtianæ ditionis terminos conferebant. Noſtra ætas & Chriſtianos principes alios aliorum viribus colliſos attritóſque vidit, & in populis, ne quid abeſſet miſerijs noſtris, grauiſſimas peſtilentiſſimáſque ſeditiones ab improbis hominibus, qui cupiditatibus ſuis falſo religionis nomen prætexerent, concitatas. Quibus malis finem per te impoſitum iri, PIE PONTIFEX optimè & ſanctiſſimè, omnes ita confidunt, vt, ſi hæc ſpes fefellerit, omnia quæ poſſunt euenire miſerrima maximéque deteſtanda vereantur. Erexiſti animos omnium, indicto, quod tanto opere optabatur, vniuerſali concilio. Inieciſti ſpem, fore, vt, hæreſum peſte ſublata, ſacroſanctum IESV CHRISTI nomen eodẽ animo, eadẽ voce, ijſdem ritibus ab omnibus inuocetur.

Deploratio noſtri temporis calamitatum.

Age

Agedum beatiſſime pater, ita te Deus ille, cuius tu perſonã in terris ſuſtines quàm diutiſſimè, & quam feliciſſimè eccleſiæ ſuæ preeſſe velit, vrge conſtanter, vt facis, iſtud propoſitum: omnémque diligentiam adhibe, ad prohibendum, ne tam tetri mali contagio latius ſerpat. Memento, te noſtrum omnium communem patrem, & paſtorem eſſe: noſtram omniũ ſalutem ab eo tibi commiſſam, ac creditam, qui cùm Deus eſſet, humana natura aſſumpta, quin ſanguine ſuo viam nobis in cœlũ panderet, non recuſauit. Omnia ſperamus à te excitatũ iri, quæ iacêre ſentis, tantis támque diuturnis diſſenſionib. perculſa atque proſtrata. Videre iam videmur illud tempus, cùm per te cõſtituatur eccleſiaſtici ordinis auctoritas, cõfirmentur veteres ritus, prauæ opiniones aboleantur, concordia, ne vnquam poſtea diſſolui poſſit, ſeueris legibus vinciatur. Multa perdidit eccleſiaſticus ordo & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ: quę ni ſi per te recipiat, à nemine ſibi reſtitui poſſe cenſet. Ad ea autem recuperanda cùm cęteros Principes Chriſtianos tibi adfuturos eſſe

Perſona pontificis quæ.

Eccleſiaſticus ordo immi-

ſe

ſe credimus:tū Antonius Rex,& Ioanna Regina Nauarræ,ſe regnúmq; ſuū, & Bearniam,& quaſcúmque denique ſummo cum imperio obtinēt prouincias in tua poteſtate sēper fore, ſeque, vt par eſt,obſequentiſſimos eccleſię filios, auctoritati tuæ nunquam non libentiſſimè obtemperaturos eſſe, ſanctiſſimè pollicentur.

D I X I.

ORATIO DECIMA SEXTA HABITA ROMAE ANNO. M.D.LXI.

SI eorū,quæ oratione tractātur, magnitudo & præſtantia non aliunde, quàm ex eius,qui de eis diſſerit, ingenio & dicendi copia penderetur: magnopere mihi verendum eſſet,Beatiſſime pater,ne hodierno die, in hoc auguſtimo & ad dicendum āpliſſimo orbis terrarum loco,ſplendor ac dignitas maximarum pulcherrimarúmq;rerum quarum explicandum munus mihi mandatum eſt,ingenij mei tēnuitate& orationis inopia imminueretur. Dicturus enim,huius clariſſimi viri Oratoris

Captat benevolētiā ſuam eloquentiam eleuando.

adi

ad te regij iuſſu, quãtum gaudium Rex Carolus nonus, te Pontifice declarato perceperit, intelligo mihi faciendum eſſe, vt veteri atque vſitato eorum qui ante me idem munus obierunt, inſtituto, de ſingulari atque eximia pietate, qua Reges noſtri, multis abhinc ſeculis præ cæteris omnibus perpetuó floruerunt, breuiter diſſeram: & non omnia quidem, quod infinitum eſſet, ſed aliqua tamen eorum, quæ illi tum pro religione, tum pro huius ſanctæ ſedis defenſione piè fortitérque geſſerunt, commemorem: oſtendam deinde, quã to ſtudio atque ardore animi Rex noſter iam nunc in hoc ineuntis adoleſcentiæ flore per illorum veſtigia gradiatur: quámque ſibi huius præcipuæ laudis principatum appetat ac concupiſcat: quibus expoſitis, illud quoque facilè intelligetur, quãtæ ipſi curæ eſſe debeat eccleſiæ ſtatus: qui cùm ſecundum Deum, ex Pontifice potiſsimũ pẽdeat: quantopere te tali viro his turbulentiſsimis temporibus diuinitus Põtifice creato ſibi præter cæteros gaudẽdum arbitretur. Quæ omnia ſi quis ita ſe tractare poſſe confidat, vt rerum ma

gnitu

gnitudini orationis pulchritudo reſpondeat: cum oporteat aut ita exercitatũ eſſe in dicendo, vt facultate ſua fretus, nihil ſibi difficile atque arduum putet: aut ita inexercitatum, vt errore ductus rerum pondera & momenta ſatis acutè atque intelligenter perſpicere ac diiudicare non poſsit. Neque mihi nunc alia vlla res perculſum ac debilitatum hac cogitatione animum erigit ac cõfirmat, quã quòd apud te dicendum eſt, Beatiſſime pater, qui & ea ſapientia es, vt, quanti quæque res ſit, ex natura ipſius, non ex iis, quæ de ea dicuntur, ponderes: & ea lenitate ac manſuetudine, vt eis, qui, potius quàm officium deſerant, eius onere opprimi malunt, facilè ac libenter ignoſcas. Mihi verò memoria vetera repetenti, & mentis oculos per antiqua Regum noſtrorum decora circumferenti, non vnde incipere, ſed vbi deſinere debeam, ſtatuere difficile videtur. Tanta eſt enim rerum ab eis geſtarum magnitudo, tanta copia, vt neq; poſsit quiſquam, ne ſi mentiri quidem velit, maiora confingere: neque vera conſectãs, omnia tam breui temporis ſpatio perſequi:

Difficultate rerũ dicẽdarũ exaggerat.

Pontificis mãſuetudo & ſapientia.

ſequi:ſed aut ab ipſo multa, aut ipſum à tempore deſeri neceſſe ſit. Nam quæ tãdem gens toto orbe terrarum nominari poteſt, quæ ſemelſuſceptã IESV CHRITI ſaluatoris noſtri religionem maiore conſtantia puram, incorruptámque ſeruauerit? quæ plures atrocioréſve illius hoſtes aut extinxerit, aut bellica virtute domitos errorẽ ſuum deponere, ſéque ad eccleſiæ ſocietatem recipere coegerit? quæ Apoſtolicæ ſedi laboranti tam ſæpe ſubuenerit, eámque tyrannorum iniquitate & iniuria oppreſſam non in priſtinam modò dignitatem reſtituerit, ſed tam multis ornamentis affecerit, tam firmis præſidiis muniuerit? Omnia, quæ ab aliis regibus, aut gentibus in hoc genere geſta ſunt, ſi vnum in locum collata cum iis quæ noſtri geſſerunt cõparẽtur, & numero eorum & magnitudine obruentur. Mille iam anni ſunt, & aliquandò amplius, cùm Clodoueus, qui poſtea Ludouicus vocatus eſt, primus Regũ noſtrorum, ſalutari aqua ablutus, nomen in Chriſti militiam dedit. Neque diu cunctatus, ſuſcepto bello in Viſigothos pertinaciſsimos hæreſeos Arianæ

Francorũ gens religioni addictiſsima.

Singulare Galliæ regum ſtudium in ſedẽ Apoſtolicam.

Clodoueus Viſigothos vicit.

Arianæ defenſores, eos commiſſo in Pictonibus prœlio vicit, regémque eorum Alaricū manu ſua interfecit. Neque multò pòſt haud procul Burdigala reliquias eorum confecit in campo, qui ex eo etiam hodie Campus Arianus vocatur. Itaque ob id factum Anaſtaſius Imperator, honoris cauſſa, tunicam ei purpuream, ſiue, vt tum loquebantur, blatteam miſit, ſimúlque coronam auream magni ponderis, admirabili opere perfectam, multis ingentis pretij gemmis vnionibúſque collucentem: atque tum per legatos non conſulem modò ac patricium, ſed defenſorem Chriſtiani nominis, ſed liberatorem imperij, ſed generis humani patrem vocauit: fœlicem prędicās, cuius potiſſimū manu diuina prouidencia illos vrbis Romæ euerſores, prouinciarum vaſtatores, Dei hominumq; hoſtes cadere voluiſſet. Ille, vt Principem verè magnanimum decuit, munera quidem Imperatoris non repudiauit: ſed illam, quam dixi, coronam auguſtius quiddam & magnificentius eſſe duxit, quàm vt cuiquā mortalium conueniret: dignam rem ſacrario, di-

Ornamen to Clodo ueo ab Anaſtaſio delata.

Corona à Clodoueo diuo Petro conſecrata.

Childebertus Almaricum hæreticum vicit.

gnam, quæ non humano vſui, ſed diuino cultui addiceretur: itaque eam ſumma cum veneratione, in templum Lateranenſe miſſam, diuo Petro Apoſtolorum principi conſecrauit. Nimirum vt belli principia ex ſolo diuini cultus ſtudio extiterant, ita victoriæ inſignia non alibi, quàm in celeberrimo aliquo templo, collocari par fuit: vt omnibus ſeculis in illo nobili munere, non tam illa clariſſimarum gemmarum multitudo, quàm Clodouei Regis pietas religióque fulgeret. Neque ſe tanto patre parum dignum præſtitit Childebertus: qui Almaricum Alarici filium, cui etiam, ſanciendi fœderis cauſa ſororem Clotildem in matrimonium dederat, cũ in paterna impietate perſtaret, ideóque in vxorem, quam abducere à Catholica religione non poterat, iniurium ac contumelioſum eſſe cognoſceret: bello eum perſequi non prius deſtitit, & tyrannum ipſum obtruncauit, & populos, qui ei paruerãt, ab Arianæ opinionis prauitate reuocauit. O ſancta bella, quæ non ad vnius hominis ambitionem, aut auaritiam explendam, ſed ad veram & catholicam religionem la-

dan

tius ſpargendam ſuſcipiebãtur. O fœlices victorias, quæ & victoribus immortalem gloriam, & victis æternam ſalutem afferebant. Sed ita magna & memorabilia ſunt, quæ mihi ſe ad dicendum offerunt, vt, cùm ſingula intueor, nihil eorum ſine flagitio prętermitti poſſe exiſtimem: ita multa rurſus, vt, cùm vniuerſa contemplor, plurima mihi neceſſariò omittẽda eſſe cognoſcam. Dagoberti tamen primi ſingularem eximiámque pietatem tacitus præterire non poſſum: qui, & edicto propoſito, omnes, qui fidem catholicã non amplecterẽtur, intra certam diem, aut Galliæ finibus excedere, aut capitis ſupplicio affici iuſſit: & in reliquis vitæ partibus ita ſe geſſit, vt qui honores more noſtro relati in Diues haberi ſolent, eos illi poſt mortem eccleſia decreuerit. De Carolo autem Martello quid primum, quid poſtremum eloquar? Ille Saracenos ferociſſimam, & Chriſtiano nomini inimiciſſimam gentem profligauit, quorum infinitam quandam multitudinem vno ad Ligerim prœlio cecidiſſe, cùm è noſtris pauciſſimi deſiderati ſint, hi-

Dagobertus inter ſanctos relatus.

Caroli Martelli victoria.

ſtoricorum monumenta teſtantur. Ille Friſios, impio falſorum deorum cultui deditos, & à Chriſtiana religione abhorrentes: repudiata ſuperſtitione, Chriſto initiari coegit. Ille Viſigothos & Saracenos coniunctis copiis bellum renouare & Narbonenſem prouinciam occupare auſos aggreſſus, agros eorum cadaueribus ſtrauit, fluuios eorum ſanguine infecit. Ille, cùm Gregorius tertius Pontifex maximus, rebus ſuis diffidens, opem eius implorasſet, Luitprandum, Longobardorum Regem, ab hac vrbe obſidenda, ſola nominis ſui auctoritate deterruit. Sed non omnia perſequenda ſunt. Vocat enim nos ad ſe Pipinus: neque me diutius de rebus ſuis tacere patitur. Hic ille eſt Pipinus, Beatiſſimè pater: ille inquam Pipinus, Patres ampliſſimi, à quo eſt Pontificum maximorum auctoritas à contemptu vindicata, opes auctæ, potentia ſtabilita. Etenim, vt ab optimis auctoribus memoriæ proditum eſt: Cũ Aſtulphus Rex Longobardorum vniuerſam Italiam ſub imperium ſuũ ſubiungere meditaretur, iámque Rauennam, & magnam præ-

Pipini Galliæ regis in ſedē Apoſtolicam præclarè geſta.

tereà

terea Flaminiæ partem occupaſſet, Stephanus ſecundus pontifex, cùm prius opem ab Impetatore Conſtatino pecijſſet, atque ab eo neglectus eſſet, cõſilium cepit eundi in Galliam ad Pipinum: illum vnum & ea pietate eſſe, vt auxilium ſibi libentiſſimè laturus eſſet: ijs viribus, vti facilè poſſet Neque eum ſua fruſtrata eſt opinio. Nam Pipinus & illum excepit ijs omnib. honoribus, qui maximi poterant excogitari, vſque eò vt ei obuiam profectus, tria millia paſſuum pedibus confecerit, manu ſua frænum equi quo ille vehebatur tenens: & cùm Alpes incredibili celeritate ſuperaſſet, tranſportato in Italiam exercitu, tantum terrorem intulit Aſtulpho, vt, collatis ſignis depugnare non auſus, Ticini ſe mœnibus tueretur. Vbi tam diu obſeſſus eſt, dum ſe omnia quæ abſtulerat, reſtituturum, neque vnquam Pontifici moleſtiam exhibiturum, interpoſito etiam iureiurando, fidem daret. Qua poſtea neglecta, cùm, longè lateque omnia populatus, poſtremò hanc ipſam vrbem obſidione cinxiſſet Pipinus, qui tanquam re confecta, in Galliam redierat, In Iat

Summus honos Pontifici delatus à Pipino

Aſtulphus Pipino ſupplex.

liam denuo reuerſus, virtute & armis perfecit, vt Aſtulphus ſupplex eaſdem conditiones denuò acciperet: neque prius pedem ex Italia mouit, quàm præfectura Rauennatium, finibus longè maximis, vtpote quibus & Flaminia & Æmilia tota contineretur, Pontifici reſtituta eſt. Extat adhuc tabula marmorea in ea turri, cui Borgiæ nomen eſt, in qua hæc omnia olim honoris ergo inciſa & perſcripta fuiſſe conſtat. Ita enim in ea adhuc legitur. PIPINVS PIVS PRIMVS AMPLIFICANDAE ECCLESIAE VIAM APERVIT. ET EXARCHATVM RAVENNAE CVM AMPLISSIMIS. Pars tabulæ, in qua reliqua ſcripta erant, aut caſu aliquo, aut temporum, aut hominum iniuria confracta eſt. At ænea quidem & marmorea monumenta conficere ac conſumere longinquitas temporis potuit: Pipini certè gloriam nulla vnquam delebit vetuſtas, nulla inobſcurabit obliuio. Sentio tantas res multò breuius multòque exilius à me tractari, quàm dignitati atque amplitudini ipſarum conueniret. Sed qui modus futurus erat, ſi quæ

Pipinus primus eccleſiæ amplificatur.

ſic

ſic quoque vix à me percurſa ſunt, iis in ſingulis immorari, atque inſiſtere voluiſſem? Nunc quoque ſi de Caroli Magni laudibus diſſerere vellem, quantus ſe mihi campus aperiret? Dicerem Aquitaniam, in qua hæreſes denuo efferre ſe & ſubereſcere cœperant, ab adoleſcentulo perpurgatam. Dicerem immaniſſimam Saxonũ gentem, ſemper victam ſemper rebellantem, cùm inter ſe conſtantia Caroli, & illorũ peruicacia certarent, vix tandem continuò triginta trium annorum bello perdomitam, & abiecto idolorũ cultu Chriſti leges accipere coactam. Dicerem Italiam vincendo peragratam, dignitatem Hadriani Pontificis vindicatam: Deſiderium Aſtulphi ſucceſſorem, cùm eadem, quæ ille moliretur, oppreſſum: additam ditioni Pontificiæ Corſicam: additos ducatus Spoletanum & Beneuentanum, additum quidquid Lucam & Parmã interiacet. Neque præterirem reditum in Italiam, & Leonem tertium Hadriani ſucceſſorem in ſedem ſuam, fractis & obtritis hoſtium eccleſiæ viribus, reſtitutum. Illa verò quantò pleniore ore

Caroli res pro religione geſtæ.

Quibus Carolus Magnus Romanã adiuuerit ſedem.

laudarem: relicto ampliſſimo & florentiſſimo regno, ſuſceptum iter impeditiſſimum, & difficultatis ac periculi plenum, & ducto per tam varias gentes validiſſimo exercitu: terram illam quæ vagitus IESV CHRISTI naſcentis excepit, quæ eum cõcionantem audiit admirandis operibus certiſſima diuinitatis ſuæ ſigna dãtem obſtupuit, ſpectauit ſublatum in crucem, & ſuo ſanguine peccata noſtra expiantem, ex impiorum manibus ereptam & recuperatam. Talia quamlibet multa dicerem, multa tamen neceſſariò præterirem, ſumma omnia, & illo nobili Magni cognomine maiora. Quod ſi vellem vlterius progredi, & tum quæ priſcis temporib. Cludouicus Pius, Philippus primus, Cludouicus Craſſus, Philippus Auguſtus, Diuus Cludouicus, alij Reges, tum recenti memoria Frãciſcus primus, Henricus ſecundus, Franciſcus ſecũdus religionis & ſedis Apoſtolicæ cauſa fecerunt, exponere: commemorare, quàm multi ex eis ad eam defendendam in Italiam cum exercitu venerint: quàm multi Pontifices laborantibus rebus ſuis in Galliam confugerint:

Terra ſancta ſiue Iudæa.

gerint: quàm multa concilia, cùm alibi nuſquam poſſent, in Gallia tutò ac liberè celebrauerunt: multorum dierum multorúmque voluminum, non vnius horæ & vnius orationis negotium eſſet. Ob quæ omnia ſemper ſummi Pontifices & quoſcúmque potuerunt honores habuerũt Regibus noſtris, & ex omni antiquitate in ſcriptis ſuis eos omnibus exquiſitiſſimis laudibus extulerunt. Extat epiſtola diui Gregorij ad Childebertum Regem cuius hoc principium eſt, Quãto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni veſtri culmen excellit. Innocentius tertius Reges Gallorum, præ cęteris totius orbis Regibus, ait ſemper Apoſtolicæ ſedi, vt ipſius verba ponam, obſequioſos, & deuotos extitiſſe. Honorius tertius eoſdem oppoſuiſſe ſe tanquam murum inexpugnabilem pro populo Chriſtiano. Gregorius nonus regnũ Galliæ ait eſſe quaſi pharetrã quam Chriſtus ſibi circa femur accinxit, ex qua ſagittas electas extrahens, ipſas, vt ſibi gentes, & regna ſubiiciat, in arcu, ita enim loquitur, brachij potentis emittit. Re-

Diui Gregorij egregiũ de regno Galliæ teſtimonium.

Innocentij tertij

Honorij tertij.

Gregorij noni.

gem Galliæ Gregorius primus Regem catholicum, & præcellentiſſimum filium ſuum: Gregorius nonus Chriſtianiſſimum inter omnes Chriſtianos: Innocentius quartus catholicum principem, & Chriſtianiſſimum Regem: Vrbanus quartus principē inclyta deuotione præclarum, principem Chriſtianiſſimum, præcellentium meritorum, athletam Chriſti ſtrenuum, & ſolicitum fidei Chriſtianæ defenſorem vocat. Quæ omnia honoris & dignitatis pleniſſima nomina, & illum, quem tot ſeculis obtinuerunt, atque obtinēt inter omnes Reges principem locum, Reges noſtri, nō aut ambitione ſua aut aliena aſſentatione conſecuti ſunt, ſed ipſi ſuis ſibi laboribus, ſuis periculis, ſuo ſudore ac ſanguine compararunt. Ab iis igitur maioribus ortus Carolus nonus nihil aliud ſibi ſtudio habet, nihil aliud dies noctéſque curat ac cogitat, quàm quomodo poſſit eorum quàm ſimillimus euadere; & quam nobilitatem à maioribus accepit, eandem tradere poſteris ſuis inſigni aliqua acceſſione cumulatam. Quam ad rem diuinus adoleſcens & ipſe per ſe naturali

Tituli quib. Pontifices Gallorum Reges ornarunt.

quodam

quodam impetu animi fertur, & aſſiduis Catharinæ matris, omnium, quas hodie ſol aſpicit, ſapientiſſimæ, ac præſtantiſſimæ mulieris vocibus incitatur. Itaque in ijs acerbitatibus, quas ſuperioribus annis pertulit Gallia habuit tamen aliquod ſolatium ex pulcherrimo ſpectaculo, matris, omnia recta & ſalutaria ſuadentis, & filij, omnibus maternis conſilijs libentiſſimè obſequentis. Quàm multæ ex eo adhuc puerulo auditæ ſunt voces, erumpente foras ſéque iam tum patefaciente natura, quæ & excellens acumen ingenij, & indolem virtutis omnia mox egregia exempla edituræ indicarent? quarum ego ſi nonnullas proferre inſtituam, facilè conuincam, neque Cyri illius veteris, neque Alexandri magni dicta quædam in pueritia, quæ in admiratione ſunt, vllo modo eſſe cum Caroli dictis comparanda. Sed nihil dictis opus eſt, vbi facta ipſa loqui quodammodo videntur. Quis eſt enim hodie in terris locus, qui non audierit, quibus haud ita pridem Gallia procellis, ac tempeſtatibus agitata ſit? Nam cùm inaudita quadam ante hoc tẽpus calam

Reginæ matris encomium.

Galliæ calamitates nouiſſimæ.

calamitate multorũ ex noſtris hominibus animos nefariæ quædam & execrandæ opiniones occupaſſent, atque ita in eis inſediſſent, vt ipſi nihil ſibi nõ tentandum putarent, quo nobiliſſimũ regnum ab eccleſiæ communione & ab huius ſanctæ ſedis obedientia abducerent: tanta ex eo conſecuta eſt rerum omnium perturbatio, vt toti Galliæ vltimum, quod impiorum potius capiti ſit, veniſſe exitiũ videretur. Videre erat eadẽ in domo filios à patribus, fratres à fratribus, viros ab vxoribus, propter hanc de religione diſſenſionem, capitali odio diſſidentes. Neque ſe priuatis parietib. continuit mali vis, inita occulta primum, mox etiam aperta aduerſus Deum, aduerſus Regẽ, & Reginam, aduerſus omnes rectè ſentientes ſcelerata conſilia. Perditi quidam ac nefarij homines, quos illa furens turba, quaſi nup cœlo delapſos noui euãgelij doctores, ſequebatur, conuocatos ſuos, nocturnis concionibus, ad contemnendos magiſtratus, ad regium imperium tollendum, ad occupanda oppida, ad cædem & ſanguinem, ad rapinas & ad prædas incitabant.

Mira diſſentio.

Miniſtrorum Caluiniſtarũ nefandi conatus. belli ciuilis mala.

Horum

Horum vocibus,quaſi quibuſdam furiarum facibus,cùm accenſa impiorum pectora eſſent, itum eſt ad arma : occupatæ improuisò opulentiſſimæ ac munitiſſimæ vrbes : interceptæ regiæ pecuniæ:direptæ bonorũ fortunæ: ipſi aut expulſi, aut occiſi : antiquiſſima & religioſiſſima templa partim ſpoliata, partim inflãmata,partim diruta & ſolo æquata:quæ deiecta non ſunt in iis ea patrata, quæ cõmemorari ſine horrore nõ poſſunt.O illorũ temporũ vel memoriam ipſam acerbam ac luctuoſam, cùm de legum auctoritate ſceleratorũ audacia triumphabat : cùm proſtratæ religioni victrix inſultabat impietas: cùm tremefactis omnibus bonis, & optimo quoq; peſſima omnia metuẽte,volitantium huc illuc, & in publicis ruinis bacchantium improborum voces vndique audiebantur. In his tantis malis ac difficultatibus Carolus Rex plura ſe & difficiliora,propugnãdæ religionis cauſa feciſſe , ac præſtitiſſe, quàm quemquam alium ex omni memoria principem, verè ac meritò gloriari poteſt. Omnes enim alij in externos bella geſſerunt:hic ſuis bellum inferre

Elegans dissimilitudo bellorum ciuilium & externorum ferre coact⁹ eſt. Alij & à ſuis, & ab alienis adiuuabantur: hunc & ſui, & alieni oppugnarunt. Aliis, ſi vincerẽt, propoſita erat, præter gloriam, imperij ac potentiæ ſuæ amplificatio: ſin vincerẽtur, erat, quo ſe reciperent; huic, ſiue vinceret, ſpectanda magna ſtrages ſuorum, cum inſigni virium ſuarum imminutione: ſiue caſu aliquo vinceretur, regno fortaſſis carendum fuit. Et hæc tamen omnia eum non deterruerũt, quo minus vrbes ſuas obſideret, earũ mœnia tormentis bellicis quateret, agros popularetur, prœlia, in quib. multi fortiſſimi Imperatores militéſque ceciderunt, committeret: omnia denique in ſolo ſuo faceret, quæ in hoſtili fieri ſolent. Neque, vt opinor, aliud bellũ ætate noſtra geſtum eſt, in quo, quidquid ex vtraque parte periret, vni periret. Quamquam autẽ meſſes ſe ſuas, vt dicitur, vrere intelligebat: tamẽ, quoniam integritas religionis aliter conſeruari non poterat, omnia ſibi perferenda eſſe ſtatuebat. Reginæ autẽ in illis tumultibus quod ſtudium, quæ ſolicitudo, quæ concurſationes fuerunt? quid non

Reginæ matris eximia in ſedandis ſeditionib. opera.

illa

illa tentauit, quid nõ molita eſt, vt omnia quàm minimo damno componerentur: & vt cõſeruaretur catholica religio, quod ſemper ei præcipuum fuit, & quàm minimum ſanguinis funderetur in quo fecit rem gentis ſuæ nomini mirificè cõgruentem. Medicata enim eſt conſilio ac prudentia ſua communibus totius Galliæ malis: & eam ſe difficilimis temporibus præſtitit, vt non iam verius mater regis, quàm mater regni nominari meritiſſimò poſſit. Eius enim præcipuè, & aliorum regni ſui procerum, conſiliis, & virtute fortiſſimorum Imperatorum ac militum ſuorum, quorum alij occubuerunt, alij adhuc ſuperſtites ſũt, Carolus Rex Galliam ex atrociſſima tempeſtate ſeruauit & in eum in quo nũc eſt ſtatum redegit. Quòd ſi nondum omnia, quò vellemus planè perducta ſunt: cogitáre debemus, bene agi cum iis, qui tam grauiter ægrotárunt, cùm etiam ſi nõdum recuperârunt priſtinam firmitatem, ſalus tamen eorum in tuto eſt. Etiã prudentes medici ſolent ex malè affectis corporibus vitioſos humores paulatim educere: ne, ſi ſemel vniuerſos.

Curatione morborũ nõ nimis vrgẽdam.

ſos exhaurire voluerit, quos ſanare conantur occidant. Nō eſt verendum, ne faciliora non perficiat is, qui iam difficiliora perficit. Iſdem tandē erit exitus horum tumultuū, qui fuit eorū, quos olim Albigenſes D. Cludouici temporib. cōcitarunt. Duodecim annos natus erat D. Clodouicus, cùm ad regnū vocatus eſt. Carolum aliquantò etiam minorem natu, fratris mors in regio ſolio collocauit. Tū Blanca Regis mater, & filium ſanctiſſimè educabat, & propter teneram illius ætatē, ipſa Galliam adminiſtrabat. Horum munerum vtroque ita Catherina perfuncta eſt, vt omnes nihil perfectius fieri potuiſſe fateantur. Tum Albigēſes, pueritia Regis occaſionem ſuam rati, omnia in Gallia permiſcere tētârunt, Albigēſibus multò tetriores noſtrorum temporum hęretici, eadem ſpe deluſi, Regem regno, regnum religione ſpoliare ſtuduerūnt: illi cùm ſæpe victi, neq; quieſcere, neq; ad ſanitatem redire vellent, extincti tandem deletique ſunt. Non alia hos quoque fortuna, niſi reſipiſcant, cōſequetur. Ad errores Albigēſium confutandos, & ad multorum animos eis liberan

Comparatio Caroli noni cum Diuo Cludouico.

Albigenſes hæretici.

berandos, D. Dominici conciones & vitæ ſanctitas incredibiliter profuerũt. Non minus te Beatiſſime pater, qui & in D. Dominici familia educatus es, & illum moribus refers, & ſingulari in nos Dei beneficio ſummam in terris auctoritatem obtines, Carolus Rex ad hos exitioſos errores tollendos profuturũ eſſe confidit. Nouit enim eximiam integritatem vitæ tuæ: nouit perpetuum purgandæ eccleſiæ ſtudium: nouit labores in extirpandis hæreſibus ab ineunte ætate ſuſceptos: nouit animum nihil niſi de Deo & de vtilitate publica cogitãtem. Neque noſtris ignota ſunt, quæ tu ad mores hominum corrigendos, & ad auferendam improbis omnẽ maledicendi occaſionem, & iam feciſti, & quotidie facis. Refrænatas libidines, repreſſam & cohibitam luxuriam, expulſa nequitiæ inſtrumenta, ſublatã penitus omnem eccleſiaſticarum rerũ nundinationem, compoſitos, & iuſſu, & exemplo tuo, aliorum mores, mutatam in melius vrbis faciem, nos vidimus, illi audierunt. His omnibus ex rebus Carolus Rex increbile gaudium capit: & vt quod facis quàm diutiſſimè

D. Dominicus.

facere poſſis, à Deo optimo maximo votis omnibus petit. Quem animum ſuum vt tibi patefaceret, legauit huc clariſſimum & nobiliſſimum virum Iuſtum Turnonium, comitem Ruſſilionis magni illius Franciſci Cardinalis Turnonij, cuius memoriam & tibi Beatiſſime pater, & vobis omnibus Patres ampliſſimi, gratam eſſe ac iucundam ſcio, fratris nepotem, hominem, vt omnia vno verbo complectar, ſuo genere digniſſimum: cuius egregiam virtutem & ſępe alias, & proximè in illo memorabili aduerſus hæreticos prælio ſpectatam. Rex ipſe amplis & honorificis præmijs proſecutus eſt, cooptato eo in equites ordinis ſui, & quinquaginta cataphractis equitibus præeſſe iuſſo. Per eum Carolus Rex, Batiſſime pater, ſibi, & toti eccleſiæ de tuo Pontificatu gratulatur: te verum IESV CHRISTI vicarium, verum Petri ſucceſſorem, nō dubitanter agnoſcit: tibi, & huic ſanctæ ſedi verè, atque ex animo quam debet obedientiam præſtat ac defert: & vt certò ſperat, ſe, in omnibus quæ à te præſtari poterunt, à te adiutum, atque ornatum iri: ita ſe omnes vires ſuas ad eccle

Iuſtus Turnonius Caroli noni ad Pontificem legatus.

eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ defenſionem ſemper promptiſſimo animo collaturum, neque hac in re cuiquam mortalium conceſſurum pollicetur.

DIXI.

ORTIO DECIMASEPTIMA HABITA ROMAE XIX KAL. FEBR. ANNO M. D. LXVII.

QVantopere gauiſus ſit vniuerſus orbis Chriſtianus, poſteaquam auditum eſt ſummum honorem, iam pridem ſummis virtutibus tuis debitum, tandem aliquando tibi diuinitus delatum eſſe, PIE quinte Pontifex maxime, vel ex hoc intelligi poteſt, quod concepti ex ea re gaudij vis nō vicinarum ſe regionum, ac prouinciarum finibus continuit, ſed ſolis inſtar, omnia, ſimul vt exortus eſt, ſua luce complentis, ad remotiſſimas gentes, & poſita in ipſis Chriſtianæ ditionis finibus regna admirabili celeritate penetrauit.

Lætitia ingens qua excepta eſt Pij 5. electio.

Neque verò ei contigit, quod ventis ſolet, qui cùm, vnde oriuntur, ibi vehementiſſimi ſint, ad longinqua fracti ferè, debilitatíque perueniunt: ſed quod ingentibus, váſtiſque fluminibus: quæ cùm ab ortu ipſo magna ſint perpetuò tamen aucta, & tumefacta progreſſu, eò maiores vndas voluunt, eò amplioribus, ac capacioribus feruntur alueis, quò à fontib. ac capitib. ſuis longius receſſerunt. Vt cum alijs permultis nominibus beatiſſimum te omnium mortaliũ prædicare liceat, tum hoc non minimum ſit, quòd ex honore tibi habito, & ad illos, qui eum tibi decreuerũt, immortalis gloria, & ad omnes bonos, qui eum tibi delatum audierunt, incredibilis lætitia redundari. Ac cæteri quidẽ viciniores principes, ac populi quanta omnes animorũ alacritate recentem Pontificatus tui nunciũ acceperint, ex legatis, quos ad te, gratulandi cauſa, ſuo quiſque tempore miſerunt, cognoſcere potuiſti: hodierno autem die intelliges, etiam in illis regionibus, quib. Chriſtianorum imperium terminatur, quanto gaudio pij omnes exultauerint, quas inter ſe gratulationes fecerint, quanto

Venti cur ſu franguntur.

Flumina augentur progreſſu.

conſen

cõſenſu meliora,& proſperiora omnia ſperare cœperint,cùm, quo iam pridẽ ſãctitatis tuæ fama peruenerat,eodem te in iſtam celſiſſimam dignitatis, atq; honoris ſedem aſcendiſſe perlatum eſt. Potentiſsimus enim, idémq; religioſiſſimus Princeps Sigiſmũdus Auguſtus Rex Poloniæ,quã iucundus,& exoptatus ſibi ſuíſque populis eius rei nũcius acciderit teſtari cupiẽs, ea de cauſa legauit huc illuſtrem virum Petrum Barzium Senatorẽ regni, ex quo hæc omnia non minus certò cognoſceres,quã ſi Regis ipſius non os modò intueri,& ſermonem audire, verumetiã penitus perſpicere intimos ſenſus animi poſſes. Is cũ mihi mandauerit, vt hodie apud te,in hoc dignitatis maieſtatíſque pleniſſimo cœtu, & de regni antiquitate, atq; amplitudine,& de reb.,quas,multis abhinc ſeculis, Polonorũ Reges ad Chriſtiani imperij fines tum tuendos, tum propagandos, ſine vlla propemodum intermiſſione geſſerunt, & de ipſius Sigiſmundi Auguſti Regis pietate,animi magnitudine,fortitudine ac conſtãtia,déque quotidianis pro Chriſtiana republica laboribus ac periculis

Sigiſmũdus Auguſt⁹ Rex Poloniæ.

Petrus Barzius Regis Poloniæ Orator.

dicerem: quæſo obteſtórque te Beatiſſime pater, tribue mihi hoc beneficium vt, dum hæc ſummatim perſequor, orationis meæ curſus aura lenitatis ac facilitatis tuæ adiuuetur. Maximas res, memoratúque ac cognitu digniſſimas afferam; & quanquam notas atque illuſtres, tũ ſuopte ſplendore, ac magnitudine, tum propter regiæ fortunæ ſublimitatem, quæ magnorum & potentum Regum actiones obſcuras eſſe nõ patitur: tamen eò minus peruulgatas, quòd Polonorum gens ſemper in præclaris rebus gerendis, quàm in iis quæ geſſiſſet memoriæ prodendis, occupatior fuit: ſempérque maiorum ſuorum virtutem imitari, quàm celebrare, glorioſius duxit. Atque vt, vnde propoſui, exordiar, & Poloniæ Rex quàm longè latéque dominetur, expediam: tota illa Germaniæ pars orienti ſoli propior, quæ eſt inter fluuios Guttalum, quem hodie Odram vocant, & Viſtulam, qui antiquis temporibus Germanamiam à Sarmatia diuidebat, & Sarmatiæ quantum eſt à Viſtula ad Boryſthenem, & à ponto Euxino vſque ad ſinum Veneticũ, inter quos plus mille

Hiſtoricorum penuria apud Polonos.

Quãtum Poloniæ pateat dominium

Itali

Italica paſſuum milia intericcta ſunt, illius imperio continetur. Regio propè tota æqua,& plana, multis magniſqúe fluminib. & ad fertilitatem & ad mercaturas commodiſſimis plena, rebus ad vitã neceſſarijs vſque ad abundantiã diues. Habitatorum autem ea multitudò,vt,cùm equitatus regius ex ſolis nobilib.conſtet, centũ quadraginta equitũ millia armare,& in aciem ſecũ, ſi res ferat,educere Rex Poloniæ poſſit. Homines natura fortes,&animoſi,quíque non facile aut voluptatibus molliantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam, immortalitatis inſtar:vitã per dedecus retentam, quauis morte peiorẽ putant. Ignominiam vt fugiant,nihil non fecerint: vt mortẽ, nihil. Hæc hominum,hæc locorum ingenia. Cinguntur autem omni propemodum ex parte ferociſſimis gentibus & partim ab eccleſiæ cõmunione diſſociatis ac diremptis, partim apertis & capitalibus Chriſtiani nominis hoſtibus,vt in illo confinio,tanquam in cõmuni quadã arce ac ꝓpugnaculo,fortiſſimi viri ad ſuſtinẽdã ac propulſandã barbarorũ immanitatem,&ad agendas

Polonia vbertas & potentia.

Polonorum magnanimitas.

perpetuas pro Chriſtianis omnibus excubias diuino conſilio cõſtituti ac collocati eſſe videantur: quo eſſent cæteri Polonorum virtute tecti, Polonorum laboribus quieti, Polonorum periculis tuti. Neque mihi videor quidquam à ſuſcepto munere facturus alienum, ſi breuiter expoſuero, quemadmodum illos Deus, ante ſexcentos abhinc annos, diſcuſſis errorum, quibus inuoluti erant, tenebris, ad euangelij lucem perduxerit. Quod dum facere ingredior, adeſte quæſo animis, quicunque corporibus adeſtis, & in re maximi momenti diuinæ bonitatis ac ſapiẽtiæ magnitudinem conſiderate. Omnes ferè magnæ & memorabiles in rebus humanis mutationes aliquantò antea aut vno, aut pluribus illuſtribus, ac notabilibus ſignis diuinitus portendi ac præſignificari ſolent. Cùm igitur tempus illud appropinquaret, quo ſe Deus Polonis patefacere, eóſque impia ſuperſtitione purgatos cæleſti doctrina imbuere ſtatuerat: aduentantis iam, & inſtantis ſalutaris illius mutationis, hanc quam mox audietis, ſignificationẽ dedit. Imperabat Polonis Ziemomislus

Vt Poloni ad euangelij lucem peruenerunt.

Leſc

Leſci filius, Princeps (quatenus hæc cō-uenire in hominem non Chriſtianum queunt) & iuſtitiæ, & clementiæ, & beneficentiæ, & aliarum virtutum laude cumulatus: & in quo nihil præter Chriſti cognitionem deſiderares. Huic cùm multos annos ſine liberis eſſet, grauitérque ea re angeretur, tandem natus eſt filius, ſed oculis captus: ita vt non facilè dijudicari poſſet maiorem ne dolorem percepiſſet ex orbitate, an perciperet ex vnici filij cæcitate. Omnia remedia, omnes medicorū conatus, mali pertinacia, eluſit. Iam ad ſeptimum annum peruenerat puer, eíque patrio quodam ritu primam comam tonderi, noménq; imponi oportebat: cùm præter omnium ſpem ſubitò oculis vti cœpit. Incredibili lætitia perfuſus pater conuocatos ad ſe ariolos conſulit quid ex tam admirabili ſucceſſu filio ſuo, quid toti Poloniæ portenderetur. Reſpondent, eo imperante, Poloniam mirabiliter illuſtratum iri. Ex ea ſpe atque omine puero nomen inditū. Miecislao, quod gentis lingua ſignificabat eū qui ſibi gloriā gladio pariturus eſſet. Nullo enim alio modo illuſtrari poſſe Po-

Ziemomislus Pelōia Rex Leſci filius.

Miecislaus Poloniæ Rex vnde dictus.

loniam, quàm bello, & armis cogitabant. Iam adoleuerat Mieciſlaus: iam ad virilẽ ætatẽ peruenerat: iam mortuo patre rerum potiebatur: & cæteris quidem virtutibus patri non abſimilis, nihil cætero qui bello egregium aut memorabile gerebat: ita vt tota Polonia, & ſe credulitatis, & vanitatis vatum ſuorum reſponſa dãnaret. Sed maius quiddam quàm quòd illi ſuſpicati erant, parabat Deus. Mieciſlaus, ductis barbarico more ſeptem vxoribus, nullos tamen ex vlla earũ liberos procreare poterat. Interea fundente ſe, ac ſpargente quotidiè latius Chriſtiana religione, peruenerant & in Poloniam ſancti quidã viri: qui aut ſolitariæ vitæ, vt quietioris, & ad res diuinas ſine vllo impedimento contemplandas aptioris, ſtudio ducti, aut periculorum metu in abditis, & remotis ſyluarum receſſibus deliteſcentes, Chriſto, vt poterant, ſeruiebant. Horum quibuſdam in animũ immittit Deus, vt ad Principem adeant, eique polliceantur & liberos, & alia multò maiora, ſi, repudiato falſorum numinum cultu, Chriſtum verũ Deum agnoſcere, & traditam ab eo doctrinã ſuſci

Quo pacto Mieciſlaus ad fidem adductus.

ſuſcipere vellet. Ipſe quoque diuini ſpiritus repentino tactus afflatu, promptum ſe, ac facilem ſalutaribus illorum monitis præbuit. Neque longius res ducta eſt, quàm dum prima ac præcipua religionis noſtræ capita edoceretur. Quæ vt percepit, magna pompa, ac celebritate publicè baptizatus, breui tempore totam Poloniam ad Chriſtianam pietatem & exemplo ſuo incitauit, & cohortationibus, ac præmiis allexit: & minis ac ſuppliciis aduerſus pertinaces propoſitis perpulit. Tum demũ cognitum eſt, quòd Miecislaus totos ſeptem annos cæcus fuiſſet, ſignificatam eſſe hoc modo diuturnã Poloniæ gentis cæcitatem: quòd, omnib. humanis auxiliis fruſtra tentatis, tãdem diuino beneficio lucem aſpexiſſet, fore vt populi quoque cæcitas nulla humana ope ſanabilis diuinitus depelleretur: neque vna fuit ariolorũ prædictio. Eo enim rerum potiente, Polonia ſplẽdore diuini luminis illuſtrata eſt. Notum eſt autẽ, interdũ fieri, vt etiã ſuperſtitioſi & impij homines Deo permittẽte, vera vaticinẽtur: Neq; temerè inditũ nomẽ. Gladio enim ſibi & ſuis gloriã peperit,

Miecislaus baptizatur.

Impij aliquãdo vera vaticinantur.

nõ quidem ferreo, aut vlla ex alia materia confecto, ſed gladio illo vtrinque acuto, gladio ſpiritus, quod, vt ait Paulus, eſt verbum Dei. Vt autem ab ea eccleſia, quæ cæterarum omnium mater ac magiſtra eſt, Chriſtianè viuendi leges acciperent, & ex eo fonte haurirẽt, vnde nihil non purum & incorruptum hauriri poteſt, legatos miſerũt ad Ioãnem Pontificem eius nominis tertiũdecimum, per quos & eum, vt cõmunem totius eccleſiæ paſtorem venerarentur, & ab eo ſibi peterent Epiſcopos mitti, à quibus regi, & quæ ſibi credẽda, quæque facienda eſſent, cognoſcere accuratius poſſent. Miſit ille Italorum hominũ ſpectatæ probitatis & eruditionis idoneum numerum: qui primi nouellas illas ac teneras nuper ĩ horto Chriſti depactas ac cõſitas plantas, copioſis ſanctorum præceptorum imbribus irrigarunt. Huius Miecislai ſoror Aldeida, cum Geiſæ Vngarorum Principi nupta eſſet, cohortationibus ſuis perfecit, vt ipſe quoque cum tota Vngaria Chriſti ſacramento adigeretur. Neq; verò eius filius Boleſlaus primus Poloniæ Rex, aut maioribus ſuis laude

Ad Ephe ſios ſexto.

Hungarorum ad Chriſtum conuerſio.

de bellica, aut pari propagandæ religionis ſtudio ceſſit. Qui ſuſcepto aduerſus Saxones bello,&ea,quæ illi dudum Polonis ademerant, recuperauit, & cùm vniuerſam illã orã ad Albim & Salam fluuios,& Cherſonneſum Cimbricam,quæ hodie Dania vocatur, ſub imperium ſuum ſubiunxiſſet,vt oſtenderet,eam ſe victoriã Chriſto quæſijſſe non ſibi,nihil in victos acerbè,aut crudeliter ſtatuit:ſed cùm eos ad accipiendam Chriſti doctrinam compuliſſet,fixis memoriæ cauſa in Salæ ripa tribus ferreis columnis, in Poloniam ſe recepit.Nũquid igitur, ea laude contentus, otio ſe poſtea tradidit?Immo verò declarauit nunquam deſidẽ atque ignauam eſſe virtutem:nullas ei eſſe à præclaris actionibus ferias: fortes & conſtantes viros honeſtorum laborum ac munerum perfunctione, non ad quietẽ inuitari,ſed ad alia ex alijs aſſiduè ſuſcipienda incitari. Nam cùm Pruſſi aliquot ante annos diuum Adalbertũ in terfeciſſent:eiuſque corpus quidem ipſe æquo auri pondere à barbaris redemiſſet,mirum hoc quoque pietatis argumentum: ſed in tanta temporis anguſtia

Boleſlaus Saxonum victor.

Virtus nunquam ignaua.

Adalbertus: vir ſanctißimus à Prußis interfectus.

guſtia multa neceſſariò prætermittenda ſunt) cædis autem vltionem in aliud tempus diſtuliſſet: tūc demum ratus adueniſſe tempus illud, cùm & punienda eorum audacia, & armis frangenda pertinacia eſſet: bellum eis intulit, neque magno negotio victor non aliam eis pœnam impoſuit, quàm vt errorib. ſuis depoſitis Chriſto initiarentur. Hic mihi Beatiſſime pater, venit in mentem quod olim à quodam Græco Imperatore dictum eſt; qui à ſuis in exilium pulſus, cùm apud hoſtes, ad quos cōfugerat, multò lautius ac magnificentius haberetur quàm apud ſuos, Perieramus inquit, niſi periiſſemus. Ita enim & qui ab illo principe vincebantur dicere poterant, ſe, niſi ab eo victi eſſent, perituros fuiſſe. Quid ego iam, vt Pomerani à Boleslao tertio, Pruſſi à Beleslao quarto ad Chriſtum, à quo defecerāt, reuocati ſint, perſequar? Rerum me copia Beatiſſime pater, inopem conſilij reddit. Quòd ſi in me vlla dicendi vis ac facultas eſſet, optarem equidem aliquam mihi non tam vberem ac copioſam ad dicendum materiam dari: vt in ſingulis eius partib. accuratè percenſendis, co-

Pruſſia ad Chriſti fidem adductà.

Temiſtocle apud Perſarum Regem exulante.

Pomerani

pioſè

pioſè exornãdis, artificioſè exaggerãdis iactare atque oſtentare me poſſem. Nunc enim, vt pictor, cui in exigua tabella ingens aliqua multitudo hominũ exprimenda eſt, nonnullorũ vultus tãtùm atque ora, multorum ſumma modò capita oſtendit, totum reliquũ corpus abſcõdit: ita me, cui innumerabilia Polonorum Regum ac populorũ æternis digniſſima laudibus facta, in anguſtũ vnius breuiſſimæ orationis curriculũ concludenda ſunt, multa quæ ſi pandi explicariq; poſſent quaſiq; ſpectanda proponi, incredibilẽ admirationẽ excitarent ſui, deliberare modò, & attingereq;, multa etiam ſignificare potius, quàm oſtendere, neceſſe eſt. Ideoque ne de bello quidẽ quod Boleſlaus Quintus cognomento Pudicus aduerſus Iazigas, qui hodie partim Valachi, partim Vngari ſuos, geſſit, copioſius dicã: tantùm quaſi præteriens admonebo, eũ, cùm gentem illã ferociſſimã deuiciſſet, illos oẽs, quorũ virtuti, vt ait vetꝰ poeta, fortuna belli pepercerat, quaſi opima q̃dã ſpolia Chriſto cõſecraſſe neq; aliud eis quã vt Chriſtiani fierent, imperaſſe. Ad Iagellonem Sigismundi proauum

Vbertatẽ materiæ eleganti ſimilitudine declarat.

Iazyges qui nunc hodie.

Iagello Polonia Rex. proauum feſtinat animus, cuius admirabili inuſitatæque virtuti vtinam par à me adferri poſſet oratiōis genus. Sed ita prorſus exiſtimo: oēs qui vbique ſunt eloquentiſſimos homines, ſi communi ſtudio ad eum celebrādū, quidquid habent in dicendo virium, conſerant, omnia tamen illius dignitate inferiora dicturos. Id ita ſe habere, eos qui me attentè audire non grauabuntur, facilè cognituros eſſe confido. Lituania Beatiſſime pater, ampliſſima, & fortium virorum feraciſſima regio cæ- *Lituania.* teris finitimis populis ad religionem Chriſtianam adductis, in veteri ſuperſtitione perſtabat. Colebant autem eius prouinciæ homines ignem pro deo, ei aras, ei templa ponebant, eum ſūma diligētia in celeberrimis quibúſq; op- *Lituanorū Deus ignis.* pidis perpetuum aſſeruabant. Fulmini quoque diuinitatem quendam ineſſe credebāt, ídque ſua lingua deum Per- *Fulmen Lituanis Percunus. Deus.* cunum nominabāt. Sed & lucos & ſelectas quaſdā in ſyluis eximiæ proceritatis arbores venerabātur vt deos. Viperis quoque & aliis ſerpentibus eundem tribuebāt honorem. Qui quid horum violaſſet, inexpiabile ab eo ſcelus

conceptum putabant. Cum hoc per ſe mirabile erat, talem tantámque prouinciam tanto tempore in tanta errorum fœditate verſari, tum illud accedebat incommodi, quòd gens bellicoſa, & ferox finitimos ſibi Chriſtianos quotidianis incurſionibus laceſſens nunquam quieſcere patiebatur. Ei genti annos abhinc amplius ducẽtos viginti imperabat Iagello, idémque præterea & Samogitiam, & magnam Ruſſiæ partem obtinebat, fortis & ſtrenuus Princeps, & quanquam religionis noſtræ myſteriis nondum initiatus, tamen, vt qui Chriſtiana matre genitus eſſet animo ab ea non prorſus alieno. Cùm igitur per id tempus mortuo Ludouico Vngariæ & poloniæ Rege, regni proceres de Heduigi eius filia, ad quam regnum delatũ erat, in matrimonium collocanda deliberarent, ecce ab Iagellone legati, qui renuntiarẽt, eum cum omnibus ſuis velle Chriſtianum fieri, petere vt ſibi Heduigis vxor daretur: hoc ſi fieret, paratum eſſe omnes ditionis ſuæ prouincias cũ Poloniæ regno ea lege coniungere, vt nunquam diuellerentur. Quàm lubentibus

Heduigis Polonae Regina.

animis Poloniæ proceres eam legationem audierint, nihil opus eſt dicere. Suſtulerunt manus ad cælum,& gratias egerunt omnium bonorum auctori Deo, qui tandem illorum populorũ miſertus,eam mentem immiſiſſet Iagelloni. Ipſa tamen Heduigis, in qua eximiam formæ pulchritudinẽ ſingularis modeſtia æquabat,nihil de matrimonio ſuo ſine matris auctoritate ſtatuere voluit:totámque rẽ ad illius voluntatem reiecit. Miſſi ad eam Oratores in Vngariam. quo ſe mortuo viro contulerat,quibus illa reſpõſum dedit pietatis & prudentiæ plenum. Longè à ſe abeſſe eam mentem, vt quidquam impedire vellet, quod & ad amplificãdum regnum Poloniæ, & ad religionem latius ſpargendam pertineret. Cogitarent Poloni, & in commune conſulerent,téque maturé deliberata id facerent,quod & Deo acceptiſſimum, & regno vtiliſſimum putarent fore. De procerum igitur ſententia, conſtituto ad nuptias celebrandas die,Cracouiam magno ſeptus comitatu venit Iagello: & quia fortaſſis à matre puer acceperat, ſactos illos Reges,quorum memoriam

Heduigis in Matrẽ pietas.

riam nuper eccleſia recolebat,ad adorandum Chriſtum recens natum non ſine muneribus veniſſe, ne ipſe quidẽ immunis ad Chriſtum venire uoluit, eíque pro numere non thus, non aurũ nõ myrrham,ſed fratres ſuos :quos ſecum baptizari voluit,ſed Lituaniam, ſed Samogitiam,ſed Ruſſiam,ſed omnes vno verbo quos in poteſtate habebat populos obtulit. Quàm iucũdum illud non hominibus modò, ſed angelis ipſis fuiſſe ſpectaculum credimus, cùm vir fortiſſimus ad ſacros fontes incredibili alacritate properaret cũ que ſe in vas ad eam rem præparatũ cupidiſſimè immergeret,cùm magna & clara voce Deum & homines teſtaretur, vt in ſe aqua illa ſpargeretur, ita ſe pro Chriſto ſanguinem ſuum vbi res ferret ſparſurum eſſe.Baptizatus igitur& nouo nomine:Vuladiſlaus Iagello dictus poſtridie idus Februarias,eodem die Reginam in matrimonium duxit, neque multò pòſt conſecratus & inunctus,ac coronatus Rex Poloniæ, totũ eum annum in pacãdo regno conſumpſit.Eo autem anno, qui proximè ſecutus eſt,cùm ei nihil lõgius videretur

Iagellonis pietas.

quàm dum populos ſuos in Chriſtianorum numerum aggregatos videret, comitatus vxore & multis principibus viris, multis itē epiſcopis ac ſacerdotibus in Lituaniam profectus, quā multis, quàm certis, quàm inuſitatis documentis pietatis ſuæ magnitudinem teſtatus eſt? Nam cùm populum ægrè ab inueterata ſuperſtitione auelli videret, ipſe omnibus inſpectantib., manu ſua illis quas aliquādo coluerat arboribus magna vi ſecures impingens, eáſq; ab radicibus deturbans, tum ingentem vim aquæ profundens in illos tamdiu adoratos ignes, Non eſt, clamabat, non eſt Deus quod excindi ac deiici, non quod extingui poteſt. O mirificos deos, quorum alter alteri pro pabulo eſt, alter alterum abſumit. In venenatis autem & mortiferis animalibusque poteſt eſſe diuinitatis ſimilitudo? Agnoſcite, agnoſcite miſeri errorem veſtrum, & reſipiſcite, & tandem aliquando mentis oculos ad Deum, omnium rerum effectorem conuertite: ne, dum æternum (vt falſo putatis) ignem colitis, in alium ignem veré æternum incidatis. Simul hæc, ſimul eis religionis

Iagello manu propria Lituanorū idola deſecit.

nis

nis noſtræ principia, vt poterat, ediſſe rebat: vt eodem tempore & vetus ille ignis pro deo habitus extingueretur, & nouus ignis diuini amoris in eorũ pectoribus accenderetur. Cùmque neque ſacerdotes quos ſecum adduxerat Lituanicam linguam, neque Lituani vllam aliam intelligerent, ipſemet eos ſummã fidei noſtræ ab Apoſtolis traditam, quam ſymbolum vocamus, ipſe formulam precandi à Chriſto Ieſu inſtitutam, ipſe cætera quæ diſcere ſolẽt ij, quos catechumenos vocamus, in Lituanicum ſermonem cõuertens, neque vllum in ea re laborem ſubterfugiens, edocebat. O Regem rari, & ſingularis exempli. O ardorem animi cõmemorabilem. O pietatẽ omnibus ſeculis prædicandam. Ita igitur inflammauit Lituanorum animos, vt ad danda Chriſto nomina, & ad ſacroſanctam illam aquæ aſperſionem ſimul omnes facto agmine concurrerent, ſeque longiorẽ moram pati non poſſe clamarẽt. Ideòq; ſolis nobilibus ſingulatim baptizatis, cætera multitudo idẽ ſacramẽtũ cateruatim diſtributa ſuſcepit. Quid ego nunc extructarum ab eo ſacrarum

Iagello apud Lituanos ſuos catechiſtæ fungitur munere.

Ornamen-ta quibus Iagello ec-clesiam or-nauit. ædium multitudinem, qui diuitiarum ecclesiaſtici ordinis hominibus attributarum magnitudinem exponam? Quid ſuſceptos in Samogitia ad Chriſtum traducenda labores, & obita eadem illa munera, quæ in Lituania obierat? Illud verò minime prætereundum eſt, quod ne regnādi quidē ſuauitas, maxima illecebra peccandi, quæ ſæpenumero multos aduerſus alia omnia ſatis firmos abſtulit, vllam vim habuit, ad Vuladiſlai fidem ac conſtantiā labefactandam. Nam cùm Bohemi, quorum animis paulò antè Ioannes Hus, & Hieronimus Pragenſis peſtiferum opinionum ſuarum virus afflauerant, mortuo Vencillao Rege ſuo, legatos ad eam miſiſſent, per quos ei regnū deferebēt, multiſque precibus obſecrabāt, vt id aut ipſe, aut Vitoudus frater ipſius patruelis ſuſciperet, maximo vterque animo eorum preces repudiauit, addita illa nobili, & nunquam ſatis celebrata voce: Religionem ſibi eſſe hæreticis imperare. Non patitur temporis breuitas, vt aut plura de hoc dicam, aut de eis filio Vuladiſlao tertio Poloniæ Vngariæ Rege, qui, vt *Vuladiſ-laus re-gnum Bo-hemiæ re-cuſat.*

Pontifi-

Pontificis maximi auctoritati pareret, cum Turcis ;quos diu vexauerat,multisque prœlijs fuderat,fregerat,afflixerat, redintegrato aduerſus pactas cum eis inducias bello,tum quoque magna eorum edita ſtrage , in ipſa tandem acie fortiſſimè dimicans interfectus eſt. Eademque me cauſa cogit,tum alios aliquot Reges ſilentio inuoluere , tum in Sigismundo primo Sigismundi Auguſti patre laudando eſſe breuiorem. Cuius pietatem quidem ac religionem magnificentiſſima templa partim inſtaurata,& refecta,partim diruta , partim etiam à fundamentis excitata , & perpetuũ prohibendarum à regno ſuo nouarum opinionum ſtudium : bellicam verò fortitudinem tam multæ tamque memorabiles de Moſchis , Valachis,de Tartaris,de Turcis victoriæ,& vt cætera taceam,octoginta Tartatorũ milia vno ad Boryſthenem prælio profligata teſtantur. Qui cùm octoginta duos vixiſſet annos,charus ſuis, metuendus hoſtibus,vtriſq; venerandus,ſatur vitæ,ſatur gloriæ , moriens . Sigiſmundum Auguſtum non regni magis quàm virtutum ſuarũ hæredẽ reliquit.

Vuladiſlaus Rex Poloniæ & Vngariæ à Turcis cæſus

Sigiſmundi primi virtus.

Proſopopeia Regis Poloniæ Pontificem ſalutantis.

Hic ſi præſes adeſſet, Beatiſſime pater, ſanctiſſimos pedes tuos deoſculatus, hac ad te oratiõe vteretur. Magno gaudio affectus ſum, pater ſanctiſſime, cũ te ad eccleſiæ gubernabula admotum, & in iſto celſiſſimo inter mortales ſolio collocatum eſſe cognoui. Qualem enim iandudum certa & conſtanti fama eſſe te acceperam, tali gubernatore nauim eccleſiæ in his turbulentiſſimis tempeſtatibus egere intelligebam. Quẽ in locum Chriſtiana reſp. deducta ſit, etſi dubitandum nõ eſt, quin tu ex iſta edita ac præcelſa ſpecula optimè videas, nos tamen qui ab hoſtibus vndíque circũceſſi ſumus, certè propius intuemur. Et ab hoſte immaniſſimo ac potentiſſimo inuadimur, & domeſticis ſeditionibus laboramus. Neque vlla res maiores ei animos facit, quãquòd intelligit, grauiori, & implacabiliori odio Chriſtianos à Chriſtianis, quàm Chriſtianos à Turcis diſſidere. Ita qui coniuncti ac conſpirantes terrori eſſemus, diuiſi ac diſſentientes ludibrio & deſpectui ſumus. Iámque mali vis, inuitiſſimis, & nequidquam retinentibus nobis, non obſcurè per partes vſq; adhuc

Chriſtianorũ diſſidia Turcis animũ addunt.

huc integras ſerpit. Et alia hoc regna nuper magno bonorum omnium mœrore ſenſerunt:& nos, quāquam omnia prohibendi cauſa facimus, peruincere tamen non poſſumus, vt nihil populis noſtris vicinitate ac cōtagione noceatur. En nunquam ne his tot, tam grauibus, tam diuturnis calamitatibus remediū aliquod reperietur? At tu Beatiſſime pater, cuius & apud Deum preces propter ſanctitatem, & apud homines iuſſa propter auctoritatem, plurimùm valent, per illam qua genus humanum complecteris charitatem, per illam curam quam Chriſtianis omnibus & debes & præſtas, per illum ipſū, cuius in terris vice fungeris, Ieſum Chriſtum, ſuccurre ac ſubueni communib. malis, & omnes cogitationes, omnia conſilia, omnem auctoritatem ac potentiam tuam cōfer ad Chriſtianos populos & purgādos ab erroribus, & firma ac ſtabili concordia inter ſe deuinciendos. Quod igitur Rex ipſe per ſe facere ꝓpter locorum diſtantiam, non poteſt, id per hunc clariſſimum virum Oratorem ad te ſuum facit: per eum tibi gratulatur: per eum ad te omnes vires ac-

Conclusio per deprecationem.

copias ſuas defert: per eum tibi & huic ſanctæ ſedi obedientiam præſtat: quámque laudem à maioribus ſuis hæreditariam accepit excubandi aſſiduè pro Chriſtianis, & quicumque hoſtes Chriſti atque eccleſiæ fuerint, eóſdem ſemper habendi pro ſuis, eam ſe diligentiſſimè, vt ſemper fecit, conſeruaturum, neque vnquam ab eorum virtute degeneraturũ eſſe promittit. Tibi autem Beatiſſime pater, cùm omnia fauſta, & proſpera precatur, tum quò facilius ea quæ à te expectantur, perficere poſsis illud à Deo votis omnibus petit, vt publico eccleſiæ bono non minus diu Pontifex viuas, quàm te Pontificatu dignum vixiſſe, omnes, qui verè & incorruptè iudicant, confitentur.

DIXI.

ORATIO XVIII.

NOV. EST HABITA.

Alfonſus 2. Ferrariæ Dux Pio 5. gratulatur.

SI quis eſt qui ſcire cupiat, Beatiſsime pater, quanto gaudio perfuſus ſit Alphonſus II. Ferrariæ Dux, poſteaquam te in ſummum iſtũ & cœlo proximum dignitatis, atque amplitudinis

gradum communi patrum omniũ voluntate ac iudicio ſublatũ eſſe cognouitis, ſi orationem meam cogitatione ſua ſubſequi, quaſq; ille gaudendi cauſas habuit, earum vnaquæque quantum ponderis ac momenti habeat, diligẽter expendere voluerit, ſimul & id quod cupit intelliget, & mihi, ſi fortè illius gaudij magnitudinem verbis exæquare non potuero, ignoſcendum potius quàm ſuccenſendum putabit. Nam cùm ea dicendo tractanda ſunt, quæ nullo verborum genere ſatis exprimi poſſunt, acris & intelligentis æſtimatoris eſt, non dicentis imbecillitatẽ accuſare, ſed eo ipſo potius argumento vti, id quod agitur ſingulare quiddam & eximium eſſe iudicet, quod ad id exprimendum nulla potuerit ſatis vehemens, atque illuſtris oratio reperiri. Alfonſus autem ſecundus vt inſignem quandam lætitiam perciperet ex eo, quod ſapientiæ tuæ ſumma totius eccleſiæ gubernatio delata eſſet, cùm ijſdem illis cauſis adductus eſt, quæ cæteros quoque pincipes Chriſtianos admirabili ob eam rem voluptate cumullarunt, tum alijs etiã quibuſdam ad ſe

Quæ ab Oratore præſtari nequeunt exigenda non ſunt.

propriè pertinentibus,quæ in communi omniũ gaudio gaudium ipſius maius, & inſignius reddunt. Ac primùm quidem gratiſſimum ei, atq; optatiſſimum accidit,illi potiſsimum ſummam rerum concreditam eſſe qui per omne anteactæ vitæ ſpatium talem ſe præſtitiſſet, vt tanquam perfectum & abſolutum antiquæ illius innocentiæ,& integritatis exemplum omnium prædicatione commendaretur. Quis enim per illum,cuius in locũ in terris obtines, rerum omnium præpotentẽ Deũ, multos iam annos ad iſtam ſanctiſſimam ſedem prouectus eſt, te vno iis omnibus virtutibus, quas bonum, & omni ex parte abſolutum principem habere decet,ornatior? Qui cùm intelligeres, animum humanũ duabus pręcipuè rebus perfici,& ad illud, ex quo ductus eſt,diuinitatis exemplar proximè accedere, cognitione primùm, & intelligentia earum rerum quæ dignæ ſunt in quibus ſtudiũ collocetur, deinde procurandis hominum commodis, iiſque actionibus ſuſcipiendis, ex quibus quàm maximus fructus ad quàm plurimos perueniret: iam inde à princi-

Qualis Pius 5. fuerit ante Pontificatum.

Animus duabus præcipuè rebus perficitur.

pio

pio ita vitam inſtituiſti tuam, vt perpetuò ad eos quos dixi fines omnia retuliſſe, neque vnquam vllum temporis punctum mentis aciē ab eis deflexiſſe videaris. Itaque totum illud adoleſcentiæ tempus, cui & communi hominū conſuetudinē, & quadam propè ipſius naturæ tacita lege maior quædā licentia tribui ac permitti ſolet, à te, non in remiſſionibus animi, neque in eis voluptatibus, quibus ætas illa plerumquē etiam ſine reprehenſione capitur, poſitum, ſed in aſsidua præſtantiū doctrina virorum conſuetudine, diligentiſsimáque cùm omnium honeſtarum artium, tum earum præcipuè, quæ populorum rectoribus neceſſariæ ſunt, perueſtigatione conſumptum eſt. Neque verò te ab eo, quod tibi propoſueras, curriculo aut deterrere poſtea laboris aſperitas, aut auocare voluptatū blādimenta potuerunt. Qui ſemel ad ſolidam & immortalem gloriam recto itinere contendere penitus imbibiſſes, omnia tibi, dum eò quò inſtitueras, perueniret, contemnēda, & pro nihilo putanda eſſe duxiſti. Nimirū illam tu virtutis pulchritudinem, quam Plato, ſi cerne

Adoleſcētia ſtudio ſe acta.

Virtutis pulchritudo.

In Phædro. cerneretur, mirabiles ſui amores excitaturam eſſe dicebat, nō corporeis, ſub quos illa non cadit, ſed iis, qui, ſi nulla cupiditatum nubes oppoſita eſt, multò perſpicacius & acutius cernunt, animi oculis videras: eiúſque deſiderio incenſus, niſi adepta ea, vitā ipſam tibi acerbam, atque inſuauem fore ſtatuebas. Igitur cùm Patauij primùm, deinde Bononiæ, defixus in præſtantiſſimarum artium ſtudio, primam ætatis partem exegiſſes, iíſque adoleſcens egregiè nauatæ in ſtudiis operæ inſignibus atque ornamentis affectus eſſes, quæ amplíſſima in eis ciuitatibus tribui ſolēt: iudicaſti tibi iam eſſe ex domeſtico illo, & vmbratili vitæ genere, quod ad illud vſque tempus, flagrantiſſimam illam cognitionis & doctrinæ ſitim explere cupiens, neceſſariò colueras, in ſolem, quod dicitur, & in puluerem prodeundum: tempus eſſe, vt præclara ſemina, quæ diligenter ſubacto, ac præparato animo colueras, omni ratione foueras, alueras, auxeras efferrent tandem ipſa ſe, & fructus expectatione dignos hominum generi afferrent. Nec enim te fugiebat, omnem

cogni

cognitionem,quam nulla conſequeretur actio, mancam quodammodo & inchoatam eſſe:qui ſe ita ſtudiis abdidiſſent,vt nihil ex eis ad vtilitatem publicam protuliſſent,eos nunquam magnopere commendatos,ſæpe etiam reprehenſos ac vituperatos fuiſſe. Quapropter in patriam reuerſus,vt,quæ te prima vrbs naſcentem gremio, & ſinu ſuo exceperat,eadem quoque primos perciperet induſtriæ tuæ fructus, non tantùm magnas controuerſias, inter principes ciuitatis ortas,cum illi te cõmuni conſenſu iudicẽ ſumpſiſsẽt,ſapientiſſimè diremiſti,verumẽtiã ſedatis grauibus illis inter Franciſcũ Sfortiã Mediolani Ducem, & Ioannem Iacobum Medicem fratrem tuum diſcordiis,pacem, pacem inquam, qua nihil optabilius eſt,nihil ſalutarius, ciuibus tuis inſperantibus redddiſti. O fœlix,& auſpicatum principium. O præclarè poſitum rudimentum. Quid non bonorum ab eo ſperare poterant ciues, qui primum virtutis ſuæ ſpecimen pace, & priuatim, & publicè componenda dediſſet? Sed videlicet illa tanta virtus maiorem aliquem campum in quo

Actio cognitionẽ conſequi debet.

Diſcordiæ grauiſſimæ ſedatæ à nõdum Põtifice.

quo excurreret, maius theatrum in quo ſpectaretur, requirebat. Roma te, Roma vrbium princeps iam tunc ad ſe vocabat, & ſub cuius olim imperio beata futura erat eius præſentis virtutē tātò antè guſtare, ac cognoſcere cupiebat. Romam igitur veniſti, vbi virtutis tuæ tam multa, támque luculenta teſtimonia, & pace, & bello dediſti, vt Paulus III. P. M. quem & omnes confitentur, & res ipſa loquitur, cum in cæteris rebus rara quadam & exquiſita prudentia, tum miro in pernoſcendis hominum ingeniis acumine, & accerrimo in ponderandis cuiúſque meritis iudicio præditum fuiſſe, cùm in plurimis maximi momenti negotiis prudētiā fidē, magnitudinem animi tuā expertus eſſet, primùm quidē te Epidaurio archiepiſcopatu cohoneſtauerit, deinde verò abſentem reipublicæ cauſa in auguſtiſſimum & ſanctiſſimum Cardinalium Collegium adſciuerit.

Paulus 3. Pontifex Maxim⁹

Epidaurus vrbs Dalmatie. maritima hodie Ragusa dicta.

Hîc ego, ſi quod poetæ ſolent, idē nobis quoque facere liceret, Neſtoreum mihi aliquod, aut Vlixeum eloquentiæ flumen optarem: vt quēadmodū vnà cum honoris amplificatione, tua ſemper

per

per virtus accreuit, ita me quoque in explicatione laudum tuarum, quaſi per gradus attolleretur, & ſeipſa grandior, ac ſublimior fieret oratio. Vix enim fas videtur de raris inuſitatiſque rebus dicentem, vſitato, & quotidiano genere ſermonis vti. Sed in hac cõſcientia tenuitatis meæ vna me cogitatio ſubleuat, quòd apud eos me dicere intelligo, qui rerum à te diuinitus geſtarum non teſtes modo, ac ſpectatores, ſed exiſtimatores etiam & exornatores fuerunt. Nam quo die tot ampliſſimi & illuſtriſſimi Cardinales, non inconſulto aliquo & ſubito animorum impetu, ſed poſt accuratam in conclaui aliquot menſium deliberationem, ad deferendam tibi ſummam in eccleſia poteſtatem conſenſerunt, eodem die apertiſſimum iudicium de perſpecta ſibi & explorata tua omnis generis præſtanti & eximia virtute fecerunt. Quare non eſt mirandum, ſi, te tali Pontifice creato, Alfonſus II Ferrariæ Dux, qui ſtudiũ quoddam incredibile erga hanc ſacroſanctã ſedem à maiorib. ſuis quaſi hæreditarium accepit, tanto ea ex re gaudio affectus eſt, quantum neque mea, neque

Genus dicendi rebus actiõ mobari debet.

cuiuſquam oratione exprimi poteſt. Nam ad eas lætitiæ cauſas, quæ communes ipſi ſunt cum cæteris omnibus Christianis principibus, nõ parui quoque ponderis aliæ accedunt. Primùm quòd, eccleſiæ cliens cùm ſit, omnes opes, ac facultates ſuas huius ſacroſanctæ ſedis auctoritate nixas & fundatas eſſe non ignorat: vt etiam hoc nomine impendio magis omnibus, quæ ad eius dignitatem pertinent, affici debere videatur. Deinde, qui & patrem habuerit amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimum, & ipſe non paterni magis imperij quàm illius in te obſeruantiæ hæreditatẽ creuerit, ſciátque præterea è ſuis omnibus neminem eſſe cuiuſcumque ordinis, non eodem planè animo ſit ſempérque fuerit, quíque honori tuo ex animo, atque ex illa ſumma voluntate non fauerit, cui dubium eſt, quin is, facta ad gloriam tuã ea quæ maxima fieri potuit, acceſſione, incredibilem quandam ex eo hauſerit voluptatem? Poſtremò, qui ſeſe haud ita pridem cum illuſtriſſimo principe Coſmo Florentinorum & Senẽſium Ducẽ, gentili tuo, ducta in matrimonium illius filia, affinitate deuinxerit,

Ferrariæ Dux eccleſiæ cliens.

Dux Ferrariæ filiam Ducis Florẽtiæ dux t vxorem.

xerit,

xerit, cur non immortaliter gaudeat qua ex gente ipſe vxorem acceperit, ex eadem qui vniuerſam eccleſiam cum ſummo imperio regeret extitiſſe? Ille verò ſtatim accepto nuncio ſeſe in viã dediſſet, neque vllam moram interponendam putaſſet, quin pręſens tibi gratularetur, pedibúſque tuis ſuppliciter aduolutus in tua poteſtate eſſe ſe, ac ſemper fore oſtenderet, niſi prius perculſis & afflictis nec opinata patris ſui optimi ac pręſtantiſſimi Principis morte, ſuorum animis aliquid conſolationis adhibendum eſſe duxiſſet. Quam quidem excuſationem partim ineuitabili neceſſitate, partim naturali pietate ſubnixam, à te, Beatiſſime pater, æquo animo acceptum iri confidit: quodque multa antea, ſi licuiſſet, facturus erat, ad pedes tuos proſtratus, te patrem ac dominum agnoſcit, tibi ſe ſuáque omnia in fidem & clientelam tradit: & vt vnà cum ſententia verborum quoque formulã apud maiores hac in re vſitatã retineamus, DEBITAM TIBI OBEDIENTIAM PRAESTAT: ſéque ſemper non ad fortunas modò ſuas, verùm ad ſanguinẽ quoque & vitã

Formula antiqua ſe in Pontificiam Clientelam tradendi.

pro huius ſanctiſſimæ ſedis dignitate profundendam paratiſſimum fore, omni aſſeueratione confirmat.

DIXI.

ORATIO DECIMANONA HABITA ROMAE V. KAL. QVINTIL. ANNO M. D. LXVI.

IN communi omnium Chriſtianorũ principum gaudio, quo eos optatiſſima ſummi honoris ad te concordibus horum ampliſſimorũ patrum ſuffragijs delati fama cumulauit, PIE V. Pontifex Maxime, ſi præcipuam quandam ac prope ſingularem Alfonſi ſecundi Ferrariæ Ducis lætitiam extitiſſe dixero, vereor ne quis id magis ex veteri, & quodiana omnium conſuetudine, quàm quod ipſi præter cæteros gratum id ac iucundum acciderit, à me dictum arbitretur. Ita enim iam vſitatũ eſt, vt omnibus Pontificibus, omnium principũ nomine eadẽ illa dicantur, vt & eos qui audiunt veriſimile ſit ea modò ſibi videri audire, quæ cuilibet alij eundem

eundem adepto honorem dicerentur: & ij qui dicunt non tam ex ſuo ſenſu orationem depromere, quàm ex vetere aliquo libro ſollennem, & certis cōceptam verbis gratulandi ſūmis Pontificibus formulam recitare videantur. Neq; verò dubitari poteſt, quin æquiſſimum, atque honeſtiſſimum ſit, quemcumque hic ampliſſimus ordo ad eccleſiæ gubernacula admouerit, quando totum illud negotium nō humanis conſiliis, ſed diuini ſpiritus inſtinctu atque afflatu adminiſtrari certiſſimum eſt, eius vt cæteri quoque principes libentiſſimis animis imperiū accipiant, auctoritatem agnoſcant, leges obſeruent, ſe ſuáque omnia eius poteſtati tradant ac permittant: cum denique qui Deo maximè placuit, ſibi quoque gratiſſimum acceptiſſimúmq; eſſe profiteantur. Sed tamen & longè alia illa eſt animorū alacritas, cùm homines eum quicūque ſibi rector diuinitus datus eſt, libenter accipiunt: alia cùm, quem ſemper ipſi eo munere digniſſimum iudicarant, quémque ſemper toto pectore optauerant, eum diuino quoque iudicio probatum vident: &

Omnes principes Romano Pontifici obedientiam debere.

quanquam omnium publicè intereſt, qualis ſit Pontifex: non eſt tamen obſcurum eſſe quoſdam populos quoſdámque principes, quorum id priuatim multis de cauſis maximè interſit. Ex quibus vt vnum eſſe Alfonſum ſecũdũ Ferrariæ Ducem omnes homines intelligunt: neque vulgarem illam, aut mediocrem lætitiam fuiſſe, qua ipſe accepto Põtificatus tui nuncio perfuſus eſt, idque eo dico, non quòd ita dici ſoleat, ſed quòd veriſſimũ ſit: cõſtitui, ſi per te liceat, Beatiſſime pater, primùm quidẽ breuiter exponere, cur tibi potiſſimum boni omnes communibus votis iſtum honorem mandari & optauerint, & optare debuerint deinde verò quas primatim cauſas Alfonſus habuerit, propter quas eximiam quandam ex eo perceperit voluptatẽ. Sed quoniã prior orationis meæ pars explicari aliter non poteſt, quin de tuis laudibus nonnulla dicantur, idque cum aliqua tua moleſtia fieri neceſſe eſt: propterea quòd, vt quiſque laude digniſſimus eſt, ita minimè libenter laudes ſuas audire conſueuit, ſupplex à te etiam, atque etiam peto

Boni viri laudes ſuas grauatè audiũt.

hanc

hanc veniam, pater optime ac ſanctiſſime, vt quæ de virtutibus tuis toto orbe iampridem ſparſa ac diſſeminata ſunt, ea me ſtrictim ac modicè attingere, ac delibare patiaris. Vos autem patres ampliſſimi oro, atque obteſtor, vt ſi me ſublimia humiliter, ampla tenuiter, illuſtria inordinatè tractantē, & ex innumerabilibus, quæ ad dicendū ſuppetunt, plurima prætermittentem, pauca proponentē, veriùs quàm exponentem audietis: cogitetis cum animis veſtris, neque poſſe quemquam in tam vbere materia omnia perſequi, neq; ea quæ ſatis per ſe ſplendida, & magnifica ſunt, ornatu verborum indagare, & mihi eam in primis cautionem adhibendam fuiſſe, ne ſanctiſſimi eiuſdémque modeſtiſſimi Principis patríſque noſtri aures quanquam veriſſimis, & omnium ſermone celebratiſſimis, inuſitatis tamen, & longè multúmque ſupra exempla vulgaria poſitis laudibus ſuis oſtenderentur. Atque equidem Beatiſſime pater, vt mea tibi quantùm in me ſitum eſt minimè moleſta ſit oratio, abducam, & auocabo eam à perſona tua, & de te

Eloquentia tenuitatem excuſat.

reticens rē tantùm ipſam excutiendā conſiderandámque proponam. Si quis igitur reperiretur, qui ab ipſo ineuntis ætatis principio illud arduum ac cum labore ad virtutem directū iter ingreſſus hoc robore animi, atque hac indole continentiæ eſſet, vt omnia blandimēta voluptatum reſpuens, & aſpernans, nihil in vita expetendum, aut magnifaciendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniūnctum, ſéque iam tum à corpore quàm maximè abſtrahens diuinarum rerum cognitionem cura omni ſtudióque raperetur: quis non facilè auguraretur ex illa herbeſcentis adhuc, ſèque paulatim exerentis ingenij teneritate magnas aliquando virtutis ac ſapientiæ fruges exticuras? Quod ſi idem, cùm ſe paulum iam corroboraſſet, vt planè liber ab omnibus impedimentis iter ſibi deſtinatum expeditiùs cōficeret, ſecederet, ſegrēgarétque ſe è commercio vulgi, & ſolitariam vitam amplexus daret in eam ſodalitatē, quæ ex quo primùm inſtituta eſt perpetuum quoddā inexhauſtæ fœcunditatis ſeminariū hominum & doctrina, & virtute præſtantiū fuit,

Studioſi viri deſcriptio.

Laus ſodalitatis ſancti Dominici.

fuit,quis non in ea ſpe, quam iam antea concepiſſet,magis,ac magis confirmaretur? Iam verò, ſi multos annos in eodem ordine ita vixiſſet,vt non ęqualib.modò ſuis,aut minorib.natu, ſed ipſis ſeniorib. exemplum innocentiæ, & integritatis eſſet, nullam vnquam vllius turpitudinis aut flagitij ne tenuisſimam quidem ſuſpicionem dediſſet, neque in caſtigandis aliorum delictis remiſſus eſſet, & tamen alijs omnibus facilius ignoſceret, quàm ſibi pium ac iuſtum bellum indixiſſet cum omnib. vitijs,tum præcipuè prauis,& veræ, ac catholicæ religioni contrarijs opinionibus, multos mortales aut errore lapſos, aut ab alijs in fraudem inductos reuocaſſet in viam: obſtinatos,& pertinaces,ne eorum contagio bonis obeſſet,repreſſiſſet legum habenis,&omnes vires ſuas ad eos exterminandos contuliſſet,eiuſque rei cauſa nullam offenſionem,nullam ſimultatem, nullum odium, nullam denique capitis dimicationem ſibi vnquam defugiendam putaſſet: nemo,vt opinor,inueniretur,qui non tantùm illud virtutis & conſtantiæ lumen in excelſo aliquo,& illuſtri loco

collocandum arbitraretur. Ad hæc omnia ſi iudicium & auctoritas acris alicuius, ac ſeueri Pontificis accederet, qui nulla prorſus alia re quàm illa præſtanti virtute commotus eum virum, de quo loquimur, nihil tale ambientem ac ne cogitantẽ quidem, in ſacroſanctum Cardinalium collegium adſciceret, íſque ſe in illo dignitatis gradu conſtitutus eundem toto decẽnio præſtaret, quem in alijs vitæ partibus præſtitiſſet, quis non ei bonus pontificatum maximum ſpe & votis omnibus deſtinaret? quis non omnes Chriſtiani nominis & animi prouincias gaudio triumphaturas, florentéſque, ac beatas futuras, tali ſibi dato gubernatore confideret? Si hæc in extremis Galliæ, aut Hiſpaniæ, aut etiam remotioris alicuius prouinciæ finibus dicerem, pro certo tamen haberem cognitum, iri ab omnibus, te Pie Quincte eum eſſe, quem mea iamdudum notaret, ac deſignaret oratio. Nam quæ tandem vitæ tuæ pars nõ eiuſmodi fuit, vt in ea cùm ſemper reperirent boni, quod imitarentur, nihil reperire poſſent improbi, quod calumniarentur? Maiori tu & tranquilliori

Conſtantia in virtute colenda.

Vita nulli calomniæ obnoxia.

animo

animo paupertatẽ tuliſti,quàm cæteri diuitias ferunt. Nunquam tu honores ſecutus es:ſed recto ſemper itinere gradientem, & de ſola virtute ſolicitum, de aliis rebus non laborantem, ipſi te vltrò ſunt honores conſecuti. Nihil te Cardinalatus dignitas immutauit: niquòd vt tua virtus à pluribus cognoſceretur effecit: eandem quã priuatus comitatem, atque affabilitatem, eundem cultum, eandem vitæ ac diſciplinæ ſeueritatem retinuiſti. Vna erat omnium vox, neminem eſſe, qui maiori libertate ſententiam diceret, qui minus ad gratiam loqueretur, qui quæ vera rectaque erant conſtantius, aut animoſius tueretur. Itaque nòn in ſermone tantùm, ſed in vultu ipſo ac nutu tuo magna ineſſe putabatur auctoritas. Tanto igitur, & tam repentino omnium conſenſu Pontifex renunciatus es, vt ſi cui forte adhuc dubiũ fuerat, hominum ne iudicio, an diuino numine ſummi Pontifices crearentur, quod tamen nemini vnquã bono dubium fuit, ea tota dubitatio proximis comitiis ſublata eſſe videatur. Non eſumoſæ maiorum imagines, non inuidio

Animus honoribus nõ immutatus.

Pōtifica-tus ſola virtute ſubnixus

dioſa diuitiarũ magnitudo, non eblã-ditæ principum commendationes viã tibi ad Pontificatum munierunt: eadẽ illa virtus, quæ te ab ipſis incunabulis ſuſceptum perpetuò comitata erat, ſerius omnino & votis noſtris, & meritis tuis, ſed tamen in iſto te tandẽ celſiſſimo dignitatis inter homines Deo proximæ ſolio ſuis ipſamet manibus collocauit. At hæc quidem omnia omnibus Chriſtianis, & principib. & populis ingentem lætitiam attulerunt: quas aũt cauſas habuerit Alfonſus ſecũdus, cur ex eo præcipuum quoddam gaudiũ caperet, ſequitur vt exponã. Non eſt dubiũ, quin totius Chriſtianæ reipublicæ interſit, quã optimos Pontifices creari, ſed tamen id magis quodã modo pertinet ad eos populos qui reguntur ab ipſo Pontifice, quã ad illos qui procul poſiti, etiãſi in iis, quæ ad religionẽ pertinent Pontificis imperio parent, in cæteris tamen à Regibus aliiſue principibus gubernantur: itidém que inter principes, magis ad eos, qui ſunt in fide ac cliẽtela eccleſiæ, quã ad eos quibus nulla talis intercedit cum hac ſancta, & Apoſtolica ſede coniunctio.

ctio Cùm igitur antiquiſſima,& nobiliſſima principum Eſtenſium familia & antiquitus à Pontificib. Romanis Ferrariam acceperit,& ab eiſdē ducali nomine,atque auctoritate decorata fuerit, ſempérque ex eo in huius ſanctæ ſedis patrocinio permanſerit: conſtat cuiuſmodi Pontifices ſint,quàm amātes religionis ac iuſtitiæ,eorum magis,quàm multorum aliorum principum,intereſſe. Deinde cùm ex alijs multis & præcipuè ex illuſtriſſimo Cardinali Ferrarienſi patruo ſuo Alfonſus ſecundus de tua præſtanti virtute cognoſſet: neque neſcius eſſet quanto opere & is,& frater ſuus illuſtriſſimus Cardinalis Eſtēſis dignitati tuæ verè atque ex animo fauerent, fieri nullo modo poterat, vt non & ipſe idem euenire cuperet,quod & patruum quem ſemper meritiſſimò plurimi fecit, & fratrem quem æquè amat ac ſeipſum,tanto ſtudio procurare intelligebat. Poſtremò, cùm ita natura comparatū ſit,vt eos quiſque ornatiſſimos ac florētiſſimos eſſe cupiat,quorum cauſa plurimùm laborauit,in plurimáque ſe ac maxima pericula expoſuit, neceſſe eſt inſigniter charam eſſe

Eſtenſis familia ducatum Ferrariæ poßidet.

Quiſque amat vehementiſſime pro quib. plura paſſus eſt.

Alfon.

Alfonſo Ferrariæ Duci huius ſanctæ ſedis dignitatem, pro qua maiores ipſius tot labores ſuſceperunt, tot diſcrimina adierunt, toties de vita, fortunísque omnibus dimicarunt. Nihil augendi aut amplificandi cauſa loquar pater Beatiſſime: ſed in tantùm optima fide teſtabor, quòd, ſi opus ſit, certiſſimis ac locupletiſſimis auctorib. probare nullo negotio poſſum: ſi ea minutatim perſequi velim quæ à Principibus Eſtenſibus pro Apoſtolicæ ſedis auctoritate, ac totius Italiæ ſalute fortiter facta ſunt, non dies modò me, ſed vox ipſa, vireſque deficient. Sed, vt omittam ea, quæ nimis antiqua videri poſſunt, (ſiquidem mille iam anni & eo amplius ſunt, cùm hæc nobiliſſima familia floret, alióſque aſſiduè ex alijs Principes perpetua quadam ſerie propagat) illud certè prætermitti non poteſt, quòd cùm Fridericus Ahenobarbus à Gregorio nono damnatus, atque hoſtis iudicatus, ob idque implacabili aduerſus eccleſiam Romanã odio flagrãs, per Italiam immaniſſimi latronis more bacchäretur, vaſtaret agros, oppida diriperet, depopularetur, incenderet,

Antiquitas Eſtēſis familiæ.

Fridericus Ahenobarbus eccleſiæ hoſtis.

non ſexui,nō ordini,non ætati vlli parceret,cæde ac ſanguine compleret omnia,adminiſtrúmque ac ſatellitem crudelitatis ſuæ haberet Eccelinum,quem non tam inter ſceleratos tyranno, quã inter terras & immanes belluas numerare meritò poſſumus, vtriuſq; copias nō tam numeroſo,quàm valido exercitu fudit,ac fugauit Azononus Marchio Eſtenſis. Quinetiam cùm Salinguerra Taurellus, qui Eccelini ſororē in matrimonio habebat, eíque in omni ſcelere geminus erat,Ferrariam vi & armis occupatam & oppreſſam teneret miſerorúmque ciuium ceruicibus prędo crudeliſſimus incubaret, eiuſdē Azonis virtute,& armis Ferraria ab illius tyrannide vindicata eſt. Cuius rei cauſa primùm quidem vniuerſus populus Ferrarienſis Azonem ipſum dominum,ac principem ſuum conſalutauit, deinde verò Pontifices,habita ratione & ſumptuum, quos ipſe in liberanda Ferraria fecerat, & beneficij quod ab eo Apoſtolica ſedes acceperat,eandem illam vrbem ei poſteríſque eius habēdam ac regendam conceſſerunt. Neque vnquã,quoties aliqua ſeſe obtulit

Eccelinus

Salinguerra Taurellus

Ferraria vt in poteſtatē Eſtē ſium venerit.

occaſio, recuſarunt Principes Eſtenſes, dum pro eccleſia propugnarent, ſe ſuaque omnia prompto animo in diſcrimen opponere. Quæ omnia aliaque eiuſdem generis plurima non Ferrarienſium tantùm annalibus, quorum hac in parte fides alicui fortaſſis ſuſpecta eſſe poſſit, ſed optimi cuiuſque illorum temporum, aut etiam inferiorum ſcriptoris monumentis prodita, & teſtata ſunt. His virtutib. domus Eſtenſis ad tantam gloriam iampridem peruenit, vt ſummi Pontifices, vt Imperatores, vt Hungariæ, vt Galliæ Reges, alijque potentiſſimi Principes pulchram ſibi ac decoram illius affinitatem iudicarint. Hæ cauſæ ſunt Beatiſſime pater, cur Alfonſus ſecundus, qui neque pietate in Deum, neque obſeruantia erga ſedem Apoſtolicam, neque vlla denique virtute cuiquam ex maioribus ſuis cedere meditatur, te Pontifice declarato, incredibile quoddam ex ea re gaudium ceperit. Neque quidquam libentius feciſſet, quàm vt ad te primo quoque tempore veniret & ſanctiſſimis pedib. tuis aduolutus quantopere tibi, & huic ſanctæ ſedi deuotus addictúſque

ctúſque ſit, modis omnibus declararet ac patefaceret, niſi id tẽporũ ratio prohibuiſſet. Sed cùm ita eueniſſet vt fœliciſſimi Pontificatus tui principium in id tempus incidiſſet, quo ipſe vxorem domum duxerat: iudicauit te pro tua ſingulari clementia non iniquo animo laturũ, ſi prius cœpta nuptiarum ſolẽnia celebraret, ac cum vxore vnum, aut alterum menſem commoraretur: deinde ad debitum officium tibi præſtandũ veniret. Nunc autem aliud interea multò grauius obiectum eſt impudimẽtũ. Nam, cùm ſceleratiſſimus ille religionis noſtræ hoſtis Turcarum tyrannus numeroſiſſimo exercitu Hungariæ immineat, generoſiſſimus Princeps, qui admirabili ſtudio ardeat incedendi aſſiduè per veſtigia maiorum ſuorũ, Maximiliano Imperatori vxoris ſuæ fratri ſponte ſe in belli, ac diſcriminis ſocietatem obtulit, eíque pollicitus eſt, ſimulátque accerſitus eſſet, ſe ad eum nulla interiecta mora cum quantis poſſet copiis eſſe venturum. O vis virtutis, quid non in pectoribus verè generoſis efficis? Non dulcedine patriæ, quam abitu ſuo mœſtam & pauentem

Vis virtutis.

relíquit,non nuper ductæ vxoris charitate, quæ ſibi eo diſcedente à viſceribus ſuis diſtrahi ac diuelli videtur,non hoſtis feritate,non periculi magnitudine retineri fortiſſimus Princeps poteſt. Valeant,inquit,valeant alia omnia vbi Chriſtianæ reipublicæ defenſio agitur, indignus ſim maioribus meis, ſi quidquam ei anteponendum putem. Verebatur autem, ſi huc iter cepiſſet, ne interea accideret aliquid, vt ſtatim regredi,atque in Hungariam proficiſci neceſſe haberet: neque dubitabat fore vt hæc excuſatio ſua à te quoque Beatiſſime pater non modò acciperetur,verùm etiam commendaretur. Sed quod ipſe ſi licuiſſet præſens facturus erat, idem nunc per hunc illluſtriſſimum Principem ac Marchionē Franciſcum Eſtenſem patruum ſuum facit: quo diligere neminem poterat in quo plus ineſſet vel fidei vel auctoritatis. Per eum igitur Beatiſſime pater Alfonſus ſecundus Ferrariæ Dux eam quā debet tibi,& ſanctæ ſedi Apoſtolicæ obedientiā præſtat,ſe,ſuáque omnia tibi tradit ac conſecrat,ſempérque ſe in tua,atque huius ſanctæ ſedis poteſta

Ferrariæ Ducis in Chriſti cauſam propenſio

Marchio Franciſcus Eſtenſis.

teſtate fore ſanctiſſimè pollicetur. Tu enim viciſſim Beatiſſime pater, vt ipſe te ſine vlla dubitatione facturum eſſe confidit, paterna beneuolẽtia complectere: & quemadmodum ipſe ſemper omnes vires ſuas ad defendẽdam tuã, & Apoſtolicæ ſedis dignitatem ſtudioſiſſimè conferet: itẽ tu eum totamque vnà familiam Eſtenſem, eximium nobilitatis Italicæ florem, non tuẽdã modò tibi, ac conſeruandam, ſed amplificandam etiã in dies ac cohoneſtandam iudicato.

DIXI.

M. ANT. MVRETI ORATIO VIGESIMA MANDATV S. P. Q. R. HABITA IN AEDE SACRAE B. MARIAE VIRGINIS, QVAE EST IN CAPITOLIO.

IN REDITV AD VRBEM M. ANTONII COLVMNAE poſt Turcas nauali prœlio victos.

IDIB. DECEMB. ANNO M. D. LXXI.

Victoria quibus pararetur.

SI vlla poſt hominum memoriã parta victoria eſt, in qua & admirabilis ſe diuini nominis potentia oſtẽderit & quid fortium virorũ virtus, quid ſingularis ductorum prudentia valeat, cognitum ac declaratum ſit: in hac certè quã ſuperioribus diebus Imperatores ac milites noſtri ex immaniſſimo ac teterrimo Chriſtiani nominis hoſte retulerunt, ita hæc omnia patefacta ſunt, vt nunquam maioribus, aut illuſtrioribus argumentis aut illuſtrata eſſe, aut in poſterum illuſtrari poſſe videantur. Quare & immortali ac præpotenti

tenti Deo, huius tanti boni, vt aliorũ omnium, auctori gratiæ, quantas maximas animus noſter capit, agendæ ſunt: & fortiſſimis, ac clariſſimis viris, qui periculum à nobis omnibus vitæ ſuæ periculo depulerũt, qui barbaris in nos irruentibus iter corporibus ſuis occluſerunt, qui peſtem ac perniciem, quam illi nobis machinabantur, in ipſorum capita cõuerterunt, qui illorum temeritatem conſilio, furorem fortitudine, audaciam virtute ſuperarunt, noui atque inuſitati honores pro noua ipſorũ atq; inuſitata virtute tribuendi. Quod enim tãtũ ac tã ſingulare honoris genus reperiri, aut excogitari poteſt, quod non & in aliis, qui egregiã in hoc bello Reip. Chriſtianæ operam nauarunt, & tuæ in primis M. ANTONI COLVMNA virtuti rebúſq; geſtis, & ab aliis Chriſtianis populis, & præcipuè à Populo Romano debeatur? Cuius vniuerſi quod ſit erga te ſtudium, quæ voluntas, neque tibi vnquam aut dubium aut obſcurum fuit: & tamẽ nuper apertiſſimè cognoſcere potuiſti, cùm, tuo in vrbem ingreſſu, tantus ad te omniũ ætatum atque ordinũ cõcurſus factus

Fortiſſimorum virorum deſcriptio.

M. Antonius Columna.

Populi ſummus in ducem amor.

eſt, tanta effuſa omnis generis multido, vt ipſi ſeptem colles, ipſa vrbis mœnia, ſi natura pateretur, ſedibus ſuis relictis, obuiam tibi prodire cupere viderentur. Quacumque inceſſeras, fauſtis acclamationibus omnia perſonabant: omnes redundantem & foras erumpere geſtientem lætitiam ore, oculis, manibus indicabant: omnium in te vno figebatur obtutus: omnes te, non vt vnũ ex principibus ciuitatis, ſed vt firmiſſimam ac ſoliſsiſſimam Romani nominis ac dignitatis columnam intuebantur. Cælum ipſũ manifeſto fauit honori tuo: cũ quod, aliquot dies antea triſte ac nubilum fuerat, ingreſſuro te, ita derepente nitere cœpit, vt illa ſubita ſerenitas facilè omnibus indicarit, honores, qui tibi haberẽtur, etiam cæleſtium iudicio cõprobari. Nũc quoque, quanta hoc auguſtiſſimũ templũ frequentia hominum compleuerit, vides: qui omnes eo animo huc conuenerunt, vt Chriſto Ieſu victori & victoriam datori, vt beatiſſimæ virgini, vt cæteris cęlitibus, quorum auxilio hanc victoriã ſine vlla dubitatione acceptã ferre debemus, tum propter fuſos ac fugatos

Alluſio ad nomen Columnæ

hoſtes, tum propter te ſaluũ ac ſoſpitẽ in patriã reductũ, ritè, ac piè, vt debẽt, gratias agant. Beatũ te M. Antoni, propter cuius & abeuntis periculum & redeuntis ſalutẽ tẽpla cõplentur. Meminimus omnes, ſuperioribus menſibus, te ad bellũ profecto, quæ tota vrbe fuerit trepidatio, quæ ſolicitudo, qui pauor. Quãuis enim & duces delecti erãt fortiſſimi, ac ſapiẽtiſſimi, & ex toto propemodũ orbe Chriſtiano flos ipſe nobilitatis cõuenerat, & præcipua Italiæ atq; huius vrbis ornamẽta ac colũna in exercitu verſabantur: tamen eò magis metuebantur varij bellorũ & ancipites caſus, quòd ſi quid aut ꝓpter vim tẽpeſtatũ, aut propter hoſtilium copiarum magnitudinem, aut quo alio euẽtu grauius accidiſſet: nulla reliqua ſpes erat, vllum amplius ætate noſtra tantum exercitum poſſe denuo comparari. Vagabatur autem toto mari infinita quædã latronũ multitudo noſtro ſanguine cruenta, noſtris ſpoliis onuſta: qui & sẽper alias ſuopte ingenio feroces, & tum maximè propter recentes victorias ſpe atq; animis inflati, tãtos ſibi ſpiritus, tãtã arrogãtiã ſumpſerãt,

Beatus qui omnibus charus eſt.

Belli periculum.

Turcarũ crudelitas & arrogantia.

vt claſſem quidem noſtram à ſe ſpiritu ipſo difflatum iri:ea verò diſiecta,quaſi
Cyprum intelligit. ianua quadam effracta ac reuulſa,omnes ſibi Chriſtianorũ portus, omnes inſulas,omnem oram maritimã apertam fore arbitrarentur. Augebat timorem noſtrũ, quod anno ſuperiori eos Deus alienatæ à nobis propter peccata noſtra volũtatis ſuæ ſignificationes dederat,non iniuria trepidaremus, ne ille meritò nobis iratus,per hoſtes nominis ſui à populo ſuo pœnas repetere
Dei bonitas. decreuiſſet.Sed ô cæca hominum iu-
Iob.5. dicia. ô abſtruſa & recondita Dei cõ-
1.Reg.2. ſilia. ô bonitatem ac clementiã ipſius perpetuò prædicandã. Verè dominus eſt qui vulnerat & medetur: percutit &
Pſal.117. manus eius ſanabunt:qui mortificat& viuificat:qui deducit ad inferos & reducit.Pro paterna ſua miſericordia,caſtigans caſtigauit nos: ſed morti non
Pij 5. ſanctimonia. tradidit nos.Reſpexit ad lachrymas,ad ieiunia,ad eleemoſynas, ad preces eccleſiæ ſuæ:ad quæ oĩa Pius 5. & nomine & re ſanctiſſimus Pontifex,toto illo tẽpore,alios omnes & præcepto & exẽplo ſuo incitabat.Hé, ſenex ſanctiſſime & veterum illorum Pontificum ſi-

milime

millime,ſcelerum vltor,iuſtitiæ cultor, veteris diſciplinæ reſtitutor,cui, bono publico,his miſeris ac turbulentis tem poribus, eccleſiam ſuam gubernandã cõmiſit Deus:hic eſt fructus lacrymarum atque obſecrationum tuarum:tui fletus pepererunt nobis hoc gaudium: tua quotidiana ſacrificia hanc nobis à Deo victoriã impetrarunt.Metis exultans, quod lacrymans ſeminaſti. Tenouo Moyſe manus in cælũ tollente, nouus hic Ioſué ſuperabat Amalechitas. Tu mente in Deo, noſtri milites in barbarorum corporibus tela figebent. Confirmabant illorum dexteras preces tuæ, & hoſtilium gladiorum cuſpidem retundebant. Itaque quanto plus nobis dedit Deus quàm petebamus?Nos timidi vota faciebamus, vt hoſtium claſſis,cùm aduentare noſtrã, auditum eſſet, quàm celerrimè ſe ad ſuos reciperet:quò poſt tot editas ſtrages,timuiſſe tamẽ,&expectare auſa nõ eſſe noſtrorum impetum videretur.nã illud propè immodicũ videbatur optare,vt & congrederentur, & ſe barbari, noſtrorum virtute cognita, in fugam darent: quod ſi ad efficiendam aliquã

Pſal. 125: *Exod.*17.

imaginem ſpeciémq; victoriæ, aliquot illorum naues depreſſæ: aliquot captæ, numerus aliquis captiuorum liberatus eſſet: abundè omnes non expectationi modò, ſed optatis quoq; noſtris ſatisfactum fore arbitrabamur. vt autē ſine magna noſtrorum clade, amplius quadraginta hoſtium millia cæderētur vt decem & eo amplius millia caperētur. vt centum nonaginta quinque illorum triremes, aliáque complura nauigiorum genera in noſtrorum poteſtatem venirent: vt plus quindecim captiuorum noſtrorum millia liberarentur: vt ex tanta illorum multitudine vix vnus perfidus pirata, & vnus item ſæuiſſimi prædonis Adrideani filius fuga elaberentur, qui ad ſuperbas immanis illius tyranni aures acerbiſſimum miniméque ab ipſo expectatum tantæ cladis nuncium adferrent, quis vnquā noſtrum, non dicam ſperare, ſed propemodū optare auſus eſt? Præcucurrit fortitudo veſtra ſpes noſtras: quæque nos ne früſtra optaremus verebamur, vt ea fruſtra hoſtis optaret, admi rabili Dei benficio & veſtra ſingulari virtute perfectum eſt. Illud verò memorabi

Magnitudo victoriæ & clades Turcarū.

morabile & animaduertendum,neque fortuitò accediſſe, ſed iuſtiſſimo Dei iudicio effectum eſſe credendum eſt: quod qui duo ex illa impura fœdiſſimorum mancipiorum colluuie maximas minas iactare,qui vni ex omnib:Chriſtianorum viros maximè deſpicere ſoliti erant:vt etiam apud illum ſtolidũ ac furentem dominum ſuũ auſi eſſent gloriari,ſe centum triremibus, quidquid vſquam Chriſtianorum eſſet,vndique exterminaturos: ij potiſſimum cùm ad manus ventũ eſt,ita ſubito perterrefacti ſunt, vt mare ipſum anguſtũ eis eſſe ad fugã videretur. O nonæ Octobres,quàm fauſam ac fœlicẽ nobis poſteríſque noſtris veſtri memoriam reliquiſtis.Quis nõ eorum,qui prœlio nõ interfuerũt,vt ſibi liceret ſpectaſſe, quæ illo die geſta ſunt,annum vnũ de conſequentis vitæ ſuæ ſpatio,ſi fieri poſſet, ademptum velit? Solem ego ipſum,ita viuam,in tam pulchro ſpectaculo,vt Ioſue olim aduerſús Amoræos pugnante,ſubſtiturum fuiſſe arbitror: niſi tanta fuiſſet vincẽdi celeritas, vt qui nihil metuebãt, id vnũ metuere videretur,ne prius aduesperaſceret, quã omnes

Turcarũ ducum vanitas & iactantia punita.

Victoria cita.

omnes hoſtes aut cæſi, aut capti, aut fugati eſſent. Quęnam igitur ſtatuæ, qui arcus, quæ columnæ, quæ trophęa vobis excitari poterunt, viri fortiſsimi, quæ, non dico paria eſſe meritis veſtris, ſed eorum partem adumbrare aliquam poſsint? qui futuri ſunt vſque eò diſerti ac copioſi hiſtoriarũ ſcriptores qui, cùm ad Naupacteã victoriam vẽtum erit, non potius metuant, ne quid de illius magnitudine detrahant, quàm eam ſe verbis exæquare poſſe confidant? Semper enim iuſtum minuendi metum faciunt ea, quæ ampliſicandi ſpem ſua magnitudine ſuſtulerunt. Vos exultantem barbarorũ audaciam cõpreſsiſtis: vos maria illis clauſiſtis, noſtris aperuiſtis: vos flammã atque ferrum, vos cædem, incendia, rapinas, libidinẽ à Chriſtianorum vita tectis, fortunis, corporibus arcuiſtis: vos à templis ſacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vaſtitatem depuliſtis: per vos cruẽtata ac tepefacta maria illorum ſanguine redundarunt: per vos vicina litora illorum, aut ſauciorum, aut morientium inconditis vlulatibus perſonarunt: vobis magiſtris

Victoria nunquam ſatis laudanda.

Victoria cõmoda.

didi

didicit noſter miles vincere, barbarus vinci: vobis Chriſtianorum alij vitam debent, alij libertatem, omnes ſecuritatem. Durum, fateor, fuerat, audire, tam multa oppida à nefariis latronibus capta, tam multa incenſa: tam multas regiones vaſtatas, adducta in ſeruitutem tam multa hominum millia: ſed ſi Chriſti potentia, Chriſtianorum fortitudo aliter apud barbaras gentes illuſtrari, quàm poſt tot acceptas calamitates, non poterat, propè eſt, vt exclamem, tanti fuiſſe. Certè quidem verni temporis clementia & amœnitas minus hilararet animos noſtros, niſi eã hiemis rigor & aſperitas anteceſſiſſet: ita minus omnes huius victoriæ iucunditatem ac dulcedinem ſentiremus, niſi eam cum ſuperiorum temporum triſtitia, & acerbitate compararemus. Neque verò eos tantùm, qui ex illo nobis omnibus ſalutari prœlio, re bene geſta, incolumes reuerterunt, omnibus maximis honoribus debemus afficere: ſed eorum quoque memoriam grato animo ampliſſimíſque laudibus proſequi, quos in illo conflictu fortiter dimicantes, non tam

Victoria poſt clades varias iucundior

Militum pro Chriſto occũbentium ſalus certa. vis hoſtium perculit, quàm ille ipſe, pro quo pugnabant, ſibi pigneratus eſt Chriſtus. Qui ſi, vt credibile eſt, prius Chriſtiano ritu expiati, ac culpis omnibus ſoluti, tunc verò in Deum tantùm intuentes, & in eo mẽte ac cogitatione defixi, vitam pro illius gloria proiecerunt, eodem illo temporis puncto, angelorũ legionibus ſtipati, triumphãtes in cælum euolarũt. *Quã beati ſint qui pro Chriſto pugnãtes morte oppetunt.* O vos beatiſſimos, qui ſanguinem veſtrum pro eo fudiſtis, qui prior ipſe pro vobis ſuum ſanguinem fuderat: qui mortem naturæ debitam, pro vitæ auctore potiſſimum reddidiſtis. Illi impij, quos tum concidebatis, cum concidiſtis, & mortem oppetierũt cum ignominia, & mortui pœnas nũc apud inferos luut: vos verò & extremum ſpiritum victores cum gloria effudiſtis, & mortali conditione vitæ in immortalitatem commutata, piorum eſtis æternam ſedem & locum cõſecuti. Beata vita, quæ tali morti concluſa eſt: beata mors, quæ tali vitæ principium dedit. *M. Antonius Columna quàm ſtrenuam nauarit operam.* Sed vt ad te M. Antoni mea iã reuertatur oratio, neque populus Romanus ignorat, neque vnquam vlla ignoratura eſt

aut gens,aut ætas, huius immortalis gloriæ multò tibi plus quàm pro virili parte deberi. Tu iam inde à principio, cum ſanctiſſimo Pontifice Pio Quinto huius ſaluberrimæ Principum Chriſtianorum coniunctionis fundamenta iacerentur,ad eam rē ex ipſius ſententia conficiendam,plurimum laboris, operæ, auctoritatis contuliſti. Tu cùm claſſi Pontifici ſommo cum imperio perfectus eſſes,in Siciliam pro feſtinas,interea dum Ioannes Auſtrius, non mea tantùm, ſed omni omnium prædicatione maior adoleſcens, cuius in totam Chriſtianorum claſſem ſumma erat auctoritas,ac poteſtas, eodem perueniret,& milites & claſſiarios ſtudioſiſſimè exercuiſti,&,vt omnium rerum ad maritimum bellū neceſſariarum copia ſuppeteret, pefeciſti. Tu, quoties de ſumma re deliberatum eſt, eas ſententias dixiſti, quæ ſūmā prudentiam cū ſumma animi excelſitate coniunctā indicarent. Tu cùm offenſiones quædam interuenirent, quæ rē in ſummū periculum adduxerant: iratorū animis, ſapientiſſimè capto conſilio, & graui, atque accōmodata ad tem-

Ioannes Auſtrius

tempus oratione mitigatis ac compoſitis, naſcentis mali occaſionem ſuſtuliſti. Tua cohortatione inflammati milites ad pugnam exarſerunt: tuum in ipſa pugna exemplum ſecuti, omnia pro Chriſto pericula contempſerunt. Peruenit, ac perlatus eſt vſque huc tuarum immortalitate dignarum vocum ſonus: optimis auſpiciis geri quæcunque pro Chriſtiana religione gererentur: babaricam audaciã cedentibus inſtare, inſtantibus cedere: noſtrorũ & victoriæ & morti immortalem gloriam propoſitam eſſe: illo duce atque auſpice, cuius brachia in cruce pẽdentis effigies, è ſummo regiæ triremis eminẽs noſtros animaret, terreret hoſtes, de ſecũdo prœlij exitu nemini eſſe dubitandũ. Audiui, audiui ipſe de fortiſſimo viro, cuius eximia virtus & ſæpe aliàs & in hoc bello vel maximè ſpectata eſt quique tuorum in hac expeditione cõſiliorum, ac laborum particeps fuit quàm præclarum tibi, quàmque honorificum teſtimonium tribuerit diuinus adoleſcens Ioannes Auſtrius, poſtridie eius diei quo debellatũ eſt: cùm apertè prædicaret, tuum in hac ſancta

M. Antonij Columnæ voces pietatis et fortitudinis pleniſſimæ.

Ioãnis Auſtrij eximium de Colũnate ſtimonium

belli

belli ſocietate conflanda præter cæteros labores ac ſtudium: in deliberãdo, prudendiam & altitudinem animi in regerendo, foritudinem & alacritatem extitiſſe: te & cõmittendi prœlij conſuaſorem. & comparandæ victoriæ adiutorem ſibi præcipuum fuiſſe. Quæ cùm omnia magna & præclara ſint, multò tamen à te maiora, & præclariora populus Romanus expectat. Properant Marce Antoni, noſtra omnium vota: quíque animis præſentis gaudij magnitudinem capere vix poſſumus rerum à te geſtarum præſtantia, quaſi quibuſdam alis, ſublati, cognitione & ſpe multo iam vlterius prouolamus. Non ſatis eſt impuliſſe hoſtem: proſternendus & opprimendus eſt, antè quàm ſe nouis opibus copiiſque renouarit. Extorquenda ſunt vobis ex illius belluę faucibus impióque dominatu ampla illa & opima regna, in quæ, à Romano imperio diſtracta, atque diuulſa, nullo iure, iniuſtiſſimus poſſeſſor inuaſit. Tendit vobis Iudæa ſupplices manus & palmas, quarum feraciſſima eſt, veſtris victoriis triumphíſque diſpondet: obteſtatúrque vos per eum quẽ ex *Ad Iudæam liberãdam hortatur*

puriſſimæ matris vtero mirabiliter exeuntem excepit: cuius veſtigiis impreſſa, cuius admirandis operibus nobilitata, cuius ſparſo pro nobis omnibus ſanguine irrigata eſt, ne ſe diuitus patiamini indigna Chriſti hoſtiũ ſeruitute oppreſſam teneri. Duce olim colũna Iudæi ex dura ac diuturna ſeruitute extracti ſunt. Vtinam noſtris quoque temporibus Iudæa ipſa duce Columna ex multo duriori multóque diuturniori ſeruitute extrahatur. Proditum eſt literarum monumentis, imperante Conſtantio Conſtantini magni filio, viſam eſſe in cælo ſub ſpecie crucis ingentem columnam coronatam, quæ longe latéque collucens, à monte oliuarum vſque ad eum montem vbi Chriſtus pro nobis omnib. morte affectus eſt pertineret. Declarandum eſt tibi M. Antoni, rebus ac factis, tam inſigne prodigium ad te & ad gẽtem tuã pertinere. An verò gentes quædam antiquis temporibus propter violata maiorum ſuorũ ſepulchra grauiſſima bella ſuſceperunt: nos Ieſu Chriſti domini ac Dei noſtri ſepulchrũ monumẽtũ ſalutis noſtræ, pignus reſurrectionis noſtræ

Exo. 13.

Prodigiũ crucis in cælo apparentis

Pro ſepulchro Chriſti vindicãdo bella ſuſcipienda.

noſtræ ab immundis canibus tandiu teneri, eíſque ludibrio eſſe patiemur? Ite potius optimis omnibus generoſæ ac fortes animæ:ite accenſa diuinæ gloriæ ſtudio pecto ra: continuate victorias: connectite triumphos: inuidete poſteris veſtris gloriam eius terræ, ex qua ſalus noſtra prodiit, ab immanib. belluis receptæ ac recuperatæ. Vbi melius ſanguis ſpargi poteſt? vbi melius vita deponi? vbi verior ac ſolidior gloria comparari? O Chriſte, te appello. In tua manu bellum & pax: in tua manu victoriæ: in tua manu Regum ac populorum corda ſunt. Inſpira noſtris ardorem pugnandi: da eiſdem vim facultatémque vicendi: immitte eam mentem Principibus ac populis, qui nondum in hanc ſanctam ſocietatem nomina dederunt, vt in primo quoque tempore facere maturent: non quod qui omnia potes, aut eorum opera aut noſtra ad hoſtes tuos obterēdos egeas sed omnes, qui tuo nomine gloriañtur, in partem aliquā veniant eius gloriæ, que ex nominis ac cultus tui propagatione capietur: & quando vrbem Romam imperij ſedē ac domiciliū, ec-

Oratio ad Chriſtū vt bellum ſuſceptū fortunet.

cleſiam Romanam religionis firmamentum eſſe voluiſti: da PIO Quinto Pontifici, da Populo Romano hoc munus, vt in hanc potiſſimum vrbem & ad hunc potiſſimũ Pontificẽ partæ tam nobilis victoriæ aliquando nuncius adferatur:

DIXI.

ORATIO VIGESIMA PRIMA HABITA ROMAE IN AEDE D. PETRI IN VATICANO V. ID. MAII. ANNO M. D. LXXII.

In funere Pij V. Pont. Max.

Qàm onus graue ſuſtineant laudandi Põtificis.

DIcturus ex veteri cõſuetudine de Pij Quinti ſanctiſſimi, & in omni virtutum genere ſummi Pontificis laudibus, in hoc orbis terrarum auguſtiſſimo nobiliſſimòque conceſſu, Patres ampliſſimi, maximopere commouerer ac conturbarer animo, tum ob virium mearum imbecillitatem, tum ob breuitatem temporis mihi ad me cõparandum dati: ſi exiſtimarem aut vllã in quoquam vim diſcendi meritis ipſius

parem poſſe reperiri, aut vllam longitudinem temporis ſuffecturam ei, qui tam copioſi, ac multiplicis argumenti partes omnes pertractare ac perſequi vellet. Sed cùm & omnibus, & vobis præcipuè, qui propius illũ cognouiſtis, notum exploratúmque ſit, iis illum ſupra cæteros mortales virtutibus floruiſſe, quarum præſtantiam, non dicam exæquare dicendo, ſed aſſequi cogitãdo difficile atque arduum ſit: ipſa me animoſiorem, atque alacriorem facit ſuſcepti muneris difficultas cogitantẽ quod mihi neceſſariò eueniet, vt & multa memoratu digniſſima prætermittam & ea ipſa, quæ attingam, ieiunius multò, atq; exilius quã pro ipſorũ dignitate, percurram, idem cuilibet quamlibet exercitato, & omnibus rebus ad dicendum inſtructo homini euenturum fuiſſe. Ac quoniam auguratur animus, eum iam in æternas illas beatorum ſedes euectum & cum Deo coniunctum, quæ hoc tempore à nobis dicuntur, quæque fiunt, audire atque intueri: eundem in hoc munere obeundo modum tenebo, quem tenerem ſi ipſe, mortali adhuc corpore indutus

Neceſſitas animoſiorem reddit.

Mortuos à cælo audire quæ hic dicantur.

præſens adeſſet: vt in eo genere orationis vtar, quo ipſum præcipuè oblectari ſolitum nouimus, non figmentis ac fucis oblito, ſed ſeuero ac ſolido: & ea ſola in ipſo commendem, quæ ipſe in rebus humanis ſola commendandadu-cebat. Qui Ethnicorum more vixerũt, Ethnicorum more laudentur: ego tam ſancto, támque Chriſtiano Principi nullam laudem conuenire arbitror, niſi verè ac propriè Chriſtianam. Itaque in quibus exaggerandis, & amplificandis veteres plurimi erant, & à quibus ferè huius generis orationum principia ducebant, patriæ claritatem, quam etiam quidam ex illis primam partem fœlicitatis eſſe dixerunt, nobilitatem generis, opes, ac copias, ea nos, etiam ſi verè ac copiosè id facere poſſemus, in talis tamen viri laudibus numeranda non duceremus. Quanti hæc ſint, declarauit ipſe Chriſtus, qui, totius orbis dominus, obſcurſum & ante id tẽpus ignobilem pagum, in quo naſceretur, elegit: Deus & Dei filius, faber & fabri filius haberi voluit: Rex omniũ in paupere tugurio natus, non habuit vbi reclinaret caput. Immo vero ij demum

Mat. 13. *Marc.* 16 *Matt.* 8.

mũ glorioſi mihi præter cæteros, atq; illuſtres videntur, etiam ſi hæc humanarum rationum momentis expendere libeat, qui Deo tantùm freti, ea, quæ in vulgus inter homines ſumma habentur, ſine vllis eiuſmodi præſidiis, ſua ſibi virtute pepererunt. Pulchrum eſt enim ita abũdare, vt nemini quidquam debeas: ita illuſtrare alios, vt nihil ipſe ſplendoris ac claritatis ab aliis mutuatus eſſe dicaris. Sed his omiſſis, quæ ſemper ſapiẽtiſſimus quiſque contẽpſit, iã quaſi theſaurum quendam rerum pulcherrimarum, ac pretioſiſſimarum aperiens, ſpectandúmque proponens, euoluam & explicabo vera illa & diuina bona, quæ ſemper illum bonis amabilem, improbis formidabilem, vtriſque admirabilem reddiderunt. Qui ſtatim ab ipſo ineuntis ætatis principio, cùm, & diuino lumine colluſtratus, & domeſtica, vt credibile eſt, inſtitutione cõmonefactus, iis qui in ſeculo viuerent, difficilem eſſe in cælum viam iudicaſſet, impulſu Spiritus ſancti, fugit è patria inferiori ac terreſtri, vt Abraham: itérque illud arripuit, quod ad illam ſuperiorem ac cæleſtem tendenti

A ſola ſua virtute pẽdere glorioſiſſimũ

Monaſticã vitam ſeculum affectãtibus eſſe tutiorem.

Gen. 12.

tutius,atque expeditius eſſe intelligebat. Fugit vt Loth:neque poſt tergum reſpexit:cùm ſciret,eos,qui, manu ad aratrum appoſita reſpiciunt retrò, aptos non eſſe ad regnum Dei. Fugit vt Iacob.& in ea demum terra conquieuit in qua vidit ſcalas per quas itur in cælum.Dedit enim nomen in laudatiſſimam illam D. Dominici ſodalitatē, in qua,vt primùm inſtituta eſt, tanquā in optimo ac fertili agro,eodémque bene,ac diligenter ſubacto,& exculto,viri & doctrinæ magnitudine,& vitæ ſāctitate præſtantes, nunquam alij aliis ſuccreſcere, alij ex aliis continenter propagari ac proſeminari deſierunt. In ea ita vixit vtiuuenis ſenib.,tiro veteranis, nouitius exercitatis, tanquam exemplum continentiæ,tolerantiæ, frugalitatis, obedientiæ, omnis denique virtutis proponeretur. Neque verò cœpit quidem ita viuere,ſed eo non perſtitit:neque perſtitit quidem, non longius progreſſus eſt: neque progreſſus quidem,ſed in medio curſu defatigatus:immo verò totum vitæ ſpatiū ita tranſegit,vt,cum iampridem ad ſummam virtutis perfectionem perueniſſe iudi

Gen.19. *Gen.20.* *D. Dominici laudatiſſima ſodalitas* *Optimi monachi deſcriptio*

iudicaretur:ipſe tamen quotidie ſeipſo melior ac perfectior cerneretur. Cùm autem alia in hoc viro admirabilia fuerunt, tũ ſingulare ſtudium conſeruandæ veræ,ac catholicæ religionis,& aduerſus eos,qui illam vlla ex parte labefactare conarentur,implacabile odium ſemper eluxit. Quibus cùm ille perpetuum bellum gerens,ne punctum quidem temporis in vita ab eis vexandis, & exagitandis conquieuit.In alijs erratis condonandis atq;ignoſcendis:quãquã & ſui, & aliorũ ſeueriſſimus cenſor,non ita ſe durum atque inexorabilem præbebat: qui ab eccleſia deſciuiſſent,niſi aut ipſos erroribus, aut ipſis orbem purgaret,vitam ſibi acerbam atque inſuauem eſſe ducebat. Exedebat animum ipſius zelus eccleſiæ: neque quiſquam vnquam verius idem, quod olim Dauid,dicere potuit. Nónne qui oderũt te domine, oderã,& ſuper inimicos tuos tabeſcebam?Perfecto odio oderam illos. Ergo cùm ei munus inquirendi publicè mandatum eſſet,quas ille potentum inimicitias,quas minas,quæ pericula,quas vitæ ac capitis dimicationes ſibi, dum illos modis

Pontifex Pius 5. in hæreticos implacabilis.

Pſ. 60.
Pſa. 138

Pio 5. nõdũ pontifici munus in hæreticos inquirendi delatum.

omnibus perſequitur, defugiendas putauit? quas non potius vltrò, ac cupidè appetiit? quàm ſæpe ab illis petitus, à Deo mirabiliter ſeruatus eſt? vt de eo dici poſſit, quod alicubi ait Cyprianus, non animum martyrio, ſed martyrium animo defuiſſe. Ob hæc tanta, ac tam præclara in Chriſtianam remp merita primùm creatus Epiſcopus Nepeſinus deinde à Paulo III. in veſtrum Patres ampliſſimi Collegiũ adſcitus atque aggregatus, quanta cum dignitate dignitatem illam ſuſtinuerit, quid opus eſt, præſertim apud vos agentem, pluribus verbis exponere? Quantum ei prudentiæ & acuminis ad videnda ea, quæ vera, & recta eſſent, quantum animi, & libertatis ad eadem proferenda, quantum auctoritatis ad obtinenda ſemper fuit? Nihil vnquam ille in dicenda ſententia aut metui aut gratiæ dedit. nunquam ad cuiuſdam voluntatem orationem ſuam accommodauit: nunquam quidquam veritate prius, aut antiquius habuit Itaque vulgo etiam dicebant, nihil ab eo prec bus peti oportere: preces enim apud eum neque ad iuſta impetrāda neceſſarias eſſe, neque ad in

Incorruptus animus.

ad iniuſta extorquēda efficaces. Quòd ſi quidā ex veteribus Romanis eo nomine fœlix habitus eſt, quòd ab eo nemo vllam rem improbam petere auderet: quid hunc dicemus, quem omnes qui quid petituri erant, in quo vel minimum turpitudinis ineſſet, tanquam ſcopulum quendam refugiebant? Vt autem diuino conſilio, veſtris ſufragiis in Pij Quarti locum ſuffectus eſt, tāta ſubitò extitit bonorū alacritas, & exultatio, tanta improborum fuga, & trepidatio, vt neque illi quidquam ſibi optatius potuiſſe contingere, neque hi vſpiam ſe iam tutò conſiſtere arbitrarentur. Cernere erat bonos hilares & erectos, triſtes, & improbos abiectos: illos gaudio triumphantes, hos de cōſciſcendo ſibi voluntario exilio conſilia inter ſe communicantes: illi gratulatum ad templa conuolabant: hi aſpectum hominum lucémque vitabant: illos ſublatos in cælum, hos amandatos infra terram putares. Neque verò multis edictis aut programmatis opus fuit ad peſtes quaſdā hominū ex vrbe pellendas. Vt ſol exoriens nebulas deiicit, vt ventus areā purgat, ita nomen ipſū

Bonorum exultatio & malorū trepidatio.

noui

noui Pontificis diſſipauit improbos, & vrbem tetra illa impurorum hominum colluuione purgauit. Iam in ipſo Ponti tificatu qualis fuerit ſi quis ſubtiliùs re quirere inſtituat, ita reperiet, multis ſeculis nullum Pontificem fuiſſe qui ad veteres illos Silueſtrum, Gregorium, Leonem, eiuſdémque generis alios viuendi ratione, & conſuetudine propius acceſſerit. Primùm enim, ſi priuata & domeſtica ſpectemus, eandem in victu cultúque parcimoniam retinuit, quibus à principio ſe, cùm adhuc in monaſterio eſſet, aſſuefecerat. Eadem ieiunia erant, eædem prçces, eadem ſtatis anni temporibus à certis ciborum generibus abſtnentia: eadem interioris veſtitus aſperitas: neque quiſquam vnquã intemperans tanto ſtudio voluptates corporis conſectatus eſt, quãto ille eas perpetuò repudiauit. Immo verò, quarum eccleſiæ conſtitutionum propter ſenectutem, aut propter imbecillitatẽ corporis gratia plerumque petentibus fieri ſolet, iis vt ipſe ſe ſolueret, quanquam, & affecta ætate, & corpore admodum imbecillo, nunquam tamen adduci potuit. Quotidie fere ſacrificabat:

Pontificis in vita auſteritas & abſtinentia.

bat:ſi id non poterat, omnino tamen ſacroſancto miſſæ ſacrificio intererat. Nũquam ex eius ore verbum vnum prodiit, quod non aut ad Dei laudem, aut ad eorum qui aderant emendationem pertineret. Sic quãquam adhuc in terra poſitus, verſabatur in cælo, & cùm hîc nobiſcum viueret, iam tamen ciuis erat ſanctorũ & domeſticus Dei. Tota quoque eius familia ad exemplum domini compoſita erat: cùmque multis in locis familiares Principum ſumptuoſo veſtis genere, arrogantia, & contemptu cæterorum, licentia & dicendi & faciẽdi quidquid collibuit, diſtingui ab aliis ſoleant, hic ſuos ita inſtituerat, vt nulla re magis quã modeſtia ſingulari, & præcipua quadam ſanctimonia vitæ à vulgaribus diſcernerentur. Atque hęc priuatim, publicè autem quot quantáque beneficia & in hanc vrbem, & in totam Chriſtianam rempublicam, cõtulit? Reuocauit veterem eccleſiaſticam diſciplinam: quæ ita iam obſoleuerat, vix vt eius imaginem in veterum ſcriptis agnoſceremus. Iudiciorum ſeueritatem, quam iã improbiſſimus quiſque, aut eludere, aut perrumpe-

Pontificis ſanctimonia.

Pontificiæ familiæ modeſtia

Reformatio inuecta per Pium 5.

rumpe-

rumpere ſolebat,renouauit, cùmq; acrioribus remediis egêre hoc ſeculum iudicaret, propoſitis etiam acerbioribus ſuppliciis hominum libidinem audaciámque frænauit. In quo,ſi qui ſũt qui eum vt nimis ſeuerum,ac rigidum culpare audeant,& vt molles ægroti de medicamentorũ amaritie conquerátur,facere id non poſſunt, quin eadem opera de ſua nequitia & leuitate fateãtur. Nam ſi aduerſus extraneos tantũ ſeueritatem adhibuit,in ſe autem,& in ſuos remiſſus, atque idulgens fuit, tum ſane hos reprehẽſores audiamus, ſin & domi,& foris,& in ſuos,& in alienos ſui ſe ſimilem præbuit, neque quemquam vſque eò charum habuit, vt ad eius peccata conniuendũ duxerit:fateamur,id quod res eſt, ſeueritatem illam ab eximio quodam iuſtitiæ ſtudio profectam his temporibus neceſſariam ac ſalutarem fuiſſe. Iam eum & ab omni auaritia ac ſordibus lõgiſſimè abfuiſſe, liberalitate ac magnificentia excelluiſſe,& res ipſa loquitur, & ij quoque,qui propter eas,quas dixi cauſas,parum eius gloriæ fauent,confitentur. Cui rei argumento eſt, & innume-

In eos qui Pontificis ſeueritatẽ accuſabãt

Pontifex liberaliſſimus.

numerabilium priuatorum inopia ſub leuata,& infinita illa vis pecuniarum, qua omnibus prope orbis Chriſtiani partibus aliqua difficultate preſſis ac laborantibus ſine vlla cunctatione ſub uenit.Illud verò immortale,&omnium gentium omniúmque ſeculorum prædicatione celebrandum beneficiũ,quo vniuerſam Chriſtianam rempub. affecit,inita & conſtituta cũ Philippo Rege verè catholico,& cum Venetis belli aduerſus Turcas gerendi ſocietate, quis vnquam ſatis pro dignitate laudauerit? Quam in ſocietatem, vt cæteros quoq; principes Chriſtianos per duceret, cùm alia multa molitus eſt, tũ anno ſuperiori, periculoſiſſimo tẽpore,maximis caloribus, eum quem ſemper meritiſſimò vnicè dilexit, ſororis ſuæ nepotem,Michaelem Cardinalem Alexandrinum,ſibi ſanguinis quidem coniunctione proximum,ſed virtutis imitatione propiorem, in cuius aſpectu, ac colloquio acquieſcebat, cum quo cogitationes ac conſilia ſua communicabat,in quo maximum poſteritati ſuæ præſidium collocarat,eum igitur legatum in Hiſpaniam, in Luſitaniam,

Pius 5. ſanctæ belli in Turcas gerẽdi ſocietatis autor fuit

Michael cardinalis alexandrinus.

taniam,in Galliam miſit: neque eius, quem tantopere amabat,vitam in apertũ diſcrimen exponere veritus eſt, dũ ne quid intentatum relinqueret,quod ad Chriſti gloriam & ad Chriſtianorũ vtilitatẽ pertineret.Hæc ego cùm laudo Patres ãpliſſimi, vos laudo.Magna enim veſtra laus eſt, aliorum quidem, quod ex corpore veſtro talem principem elegiſtis:aliorum verò, quòd vos talis princeps in ampliſſimum ordinẽ adegit.Singulares principis noſtri virtutes Deus Optimus Max.ſingulari fœlicitate cumulauit: datis ei de duplici genere hoſtiũ duab. maximis pulcherrimíſque victoriis,altera terreſtri de iis qui in Gallia,& à Chriſto,& à Rege defecerant:altera nauali,cuius recens adhuc memoria eſt,de ſempiterno Chriſtiani nominis hoſte, Turcarum tyrãno.Sed & hæc,& alia plurima,quę ſciẽs prudénſque,ne lõgiorſim,prætereo,hiſtoriarum ſcriptores monumentis ſuis commendabunt æternitati: mihi autẽ breuiter de ipſius exitu, ac migratione ex hac vita dicendum eſt:vt intelligant omnes,vitam ita laudabiliter actã non minus laudabili fine eſſe concluſam.

Pius 5. fœliciſſimus

Duo

Duo ſunt,quæ,cùm ad extremum vitę ventum eſt,etiam ſpectatæ virtutis viros de gradu deijcere interdum ſolent doloris acerbitas, & mortis metus. Et ſunt tamen,qui quādiu à ſe mortis periculū abeſſe cōfidūt,dolorē ſatis forti animo ferunt.Sunt etiam ,qui dum ne graui,& diuturno dolore cruciētur,immimentē mortis neceſſitatem ſatis æquo animo expectant. Qui autē vtrūque præſtet,vt neque doloris acerbitate,ac diuturnitate frangatur,neque aduentātis,atque imminentis mortis metu terreatur, ei pectus incredibili quadā fortitudine armatum eſſe ac munitum neceſſe eſt. Quæ laus ſi cui vnquā meritò tributa eſt,huic certè omnium confeſſione tribuenda eſt.Qui cū quadraginta totos dies tantā vim doloris perpeſſus ſit,quanta maxima cadere in hominem poteſt,nunquam tamen vllam vocem parum ſe dignā emiſit:ſed illud in ore frequentiſſimè habuit,Domine adde ſanè ad dolorem, dū addas & ad patientiam. Mortem autem ſibi ab ipſo morbi principio certam, atque exploratam ita non exhorruit,vt de ea ne vlla prorſus aut vultus, aut animi

Duo in vita existu acerbiſſima.

Pontificis in morte acerbiſſima ferenda conſtantia.

perturbatione loqueretur: planéque oſtenderet eam à ſe, vt Diuus Paulus ait, in lucro poni. Ac ne cui dubium ſit, præſciuiſſe eum, ſibi ex illo morbo moriendum fore, duas apertas, atque illuſtres eius rei ſignificationes dedit. Vnam, quod Cardinalem Alexandrinum pridie paraſceues, hoc eſt vicelimo nono ante ipſius obitum die, ſacroſanctam euchariſtiam ſibi porrigentem, & vſitata verborum formula vtentem, inſſit inſiſtere, & ita verba concipere, vt in ijs tantùm ſit, qui ſanctiſſimum illud ſacramentum pro viatico accipiunt, vt paulò pòſt ad aliam vitam commigraturi. Alteram quòd cùm ob quandam morbi leuationem, depulſum ab eo eſſe mortis periculum, conſtans opinio eſſet, ſeptem illa præcipua vrbis templa inuiſere voluit, eiúsque itineris, quanquam viribus morbi grauitate & longinquitate deiectis, magnam partem pedibus confecit, apertè profitens, velle ſe eorum reliquias poſtremū videre, quos ſe non multò pòſt viſurum eſſe ſperaret in cœlo. Mortem autem illius & præceſſerunt multa prodigia, terræ fremitus, terræ motus,

Prius ſ. mortem ſuam prævidit.

tus, fluminum inundationes, crebri ſulminum iactus, & ſecuta eſt tanta populi conſternatio, vt eius deſiderium vix longo tempore mitigari poſſe videatur. Sed nos quidem alieniſſimo reipub. tempore, optimo & præſtantiſſimo principe orbati ſumus: ille autem, vt confidimus, è tenebris, ac vinculis corporis in lucem libertatémque productus, promiſſam pijs omnibus, poſſidet hæreditatem: ita vt mors ipſius, ſi ſortem noſtram reſpicimus, luctu & lamentationibus: ſin ipſum, cultu & gratulationibus perſequenda ſit. Vos verò, Patres ampliſſimi, quos iam vnos mœſta tanti gubernatoris obitu intuetur eccleſia, quorum ex auctoritate ac ſuffragijs: ſecundum Deum, tranquilitas temporum & ſalus reipub. pendet, conſulite quàm primum rebus afflictis, & ex veſtro nobiliſſimo corpore ac Collegio aliquem eiuſmodi eccleſiæ rectorem deligite, qui & ſedare poſſit mœrorem ex huius morte conceptum: & voluntate, prudentia, vſu rerũ, auctoritate aptiſſimus ſit ad perficiẽda pulcherrima ac prę̃ſtã-

Prodigia Pij 5 mortem conſecuta.

Exhortatio ad Cardinales.

tiſſima opera, quæ propterea huius morte imperfecta, atque inchoata mãſerunt.

DIXI.

ORATIO VIGESIMA SECVNDA HABITA ROMAE X. KAL. IANVAR. AN. M. D. LXXII.

Carolus 9. plura fecit pro ſede Apoſtolica quàm cæteri Reges.

SI pro cuius quiſque propugnatione, ac defenſione plura pericula ſubijt, plus excepit acerbitatum, pluri b. quaſi procellis ac tempeſtatibus agitatus eſt, eò plus gaudij ex ijs quæ ad retinendã atque amplificandam illius dignitatem pertinent, ad eum peruenire credendũ eſt, dubitare non potes, Beatiſſime pater, quin Carolus Rex, te Põtifice creato, tanto cæteros Reges eximia quadã percepti ex ea re gaudij magnitudine ſuperauerit, quanto non huius modò memoriæ, ſed omniũ ętatũ ac ſeculorũ Reges graui, ac diuturna ſuſceptorũ ꝓ ſedis Apoſtolicę auctoritate laborũ ac diſcriminũ perpeſſione ſuperauit. Quo tibi

tibi gratior eſſe debet ac iucundior gratulatio, quæ tibi hodierno die fit eius Regis nomine, qui cùm, pro incredibili ſtudio atque obſeruantia erga te ſua, primus omniũ hoc officio fungi cuperet: ijs tamen difficultatibus, quæ omnibus notæ ſunt, impeditus, non prius tibi gratulari potuit, quàm diuino conſilio contigit, vt poſſis tu quoque ei viciſſim verè ac meritò gratulari. Etſi autẽ, quæ proximè in Gallia pro religione geſta ſunt, propter ſummam illius regni nobilitatem atque amplitudinem toto iã orbe celebrantur: neque locus, neque regio, in terris vlla eſt, quæ non plena ſit & laborum ac miſeriarũ, quas Galli ſuperioribus annis pertulerunt, & virtutis ac felicitatis, qua nuper vſus Carolus Rex, maxima ex parte eos in veterẽ ſtatũ vindicauit: quia tamen neq; Regis noſtri & nomine & re Chriſtianiſſimi pietas in Deum, quam ipſe omnibus notam ac teſtatam eſſe vult, vlla ex re melius cognoſci, neque vllum dicendi argumentum hoc quidẽ tempore reperiri poteſt, in quo plus aut dignitatis, aut delectationis ineſſe videatur: peto à te Beatiſſime pater, vt

Bella pro religione in Gallia geſta toto orbe nota

hoc temporis, quod mihi ad dicendum tua benignitate conceditur, in harum potiſſimum rerum tractatione conſumi collocaríque patiaris. Quis igiur in Gallia rerum ſtatus fuerit, quo tempore Carolus nonus ad regni gubernacula morte fratris admotus eſt, omnes facile recordamur. Nam, quæ mali vis iam tum Henrico regnante, in venis ac viſceribus Galliæ concepta ac concluſa latuerat: cuíque optimus ille Rex, ob perpetuò deplorandũ inopinatæ mortis euẽtum ' remedium adhibere, cùm maximè cuperet, non potuerat: eadem cum ſe ſub Franciſco ſecundo commouere cœpiſſet: & ab eo quoque intempeſtiua morte prærepto, cõpreſſa modò & cohibita, non etiam extincta & ſublata eſſet: ad extremum vniuerſa ſe, ingreſſo regnare Carolo, effudit. Vt autem aquæ impetus ſaxorum lignorúmue oppoſitu diu retentus ac retardatus, ſi forte tandem ea quæ obſtabant, aut ſublata, aut perrupta & diſiecta ſunt, multò maior ac vehementior eſſe conſueuit, ita illi hominum omnia turbare cupientium cœtus, quos ad id tempus legũ ac Regum terror tanquam

Gallicarum rerum ſtatus Carolo ix. fratri ſuccedente.

Similitudo ab aquis obſtacula perrumpentib.

quam

quam vinctos infrænatóſque tenuerat, fractis poſtremò repagulis furere ac bacchari per nobiliſſimum regnum, & in ſumma impietate ſummā licentiā nacti, diuina humanáque omnia cædibus & incendijs miſcere cœperunt. Atque vt antiqui fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Hercule recens nato, duos ad eum inuſitatæ magnitudinis angues ſupernè lapſos eſſe, qui iacentem adhuc in cunis opprimerent: ita hoc nouo Hercule, qui enim adhuc adoleſcens tot iam monſtra per domuerit, meritiſſimo huius nominis honore affici poteſt, regni habenas tractare aggreſſo, infinita quædam non è ſuperiore loco demiſſa, ſed ex inferis emerſa extitit anguium vis, qui & peſtilenti afflatu ſuo omnia contaminare, & teterrimum virus ſuum longè latéque ſpargentes, non ipſi modò Regi adhuc puero & regnum & vitam adimere, ſed & ex toto regno verum Dei cultum, quo vno æternæ vitæ ſpes continetur, exterminare conarentur. Qui diuini quidem numinis metu iampridem proiecto, legum autem & iudiciorum auctoritate tum maximè propter

Fabula de Hercule ab anguibus in cunis impetito.

Hæretici anguibus cōparati.

Hereticorum crudelitas in Gallia.

infirmam Regis ætatem contempta ac conculcata, quam ſtragem, quas calamitates, quam vaſtitatem, quot inaudita crudeliſſimorum facinorum exempla in Galliam intulerunt? Horret ac refugit animus ea memorare, quæ poſt illas peſtes ac furias ab humani generis hoſte immiſſas contigerũt: profanata, euerſa, incenſa templa: aras ſacerdotum cæde maculatas: abſtractas ex ſedibus ſuis virgines deo ſacras, direptas vrbes, campos manantes ſanguine, fluuiorum curſus humanis corporibus impeditos: ludentem excarnificandis hominibus ſæuitiam, feritatem ne conditis quidẽ mortuorum oſſibus ac cineribus abſtinentem. Quis vſque eò Gallici, aut potius Chriſtiani nominis hoſtis eſt, qui illa ſine lachrymis aſpicere potuiſſet? O Gallia, Gallia, tot virorum fortium, tot egregiorum principum, tot ſummorum Pontificum, qui tanta cum laude eccleſiæ Dei præfuerunt, parens. Tùne illa es, quæ ſuſceptam à Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis fidem nunquam poſtea deſerueras? quæ non à tuis tantùm, ſed ab aliorum quoque finib. hæreticos, alioſque hoſtes nominis Chriſtiani

Apoſtrophe ad Galliam ſeditionibus deformatam.

ſtiani

ſtiani tam ſæpe depuleras? quæ Europam, Africam, Aſiam geſtis pro Chriſti fide bellis nobilitaueras? quæ violatam ab alijs ſedis Apoſtolicæ dignitatem tam ſæpè reſtitueras? tam firmis præſidijs ſepſeras? tam multis ornamentis affeceras? quæ vrbem Romam ab imminenti direptionis & excidij periculo tam ſæpe liberaueras? Verè enim hoc Beatiſſime pater, verè & ſine cuiuſquã iniuria gloriari poſſumus, duabus præcipue laudibus homines noſtros, poſt Chriſtum natum, ſupra cæteras gentes perpetuò floruiſſe, quod & Chriſtianæ religionis non conſeruandæ tantùm, ſed etiam propagandæ ſtudioſiſſimi, & ad accipienda omnia Regum ſuorum imperia paratiſſimi ſemper fuerunt. Omnes autem illarum peſtium conatus eò dirigebantur, vt & à Deo, & à Rege abductam Galliam, earum, quas dixi, laudum vtroque ſpoliarent. Quòd ſi vtrumque conſequi ac perficere non poſſent, certè quidẽ vt eam à ſummorũ Pontificum cultu, & à Romanæ ac catholicæ eccleſiæ communione diuellerent. Hoc præcipuè imbiberant: hoc ſpectabant hæc eis à principio mens

Duæ laudes præcipue Gallorum.

Scopus hæreticorum.

hoc conſilium ac propoſitum fuit. Neque verò diſſimulanter ferebant, conquieturos ſe, & vt prius Regis imperio parituros, dum Romani Pontificatus auctoritas è Gallia tolletur. Quinetiam ſi ſe Rex ab hac ſancta ſede diſſociare vellet, promptam ei & facilem viam ad fines regni proferendos, & ad finitimas prouincias ſub imperiũ ſuũ ſubiungendas oſtentabant. Sed magnus & à natura ipſa ad honeſtatem conformatus animus nec aſperitatibus terreri nec vlla vtilitatis ſpecie à recto auocari poteſt. Rex fortiſſimus & maioribus ſuis digniſſimus, qui PIETATIS AC IVSTITIAE gloriam ita etiam puer adamaſſet, vt ipſis earum virtutum nominib. quaſi pro ſymbolo vtatur, omnia ſibi prius perferenda ſtatuit, quàm quidquam committendum, quo earum alterutra vel minima ex parte violari videretur. Repudiatis igitur omnibus improborum conſilijs ac ſuaſionibus, magno ille quidem cum dolore ac cruciatu animi, ſed tamẽ, vt qui corruptas ac vitiatas corporis ſui partes, alijs omnibus fruſtra tentatis, vrunt poſtremò, aut ſecant, ne earum contagio cæteris obſit:

Iuſtitia Caroli ix ſimbolum

obſit: cùm iam in lenioribus remedijs nulla ſpes eſſet, ad acriora deſcendere, & vim quodammodo viſcerib. ſuis inferre coactus eſt. Inteſtinum ac domeſticum bellum, in quo omnia, quæ cogitari poſſunt miſerrima, inſunt, neceſſariò ei aduerſus ſuſcipiendum ac regendum fuit: & ruina reſtinguendus ignis, ne tota Gallia eodem incendio conflagraret. Commiſſa multa prœlia: multa cæſa hominum millia: ſæpe fuſi ac profligati hoſtes. Rex tamen clementiſſimus, & ſuos, ſi qua ratione poſſet, prolatando potius ad ſanitatem perducere, quàm delere ac perdere cupiens, eis conditionibus acquieuerat, quas ęquiſſimas etiam iniquiſſimi iudicarant. Pacata ac compoſita omnia videbantur: iámque ſpes erat, plerôſque ex illis miſeris agnituros errorem ſuum, & ad eccleſiæ gremium ſuapte ſponte redituros: Cùm illi patriæ prædones, ac parricidæ, qui totam propè Galliam in ſepultis ſuorum corporibus obruerant, quáſique ſepelierant, quorum ipſi gladij aſſuefacti trucidandis inſontibus, aſſiduè cædē ſanguinémque ſitiebant, parum ſe anteactæ vitæ reſponſuros, iudica

Inteſtinū bellum miſerrimum.

Caroli ix clementia in ſuos.

Hæreticorum crudelitas inexplebilis.

iudicarunt,niſi palmas illas, quarũ adhuc cruda & recens memoria erat,noui ſceleris acceſſione cumularent. Agebant illos præcipites, & ad ſupplicium rapiebant pœnæ eorum,quæ tam multa aduerſus Deum & homines impiè nefarieque commiſerant: ijs illi agitati,& à mente conſilióque deducti, veriti nõ ſunt aduerſus illius Regis caput ac ſalutem coniurare,à quo poſt tot atrocia facinora non modò veniam cõſecuti erãt,ſed etiam benignè & amanter excepti. Qua coniuratione ſub id ipſum tempus, quod patrando ſceleri dictum ac conſtitutum erat, diuinitus detecta atque patefacta,conuerſum eſt in illorum ſceleratorum ac fœdifragorum capita,id quod ipſi in Regem & in totam propè domum ac ſtirpem regiã machinabantur. O noctem illam memorabilem & in factis eximiæ alicuius notæ adiectione ſignandam, quæ paucorum ſeditioſorũ interitu Regem à præſenti cædis periculo,regnum à perpetua ciuilium bellorum formidine liberauit. Qua quidem nocte ſtellas equidem ipſas luxiſſe ſolito nitidius arbitror: & flumen Sequanam maiores

Hæretici in Regem Lutetiæ coniurãt.

Hæreticorum nocturna cædes Lutetiæ.

ıdas voluiſſe,quò citius illa impuro-
ım hominum cadauera euolueret &
zoneraret in mare. O fœliciſſimam
ıulierem Catharinam Regis matrem,
uę cùm tot annos admirabili pruden-
a pariq́ue ſolicitudine regnum filio,
lium regno conſeruaſſet,tum demum
ecura regnantem filium aſpexit:O Re-
ȝis fratres ipſos quoque beatos : quo-
um alter,cum,qua ętate cęteri vix ad-
ıuc arma tractare incipiūt,ea ipſe qua-
ter commiſſo prælio fraternos hoſtes
fregiſſet ac fugaſſet,huius quoque pul-
cherrimi facti præcipuam gloriam ad
ſe potiſſimum voluit pertinere : alter,
quanquam ætate nondum ad rem mi-
litarem idonea erat, tanta tamen eſt
ad virtutem indole, vt neminem niſi
fratrem in his rebus gerendis æquo a-
nimo ſibi paſſurus fuerit anteponi. O
diem denique illum plenum lætitiæ &
hilaritatis ,quo tū , Beatiſſime pater,
hoc ad te nuncio allato , Deo immor-
tali , & diuo Ludouico Regi,cuius hæc
in ipſo peruigilio euenerant,gratias a-
cturus , indictas à te ſupplicationes
pedes obijſti : Quis autem optabilior
ad te nuncius adferri poterat ? aut nos
ipſi

Reginæ matris fœlicitas.

Dux is Andegauēſis fortitudo.

Dux Alēconius.

ipſi quod fœlicius optare poteramus principium Pontificatus tui, quàm vt primis illis menſibus tetram illam caliginem, quaſi exorto ſole, diſcuſſam cerneremus? Hoc ille nobis portendebat ac præſignificabat diſſectus draco gentis tuæ, Beatiſſime pater, nobiliſſimum ac pulcherrimum inſigne: fore vt immanis ille draco, aut illa potius multorum capitum hydra, quæ nõ paludem aliquam Lernæam, ſed potẽtiſſimum & opulentiſſimum regnum tam diu obſederat, te Põtifice diſſecaretur. Nunc igitur contemplare, quæſo, animo nouum illũ Dauidem, cæſi ac proſtrati Gygantis ſpolijs ac ſanguine decorum: eúmque hilari vultu ad genua tua prouolutum, ita tecum loqui exiſtimato. Ego pater ſanctiſſime atque optime, cùm maiores meos, maximos & potentiſſimos Reges, accepiſsẽ omnes vſque à Clodoueo in ſinceritate atque integritate religionis Chriſtianæ, ne vno quidem excepto, plus mille annos firmè ac cõſtanter perſtitiſſe: eoſdẽque præcipua quadã erga ſedem Apoſtolicã obſeruantia, periculiſque ac laborib. pro illius defenſione aditis, & illud, quo nullum

Inſigne Põtificis.

Proſopopeia Caroli 9. Põtifici obedientiam præſtãtis.

illum pulchrius eſt Chriſtianiſſimo-
m nomen,& primarium inter Reges
cleſiæ filios locũ conſecutos: ſtatim
)uero illud mihi propoſui,vt eos po-
is,aut adæquare,aut etiã,ſi fieri poſ-
;,ſuperare contenderem,quàm com-
itterem,vt non ſatis reſpondere tra-
tæ mihi ab illis gloriæ iudicarer. Ita-
ie & Pium Quintũ dum inter homi-
s fuit,ſãctiſſimè ac religioſiſſimè co-
i: & eo ad meliorem vitam vocato,
m primùm audiui te in locum illius
ſe ſuffectum, tanto gaudio affectus
m,quantum percipi,aut cogitari ma-
mum poteſt. Multa enim iampridem
: tuis in omni genere præclaris vir-
tibus audiueram, quæ te iſto hono
; ampliſſimi faſtigio digniſſimũ red-
diſſent. Prudentiam, quam nihil fal-
re: iuſtitiam, quam nihil inflectere:
lem & conſtantiam erga amicos,
iam nulla temporum aſperitas im-
inuere, aut labefactare potuiſſet. In
lendo Deo pietatem ſine ſimulatio-
::in regendis hominibus ſeueritatem
ıe ſuperbia :in adminiſtrandis nego-
s & ſine feſtinatione diligentiam,
ſine tarditate grauitatem. Mouit
etiam

Pontificis laudes.

Optimi Pontificis informatio.

etiam mē ſubita illa totius Cardinaliū Collegij in decernenda tibi ſumma po teſtatē conſenſio: quæ neque ſine certa & explorata opinione virtutis tuæ, neque ſine ſingulari diuinæ prouidentiæ afflatu potuit contigiſſe. Magna me ſpes tenet, fore, vt ſub tali Ponti fice in ouile Chriſti gentes, & quæ veram religionem nondum acceperunt, aggregentur: & quæ ab ea deſciuerunt, denuo congregentur. Quam ad rem perficiendam omnes meas & regni mei opes tibi libentiſſimè defero, ea fide, quam rebus in regno meo geſtis ſatis iam & tibi, & vniuerſo orbi, vt arbitror, approbaui: ſimulque tibi & Apoſtolicæ ſedi, quam debeo obedientiam præſto atque exhibeo, & præſtiturum atque exhibiturum in perpetuum ſpondeo. Neque dubito fore, vt à te viciſſim quæcúnque ad meam & regni mei dignitatem pertinebunt, non tantùm intacta & inuiolata conſeruentur: ſed etiam, vbi occaſio tulerit, augeantur. Hæc, quæ tibi Rex ipſe, Beatiſſime pater, præſens dicere cuperet: quia id non poterat, per hunc illuſtrem virum Nicolaum Rambolleti dominum, equitem

Conſenſus Cardinalium in Gregorio deligendo

Nicolaus à Rambolleto.

m ordinis regij, vnum ex intimis cõ liariis ſuis, cuſtodiarum ſuarum præ- ctum, Caroli Cardinalis Rambolle- j fratrem & natura & virtute germa- um, ſignificanda cenſuit. Quanquam nim facilè intelligebat, hæc eadem te x præſtanti viro, paríque dignitate pr lito Frãciſco Barone Feralio Oratore ud te ſuo cogniturum: non tamen ſi bi viſus eſt ſuam in te colendo pieta- em ſatis declaraturus, niſi huius rei auſa propriam ad te legationem de- ſtinaſſet.

Legatus Regis ad Pontificẽ

Frãciſcus Baro Ferralius Regis Orator.

DIXI.

ORATIO VIGESIMATERTIA HABITA ROMAE ANNO M. D. LXXVI.

In funere Caroli IX. Gallorum Regis.

HOc igitur vnum reſtabat afflictis ac penè proſtratis infelicis Galliæ rebus, vt Carolus Rex, quo ſe illa recreabat ac ſolabatur vno, de quo cogitans in quem intuens, omnium quas excepit acerbitatum memoriam deponebat, cùm bonorũ animos ad ali-

Ex abrupto exordio cõmiſeratione mouet & eſt πάθος

quam ſpem quietis erigere cœpiſſet, in ipſo ineuntis adoleſcentiæ flore, acerba atque immatura morte raperetur? O fallaces hominum ſpes, ô incerta vota, ô lubrica & ancipitia humanæ vitæ curricula. Meritò lachrymis oculi omnium madent: meritò omnia planctibus gemitibúſque circumſonant: meritò vndique querelæ & lamentationes exaudiuntur. Tu ipſe Beatiſſime pater, cuius & in proſperis rebus ſpectata moderatio eſt, & in aduerſis animi magnitudo, in tanto caſu cohibere dolorem non potes: quáſque lachrymas, grauitas, & conſtantia retinere ac frænare cõſueuerat, eas nobiliſſimi omnium regni miſeratio, & paterna charitas elicit. Planéque aliis in rebus quærenda eſt fortitudinis ac conſtãtiæ laus in tam graui vulnere, tã dubiis ac formidoloſis Chriſtianæ Reip. temporibus accepto, immanis quædam duritia eſſet, non flere, non ingemiſcere, non cõmoueri. Qualem enim, quantúmq; Regem, & quanta, non dicam indole, quo tamen in homine adoleſcente ſatis eſſe videretur, ſed quanta omniũ regiarum virtutum copia præditũ amiſimus?

Ἐπιφώνημα. Cum ſumma acerbitate.

Caroli Regis mors reip. Chriſtianæ grauiſſima.

mus?Quem cùm diuina 'prouidentia
nnos natum non amplius decem , in
lo celſiſſimo maiorum ſuorum ſolio
ollocaſſet:quãtas ille iam tum, quàm-
ue crebras,in illa ætate,quæ nihil co-
itare,nihil loqui, niſi leue ,ac ludicrũ
olet, inuſitatæ cuiuſdam & inauditæ
rudentiæ ſignificationes dedit:Incre-
ibile dictu eſt,quàm ſæpe ille in deli-
erationibus publicis ſapientiſſimorũ
num ſententiæ puerulus anteuerte-
t quæque illi dicere in animo habebãt
a prior ipſe protulerit:nemo vt eſſet,
ui nõ, tanta annorum immaturitate, Caroli
nta mentis & conſilij maturitas diui maturi
um potius quiddam , quàm humanũ tas con-
ideretur. Eſt certè eſt aliqua vis origi- ſilij.
is ac ſanguinis:quóſq;magnis ac no-
ilibus populis rectores deſtinauit præ
otens ille rerum omnium moderator
eus,in eis plerumq; virtus nõ expe-
tat ãnos: ſapientiæq́ue ſemina in eo-
am animis & comprehendunt faci-
us , & tempeſtiuius adoleſcunt. Iam
uæ laus in filiis præcipua eſt, reueren
a aduerſus parentes,& eorum præce-
tis ac monitis obtẽperatio , ea ille ita
ræſtitit, vt nunquam omnino neque

priuatis,neque publicis in rebus volũtas ipſius à ſapientiſſimæ matris conſilio diſcreparit. Quid?in fratres quanta quámque ſe omni ex parte prodens charitas? Quod & ſemper aliàs cognitũ eſt,& proximè cùm ab HENRICI Regis in Poloniam proficiſcentis amplexu auelli non poterat, ſéque à vita relinqui,quòd ab eo relinqueretur putabat. De pietate autem in Deum, & de ardentiſſimo ſtudio,quod ſemper habuit conſeruandæ ac propagandæ catholicæ religionis, quid ego nunc plura prædicem,aut quid res in omne æuum omnium ſcriptorum ingenia fatigaturas exornare in hac mediocritate ingenij, & in his temporis anguſtiis coner? Cui enim ignotum eſt, aut cui notius, quàm tibi, Beatiſſime pater,vobiſque omnibus Patres ampliſſimi,quos ille labores pertulerit, quibus difficultatibus conflictatus ſit,quæ pericula ſubierit, quibus damnis ſe regnúmque ſuum ſponte multauerit, dum quiduis ſatius eſſe ducit, quàm vt quidquã in Gallia,ſe viuo,de Chriſtianæ religionis integritate minueretur? Qui quot annos regnauit, totidem

Religiouis in Carolo teſtis Gregori⁹ 13. Pont. Max.

conti

continenter pro fidei defenſione pugnauit. Etenim tetra illa natio perditorum ac profligatorum hominũ, qui ſtaudibus ac mendaciis ſuis nuper delapſæ do cælo & ſibi ſolis perfectæ veritatis nomen obtendunt: qui, quod ad legem Dei cupiditates ſuas dirigere grauantur, legem Dei ad cupiditates ſuas detorquere conantur: quoniã cõſpirationes ſub Henrico II. initæ, ſub Franciſco II. leuiter patefactæ, ſuſceptis à CAROLO regni habenis, apertè ſe ac propalám effundentes, florentiſſimũ, dum per illos licuit, Galliæ regnum omni ſcelere ac crudelitate, lacerarunt, non tam id agebat, quanquam id quoque, vt Regiam auctoritatẽ cõuelleret, quàm vt regnum ab eccleſiæ communione diuelleret. At ille generoſi ſeminis adoleſcens, qui amore Dei & eccleſiæ cum ipſo nutricis lacte ſuxiſſet, totáq; mente penitus cõbibiſſet, articulatim ſe prius concidi ac cõminui paſſus eſſet, quàm á recta illa regula patriæ & auitæ religionis abduci. Itaque dũm purgare regnum ſuũ illis peſtibus nititur, dum illius hydræ & in ſuam & aliorum perniciem contumacis aſſi-

Caluiniani ſibi ſolis veritatem maniſ. ſtã contendunt.

Regis Caroli pro religione conſtãtia

duè renaſcentia capita amputare conatur: quatuordecim, tot enim regnauit, annos in perpetuis bellorũ fluctibus, & in perpetua regni ac vitæ ſuæ dimicatione tranſegit. Vt, niſi pulcherrimum illud CHRISTIANISSIMI cognomen à maioribus ſuis hæreditarium accepiſſet, id ipſe ſibi poſteríſque ſuis ſua virtute peperiſſet. Quinetiam cùm capitales quidam ac nefarij homines dicerent, facilem ei eſſe & expeditam viam non modò ad pacandum regnum ſuum, ſed etiam ad fines illius ſine vllo labore amplificandos ac proferendos, ſi remittere aliquid de tanto illo vetuſtæ religionis cõſeruãdæ ſtudio vellet: magno animo aduerſatus ac deteſtatus illorum conſilia, omnes ſibi coronas, omnia regna, omnia imperia ſordere dixit præ illa immortalitatis corona, quam ſibi in cælo repoſitam eſſe confideret. Cúmque eum exaggerãda hoſtium multitudine ac viribus per terrefacere vellent: Dominus, inquit, dominus ipſe eos interficiet ſpiritu oris ſui. Propè ſuperuacaneũ videri poteſt, cũ de tam Chriſtiano Principe verba faciam, quanta illius erga ſedẽ Apoſtoli

Caluinianorum ad Carolum nefarium conſilium

Caroli ſententia prophetica.

ſtoli

ſtolicam obſeruātia fuerit,dicere. Quò enim quiſque Chriſtum ipſū ſanctius & religioſius colit,eò ſtudioſius & magis ex animo Vicarios ipſius colat,ne ceſſe eſt. Quo modo ille de Pio V. cu ius,memoria in benedictione eſt,& ſentiebat,& loquebatur? Quē ſibi non hominem, ſed angelum quendā humana inter mortales ſpecie verſantem videri dicebat: cuius monitus tanquam cœleſtia quædam oracula reuerebatur. Nam de te Beatiſſime pater, qui ſucceſſor illius omnium votis expetitus, diuino conſilio delectus, tam ſubita, támque admirabili totius ſacroſancti Collegij conſenſione declaratus es, quàm magnificè in omni ſermone prædicare ſolitus eſſet,dicerem:ſi,quā faci le præſtas,vt ab omnibus vno ore lauderis,tam libenter eos,à quibus laudaris,audires. His ille artib. ita ſibi bonorū omniū animos voluntatéſque deuinxerat,vt quāquā ex eius ætate & tē peratione corporis probabiliter, ſperare poterāt,diu ſe illius virtute fruituros, cuperēt tamē omnes,ſi fieri potuiſſet, partē aliquā vitæ ſuæ cōferre ac cōtribuere,& ānis ſuis vitā illi⁹ prorogare. Sed

Caroli de Pio 5. elogium.

Gallorum omnium amor in Carolum

nihil in humanis rebus firmum, nihil ſtabile, nihil diuturnum reperiri poteſt. dum condocefacere nos vult Deus, terrã nobis, nõ pro domicilio, ſed pro diuerſorio datam: hanc, quæ vita dicitur non tam vitam eſſe, quàm iter ad vitã: in cælo, non in terra, nobis eſſe ſpem defigendam ac collocandam: agitat omnia arbitratu ſuo, &, quæ ſolida ac firmis nixa radicibus putantur, ea momento temporis vertit. Cùm vexata tot calamitatibus Gallia paulum tolleret oculos, & Dei ac Regis ſui perduellibus partim fractis ac domitis, partim captis ac comprehenſis, tandem aliquando ſe poſt tot mala reſpiraturã ſperare inciperet: ecce tibi lenta & omnem fallens medicorum induſtriam febris, vires adoleſcentis immortalitate digni, & nati ad relinquendum omnibus bonis perpetuum deſideriũ ſui, ita paulatim attriuit ac labefactauit, vt ad poſtremùm ineuitabilem ei attulerit ex hac vita migrandi neceſſitatem. Quod vbi percrebuit, qui tum plangor omnium, quæ complorationes, quæ lamentationes fuerunt? Alius ſibi ſcindebat capillum, alius lacerebat genas,

Matutina Lutetiana.

Lenta febre interiit Carolus.

nas, alius pectus & humeros crebris ictibus verberabat: alij interire amores ac delicias Galliæ, alij cadere columen religionis, alij catholicorum præſidium deiici, alij alia, quæ diuerſis diuerſa non diuerſus ſuggerebat dolor, miſerabiliter querebantur. Ipſe imus interritus, & æquiſſimo animo exitum diuinæ voluntatis epectans, cùm matrem, vxorem fratrem, cæteróſque propinquos ad ſe conuocari iuſſiſſet: primùm quidem ſacramenta, quibus morituri præmuniri & Deo conciliari ſolent omnia & popoſcit, & magna cum animi ſummiſſione ac diuinæ maieſtatis veneratione ſuſcepit: deinde verò conteſtatus, eò tantùm ſibi moleſtam eſſe mortem, quò fratrem ſuum tum Poloniæ, mox etiam Galliæ Regem futurum, moriens complecti non poſſet: cæteròque gaudere ſe, quòd tātum ſucceſſorem habiturus eſſet, cuius ſingulari & tot iam documētis cōprobata virtute, non dubitaret fore, vt res Gallicæ fœliciter componerentur: interea obteſtari, atque obſecrare matrem, vt regni gubernacula ſuſciperet, quáque prudentia regnum ſibi

Tituli laudum Carolo à Gallis tributi.

Henrici noſtri virtus à Carolo laudata.

tot annos cõſeruaſſet,eadem fratri ſuo conſeruaret:ſeſe iam tunc omnem poteſtatẽ regiã in eã,vſque ad fratris reditum,trãsferre:hortari cæteros, vt ipſius primũ,deinde fratris,cũ reuertiſſet imperio amãter ac fideliter obtẽperarent:præcipuè,autẽ,ne quidvnquã prius,aut antiquius haberẽt cõſeruatione catholicæ religionis:ex ea bona omnia fluere:ea neglecta collabi ac concidere oĩa.Sed iã valete,inquit,& mei memores eſte:ego enim ad Deũ vocor:quẽ vt æquiorẽ ac placabiliorẽ peccatis meis iudicẽ experiar,veſtris me omniũ adiuuari precibus poſtulo.Hęc fatus, deficiẽte iã & moribunda voce,tuũ Chriſte Ieſu nomen inuocans, tuam ſanctiſſima virgo apud filium opem implorans,ad vos, vt confidimus euolauit.Ac, ſi quidem ipſum ſpectemus,gratulari ei potius quã lugere debemus. Regnum enim terreſtre cęleſti, laborẽ quiete, mortalitatem immortalitate mutauit.Quod mortuus eſt, humanæ fragilitatis eſt:quòd ita mortuus diuinæ cuiuſdam fœlicitatis.Bonum certamen certauit,curſum cõſummauit, fidem ſeruauit. Aut iam coronauit eum

Regis moribundi extremũ vale & deuotiõis ardor.

Totius vitæ compẽdium.

Deus

Deus,aut breui,tuis Beatiſſime pater,& totius eccleſiæ precibus adductus, coronabit corona iuſtitiæ,quam promiſit diligentibus ſe.At illã tot Regũ matrẽ toties iam cuſtodem ac conſeruatricẽ,regni,ipſa ſua fœlicitate miſerandã quo nunc,quo tandem eſſe animo creditis?Quæ ex ſũmis honoribus sũmos dolores cõſecuta,ter iã,& in viro & in duobus filiis mortua,vitæ ſuæ ſuperſtes,toties ore ſuo eorũ clauſit oculos,à quibus claudi cupiebat ſuos: tam ſæpe eis officia præſtitit, quæ ſibi ab eis præſtari maluiſſet.Quid illa fortiſſimarũ domina gentiũ Gallia? quę ſibi eodẽ funere cũ Rege ſuo efferri viſa eſt quę iacet adhuc perculſa & attõita tãto vulnere,metuẽs,ne illius atrocitate, etiam illa,quæ cõſenuiſſe videbantur,recrudeſcant.Proh,Deus optime maxime etiam cùm vlciſceris,benefice :etiã cũ pœnas exigis miſericors: quibus tam grauibus culpis tam diuturnam in ſe iram tuam Gallia prouocauit?Quatuordecim iam anni ſunt , & eò amplius, cùm illud potentiſſimum & memoria noſtra florentiſſimum regnum perpetua bellorum ciuilium ſerie ita & ab

Quãtus in funere Regis Galliæ luctus.

alienis

alienis & à ſuis vexatur, ac diripitur, vt de eo iam dici poſſit, quod ſcriptũ eſt apud prophetam: Reſiduum erucæ comedit locuſta: & reſiduum locuſtæ comedit bruchus: & reſiduum bruchi comedit rubigo. Atque vt magis intelligatur, id diuina vltione fieri, quoties inibi eſſe videtur, vt iam iámque componantur ac tranquillentur omnia, in ipſo vt ita dicam, portu frangitur nauis. Properârat HENRICVS II. pacẽ cum PHILIPPO Rege catholico quibuſlibet conditionibus facere, vt, expeditus belli curis, huius mali naſcẽtis ſemina elideret. In ipſo eius rei conatu ac molitione, inopinata morte ſublatus eſt. Sub FRANCISCO II. conſpiratione detecta, ſpes obiecta erat fore, vt paucorum ſupplicio, cæterorum audacia in perpetuum reprimeretur. Antè ipſe mortuus eſt: quàm de ſontibus comprehenſis ſupplicium ſumeretur. Nunc nuper eò rem perduxerat CAROLVS IX. vt omnes inſtare finem malorum exiſtimarent. Aliter Deo viſũ eſt: qui HENRICO III. Galliæ & Poloniæ Regi, quem tã multis támque illuſtribus argumentis ſibi chariſſi-

Eſaiam.

Tumultus ambaxianus.

charisſimum eſſe declarauit, hanc fœlicitatem, vt ſperamus, reſeruare maluit. Neque dubium eſt, hoc ita euenturum ſi omnes nos à vitiis noſtris auerſi, quę Dei placandi certiſſima ratio eſt, tota mente conuertamur ad Deum, eúmq; aſſiduè obſecremus, vt compeſcat iram ſuam: & quando CAROLVM in ſinum, vt ſperamus, ſuũ excepit, HENRICI III. ductu, ſub GREGORIO XIII. raptores quidem lupos interfici, oues autem, quæ aberrarunt, in ouile ſuum reduci velit. Ita eueniat, ita eueniat, domine Ieſu, cui laus omnis & gloria debetur in omnem æternitatem. *Cõcludit per obſecrationẽ.*

DIXI.

M. ANTONII MVRETI, PRESBYTERI, I. C. ET CIVIS R. ORATIO AD S. D. GREGORIVM XIII. P. M. HABITA NOMINE HENRICI III. GALLIAE ET POLONIAE REGIS.

GRatus quidem, ac iucundus tibi eſſe debet, Beatiſs. pater, eorum omnium Legatorum aduẽtus, qui huc

à

à Chriſtianiſſimis Principibus mittun tur: tum vt tibi ſummum in terris honorem gratulentur: tum multó magis, vt ſe Chriſto, ac tibi, vt par eſt, obedire, manere in officio, perſtare in fide, & vires & copias ſuas ad Apoſtolicæ ſedis defenſiónem ſemper promptas, ac paratas & eſſe fore profiteantur. Nam & ex ipſa diuinitus tibi delata dignitate, maiorem à te capi iucunditatis fructum neceſſe eſt, cùm ea cæteros quoque lætari perſpicis: neque tibi, qui communis Chriſtianorum omnium pater es, vlla ex re verius ac ſolidius gaudium obiici poteſt, quàm cùm filios dignitatis tuæ ſtudioſos, authoritati tuę deditos, præceptis ac monitis tuis obtemperandi cupidos videas. Sed tamen omnibus ſeculis ea Gallorum Regum in Pont. Max. aſperrimis ac difficillimis temporibus promerita fuerunt, vt multis nominibus eorum & ſtudium atque obſeqiuum præcipua quadam charitate complectendum, & legati æquiſſimis animis audiendi, & dicta, factáque omnia ſingulari quadam paternæ voluntatis propenſione in optimã partẽ accipienda videantur. Quoties enim in hoc

Cur principũ Chriſtianorũ legati ad ſummum Pontificẽ mittantur

Chriſtianorũ communis pater ſummus Pontifex.

hoc ampliſſimo nobiliſſimóque conſeſſu Reges Galliæ nominantur, toties omnium animis memoria renouatur, & officiorum, quæ illi longè plurima, longèque maxima in hanc ſanctā ſedē contulerunt: & honorū quos ab ea viciſſim eximios pro ſua in ea eximia pietate retulerunt. Si quis autem Rex vnquā fuit, propter virtutis ac rerū geſtarū magnitudinē exquiſitiſſimis honoribus afficiendus eſſet: cùm ſciam núc in ipſo adoleſcentiæ flore HENRICVS III. Galliæ & Poloniæ Rex præbuit, nihil vt de eo tam honorificè dici poſſit, quin id iā pridem virtus ipſius in omni gene re ſpectata ſuperarit, Quò te libentius accepturum eſſe cōfidimus eā fidem, venerationem, obedientiā, quā talis tantúſque Rex hodierno die per clariſſimum & omni laude cumulatiſſimū virū Ludouicum Caſtanæū Ruſpipozeum, Equitem ordinis Regij, Oratorē ad te ſuum, tibi, Beatiſſime pater & ſedi Apoſtolicæ præſtat. Cuius enim Regis nomen à ſummo eccleſiæ paſtore, & gubernatore, audiri libentius debet, quàm eius, qui cum hæreditario iure principem inter Chriſtianos Reges locum

Gallorum Reges præter cæteros in ſedē Apoſtolicam affecti

Hērici Regis cōmēdatio.

Ludouicus Caſtaneus Ruſpipozeus Regis ad Pōtificem legatus.

locum maiorum ſuorum virtute partum obtineat, ita per eorum veſtigia graditur, vt quantùm ab eis omnibus ſplendoris accepit, tantundem ipſe vnus facilè afferat vniuerſis? qui cùm ad huc adoleſcentulus ac propè puer eſſet, ita ſçpe, ita fortiter, ita fœliciter aduerſus hoſtes eccleſiæ dimicauit, vt eorum aſtus conſilio eluſerit, temeritatẽ virtute domuerit, pertinaciam conſtãtia fregerit Quàm ſæpe eo ſibi per hoſtiles cuneos omnia ferro peruia faciẽte, ex hoſtium ipſorum tantæ támque præmaturæ virtutis admiratione defixorum manibus tela irrita ceciderunt? Quàm ſæpe cominus ab eis petitus, ita mirabiliter ſeruatus eſt, vt Deus ipſe ſua manu ictus in eum directos depellere, & tellis ac tormẽtis vim nocendi adimere videretur? At ille laudis & gloriæ cupidus, vitæ ac ſanguinis prodigus, Dei memor, immemor ſui, in victoria ſalutem, in virtute victoriam, in vita ob talem cauſam in omne diſcrimen exponenda virtutẽ poſitam iudicabat. Itaque cùm generoſiſſimi adoleſcentis non̄ iam prælia, ſed victoriæ ac triumphi numerantur, iamque

Henrici Regis fortitudo.

Henricus magnanimitas & virtus in victoriis parandis.

que totum terrarum orbem tam inuſitatę támque inauditæ virtutis fama peragraſſet: fortiſſima ac bellicoſiſſima Polonorum gens eum ſibi Regem concordib. ſuffragijs adoptauit. Quo ille nūtio abſtractus ab ingentibus, ac penè ad exitum perductis, liberandæ ac purgandæ Galliæ cœptis, in regnum virtuti ſuæ vltrò delatum proficiſcens, quacunque iter fecit, omnes & Principes & populos ſui amore & admiratione compleuit. Vix dum noui & à ſe expetiti Regis ſuauitatem Polonia guſtauerat, cùm ſecuta Caroli IX. Regis acerba, & perpetuis lachrymis proſequenda mors, res in Gallia cōponi cœptas, maioribus denuo procellis inuoluens, totius regni ſtatum in vltimum diſcrimen adduxit. Celeriter igitur è Polonia periclitantis & Regem ſuum implorantis patriæ voce reuocatus, cùm eaſdem illas diſſenſiones, quæ Galliæ regnum propè ſubuerterant, non modò non ſedatas, aut mitigatas, ſed auctas etiam ac corroboratas offendiſſet: corruptos ac deprauatos ob bellorum longitudinem mores: multorum animos, etiam ex ijs qui ſe catholicos eſſe pro-

Henricus Polonorum Rex electus.

Cur tam citiſſimè è Polonia redierit Henricus.

ſitebantur, ſtudio partiũ infectos: plena omnia licentiæ, plena rapinarũ, plena ſcelerum, plena hoſtium, & externorum & domeſticorum: eadem tamen qua ſemper fuerat animi præſentia, ac magnitudine: tuo etiam, Beatiſſime pater, & conſilio & auxilio fretus, bellum repetijt, ac redintegrauit: diúque viris equiſque, vt dicitur, tentauit efficere, vt vi & armis perdomita contumacium & regni perturbatorum ſuperbia, pax & quies tandem aliquando feſſæ tot calamitatibus Galliæ redderetur. Sed vt animaduertit, nihil ea ratione quã tam diu tenuerat proſici, ac potius & regno & religioni vehementer offici, quæ iam multis in Gallia locis labaſceret, à pleriſque etiam penitus exularet: interea vri ac vaſtari agros: oppida diripi: omnia itinera latronum ac prædatorũ cohortibus obſideri: regni vires quotidianis cædibus ac ſtragibus eneruari: opes immenſis ſumptibus exhauriri: innumerabilem vim teterrimorum facinorum in vtroque exercitu quotidie perpetrari: extremã cladem ac perniciem imminere, niſi maturè ſubueniretur: aliud ſibi conſilium neceſſariò capien-

Bella ciuilia iterata ſub Henrico.

Gregorius 13. conſuluit Henrico bellum in perduelles redintegrare.

capiendum iudicauit. Optimus ac mitiſs. Princeps, qui ſanare vellet ſuos, nō perdere, idem fecit quod prudētes medici ſolent: qui cum vſtionibus, ſectionibus, inedia, detractione ſanguinis, non morbum, ſed ægrotum ipſum cōfici ac profligari vident, ad aliam curandi rationem confugiunt: & fomentis ac remediis mollioribus, & victu paulò copioſiore indulgentes, malunt ægrotum cum aliqua parte morbi alere, quàm vtrumque ſimul è medio tollere. Maluit igitur & ipſe in tanto támque manifeſto interitus periculo, ei parti ſuorum quæ adhuc ſupereſſet ignoſcere, quàm committere: vt breui ne ſupereſſent quidem quibus ignoſceret. Cùmque cogitaret, illum ipſum rerum omnium præpotētem Deū multa tolerare quæ nō probet: ipſe quoque in tantis anguſtiis multa à quibus animo & voluntate longiſſimè abhorret, interea tamen ſibi toleranda eſſe ſtatuit, dum aliquid melius eueniret. Certè enim, Beatiſſime pater, fretus ea ſpe, quam in Deo primùm, deinde ex omnibus mortalibus in te potiſſimùm collocauit, melius aliquando fore

Cur Henricus pacē cū hoſtibus inierit.

Similitudo è medici ſumpta.

Henricus perduellibus regni ignoſcit.

confidit. Multa oratione conficiuntur, quæ ferro nunquã confici poſſent. Sæpe quos ſeueritas frangere non potuerat, clementia inflexit. Equi aduerſus frænum contumaces, interdum ceſſore habenas remittente conſiſtunt. Multi qui terrore & malo domari non poſſunt, indulgentia & facilitate miteſcunt. Pugnabitur aduerſus eos qui à nobis diſſident precibus aſſiduis & priuatim & publicè ad Deum fuſis. Piorum & eruditorum concionatorũ vox, præcipuum inſtrumentum Dei ad inſerendam in animis hominum fidem, quæ in pleriſque Galliæ partibus armis oppreſſa conticuerat, liberè iã toto regno audietur. Licebit impia & peſtifera dogmata rationib. & argumentis confutare ac redarguere: vera ac ſalutaria confirmare & conſtituere. Catholicæ religionis vſus & exercitatio, quæ multis ex locis indigniſſimè ſublata & expulſa erat, reſtituet ac renouabitur. Dabit à noſtris opera, vt vitæ ac morũ ſuorum exemplo ad bonas partes alliciant, & ad ſanitatem perducant eos, quos armorum vis magis ac magis vſq; adhuc effrænauit. Rex ipſe vnà cũ

Pacis mitæ commoda conſequutura.

fratre

fratre,forti ac ſtrenuo,ac catholicæ religionis ſtudioſiſſimo Principe, cōcordib. ac conſociatis animis enixè omnia facient, quæ ad errores ex animis ſuorum euellendos accommodata eſſe arbitrabuntur. Catharina Regum mater,ſumma prudentia & conſilio prædita mulier,& liberorū amans vltra conſuetum matribus modum,cuius è ſinu pax hæc prodijt,cuius præcipuè opera & laboribus conflata & conciliata eſt, omne ingenium,quo plurimùm valet, omnémque authoritatem ſuam conferet ad filios in fraterna concordia perpetuò continendos,& ad populos eiuſdem religionis communione deuinciendos.

Inter Regem & fratrem beneficio pacis concordia futura. Regina huius pacti effectrix.

Rex quidem ipſe,quod maximi momenti eſt,non tā nomine,quàm re & animo, & tota viuendi ratione Chriſtianiſſimus, vitā ſibi potius eripi patietur, quàm fidem:neque vnquam degenerabit à maiorum ſuorum nota teſtataque virtute: & quā tibi,Beatiſſime pater,ac ſedi Apoſtolicæ,verè atque ex animo obedientiam præſat, eam ſe conſtantiſſimè præſtiturum vſque ad extremum ſpiritum pollicetur.

Regis in fidem Chriſtianam propenſus animus; atque conſtantia.

M. ANT. MVRETI

HABITA IN CONSISTORIO PVBLICO LVDOVICO CASTANAEO RVSPIPOZAEO, EQVITE ORDINIS REGII, VIRO ILLVSTRI, REGIS NOMINE OBEDIENTIAM PRAESTANTE.

XIII. CAL. QVINT. A.M.D.LXXVI.

M. ANTONIVS MVRETVS AVDITORIBVS SVIS.

CVm hunc Ariſtotelis librum vobis explicaturus eſſem, multis de cauſis mihi faciendũ putaui, vt eum prius Latinè à me conuerſum ederé. primùm quoniam etſi in cæteris libris explicandis conatus eram efficere, vt ne ij quidẽ qui Græcarũ literarum rudes ſunt, aditum ſibi ad me audiendũ peregrinitate ſermonis occluſum eſſe quererẽtur, nõ obſcuris tamen multorum ſermonib. aures meæ quotidie verberabantur, cõquerentium, crebro illo vocum Græcarum interiectu retardari intelligentiam ſuam

ſuam planiora ſibi multò,& expeditiora omnia fore,ſi Latinè dicerentur. horũ igitur ſtudio aliquid tribuendũ eſſe duxi,deinde ſubmoleſtũ ipſi mihi nonnunquã erat,verũ vt fatear,tantũ quotidie operæ ac tẽporis in reddendis ſingulis vocibis ponere ; vt mihi quoque ſatius videtur,ſemel illo labore defungi. Nã cùm ſingulæ diſputationes noſtræ in vnius horæ curriculũ cõcludantur,ex eoq́;ipſo aliquid ſæpe,multis occaſionib.delibetur , ac detrahatur ,adhibenda parcimonia eſt,videndumq́ue omni ſtudio , vt id ſaltem quod datur, quã poſſumus optimè & vtiliſſimè collocetur. Iam è tam breui tempore non multũ poteſt tractandis reb.relinqui , ſi aliquid ex eo ſingula verba decerpant. Præcipuè autem hic liber propter mirificam quandam rerum ac ſententiarũ ſubtilitatẽ poſtulare quodãmodo videbatur,vt quo liberiores animi noſtri totos ſe ad eas penitus cognoſcendas darent,illa altera pars laboris & vobis & mihi demeretur. Fuère aliæ huius mei conſilij cauſæ,quas nihil neceſſe habeo pluribus perſequi. Dedi autem operam quantũ quidem in me fuit,vt Ari-

ſtotelis non ſententiã modò exprimerem, ſed genus ipſum dicendi, quoad liceret, imitarer. Nam cùm ſuo quiſque modo, & loquatur & ſcribat, aliosq́ue anguſta, preſſa, conciſa, alios ampla, copioſa, redundans delectet oratio: nõ ſatis probo conſilium eorum, qui, cùm Ariſtoteles ſiccitatem quandam tenuitatemq́ue dicendi, contrà Cicero copiam & vbertatem adamauerit, neque quidquam tam diſſimile ſit, quàm eorum inter ſe dicendi genus. Ariſtotelẽ tamen interpretantes, quia ſe, quàm poſſunt Ciceronis ſimillimos eſſe cupiunt, quæ ab illo & breuiter, & ſubobſcure dicta ſunt, ea huius more dilatant, atque diducunt. Sed ſuum cuique, vt dicitur. Ego an, quod volui, aſſecutus ſim, neſcio, cur potius id non aſſecutum eſſe me, ſcio: certe quidem, quod in hoc genere optimum eſt, id me ſecutum eſſe, ac propoſitum habuiſſe confido. Neque damno induſtriam eorum, qui aut ante me, aut poſt me (ſi huidem iam duodecim anni ſunt, cùm quius libri interpretatio mea primùm edita eſt) in his rebus Latinè tractandis elaborarunt: quorum etiam quidam

auxilo

auxilio ad eam rē meo vſos eſſe ſe,non diffitentur. Neque tantùm,vt ille dixit, poſterior dies prioris diſcipulus eſt,ſed etiam magiſter. Multa aliter olim accipiebam, aliter hodie accipio: Græcos etiam libros multò pluribus locis deprauatos eſſe video,quàm tunc arbitrabar.Itaq; neceſſe eſt,multa longè ſecus in eorum interpretationibus, quàm in mea, legi.De quibus non intelligentes modò,ſed etiam eos, qui ſibi tales videntur, quorum omnis ætas magnam copiam extulit,iudicaturos eſſe proſpicio.Horū ego neque alteros reijcio,neque alteros extimeſco, eſt eiuſdem ingenij,& eruditorū admonitiones amare, & indoctorum maledicta contēnere.Vbi,& cur à cæteris diſſenſerim,vos quidem quotidie ex meipſo,cæteri autem ex commentario, quem cùm primum licebit,edituri ſumus,intelligent, Romæ Cal. Martij,Anno 1565.

ARISTOTELIS ETHICORVM AD NICOMACHVM LIBER QVINTVS, IN QVO DE IVSTITIA ET IVRE ACCVRATISSIME DISPVTATVR.

M. Antonio Mureto interprete.

Cap. 1. De iuſtitia iniuſtitia, & modis iniuſti.

DE Iuſtitia autem & iniuſtitia quęrendum eſt: tum cuiuſmodi in actionibus ſitæ ſint, tum cuiuſmodi mediocritas iuſtitia, & ius quarum rerum medium ſit. In his autem rebus exquirendis eandem viam rationémque teneamus, quam in ſuperioribus ſecuti ſumus. Videmus igitur omnes iuſtitiæ nomine eiuſmodi quendam habitum ſignificare velle, quo homines propenſi ſunt ad agenda quæ iuſta ſunt, quoque ea & agunt, & volunt, codémque modo iniuſtitiam dicere habitum quo res iniuſtas & agunt & volunt. Quocirca nobis quoq; principio poſita ſint hæc ad naturam vtriuſque abumbrandam. neque enim eodem modo ſe res

Deſcriptio iuſtitiæ.

habet

habet in ſcientijs facultatibusque & in habitibus:nã facultas quidem & ſcientia videtur eadem contrariorum eſſe:at non idem habitus contrariorum. exẽpli cauſa, à bona valetudine ea tantùm efficiuntur quæ ipſi conuenientia ſunt, non etiã quæ contraria. Dicimus enim valẽter ambulare aliquem, cùm ita ambulat, vt is qui bene valet. Sæpe igitur contrarij quidem habitus ex contrario, ſæpe etiam ipſorum habituum ex reb. quæ eis ſubiectæ ſunt cognitio capitur. Nam etſi bona corporis habitudo nota ſit, mala quoq; nota ſit:&ex bene habitis corporib. bona corporis habitudo, ex ipsáq; viciſſim bene habita corpora. Si enim bona habitudo eſt carnis ſoliditas: malum eſſe carnis raritatem neceſſe eſt, & bene habitũ id, quod habet vim efficiendæ ſoliditatis in carne. conſequitur autẽ plerumque, ſi altera plurib. modis dicantur, vt& altera quoque. Vt ſi iuſtum, etiã iniuſtũ. Videtur autẽ multis modis dici iuſtitia & iniuſtitia. Sed quia propinqua eſt homonymia ipſarũ, latet: neque ita, vt in ijs, quæ longè diſtant, perſpicua eſt. magna eñ eſt formæ diſſimilitudo, vt cõſtat clein vocari homo

Facultates & ſcientias ab habitibus differri.

Habituum cog nito vnde capiatur

Axioma.

homonymos & iugulum & clauim.

Quiſnam ſit iniuſtus. Quis iuſtus. Sumptum igitur ac poſitum ſit, quot modis dicatur iniuſtus. Videtur autem iniuſtus eſſe & is qui legi non paret, & is qui plus ſibi ſumit quàm par eſt, neque conſeruat æqualitatem. Vnde conſtat iuſtum quoque fore tum eum qui legi obtemperat, tum eum qui conſeruat æqualitatem. Quare iuſtum quidē eſt tum id quod lege præſcribitur, tum id quod æquale eſt: iniuſtū autem tum id quod aduerſum legem committitur, tum quod inæquale eſt. Quando igitur iniuſtus pluris quàm par eſt, auidus eſt, in bonis hæc ipſius affectio cernetur: non tamen in quibuſlibet: ſed in ijs demum in quibus proſpera aduerſaq́ue fortuna, quę ſunt illa quidē ſemper ſimpliciter & abſolutè bona: ſed huic aut illi non ſemper. Homines autē ea & optant & perſequuntur, at non ita oportet, ſed optare quidem vt ea quæ ſimpliciter bona ſunt, ſibi quoquo bona ſint: ſequi autem ea, quæ ſibi bona ſunt. At iniuſtus non ſemper id quod plus eſt ſequitur, ſed & id quod minus, in ijs quæ ſimpliciter ſunt mala. Verum quoniam videtur & minus malum

Quid iuſtum & iniuſtum. Bona fortunæ eſſe ſimpliciter bona.

lũm quodammodo bonum eſſe: pluris autem cupiditatẽ in bono dicimus propterea videtur tũ quoque pluris cupidus eſſe, eſt autem iniquus (hoc enim complectitur, & commune eſt) & contra legem facit. Quando autẽ qui contra legem facit iniuſtus eſt, qui verò ei obtemperat iuſtus, peſpicuum eſt, omnia legitima iuſta quodammodo eſſe, nam & ea quæ à ſcientia legũ ferendarum definita ſunt, legitima ſunt, & eorum vnum quodque iuſtum eſſe dicimus. Leges autem omnibus de rebus publicè loquuntur, ſpectantes aut id quod communitate omnibus vtile eſt, aut id quod optimatibus, iíſue q principatũ in ciuitate obtinent, ſeu propter virtutem, ſeu quo alio tali modo. Quare vno quidem modo iuſta ea dicimus, quæ ad fœlicitatẽ eiusq́ue partes ciuili ſocietati conficiendas ac conſeruandas valent. Imperat autem lex & ea facere quæ ſunt fortis viri, vt non deſerere ordinem, neque fugere, neque abijcere arma: & quæ temperantis, vt non facere adulterium, neque alienæ pudicitiæ illudere: & quæ manſueti, vt non percutere, neque maledicere: itidémque:

Concludi omnia iuſta eſſe quodammodo legitima.

Quid tractent leges & earum vtilitas.

démque in cæteris virtutibus ac vitijs illa quidem iubens, hæc autem prohibens: rectè quidem ea quæ rectè poſita eſt, deterius autẽ ea quæ temere inconſideratéque lata. Hæc igitur iuſtitia eſt illa quidem perfecta virtus, non tamen ſimpliciter, ſed ad alium relata. Ideóque ſępiſſime iuſtitia virtutum prętantiſſima videtur: ac neque heſperus, neque lucifer ita admirabilis eſſe. Et in prouerbio eſt, Iuſtitia in ſeſe virtutem amplectitur omnem & eò maximè perfecta virtus, quoniam perfectæ virtutis vſus eſt. perfecta autem eſt, quoniam, qui ea præditus eſt, etiam in alium virtute vti poteſt, non tantùm ipſe ſecum. Multi enim ſuis quidem in rebus virtute vti queunt, in ijs autem quæ ad aliũ pertinent, non queunt, & propterea rectè à Biante dictum videtur, Magiſtratus virum patefaciet. nam qui magiſtratum gerit, alium iam ſpectat, & in vitæ communione verſatur. Atque ob eam ipſam cauſam iuſtitia vna ex virtutibus alienum eſſe bonum videtur: quoniam ad alium pertinet. ea enim agit, quæ alij vtilia ſint, vt principi, aut communi. Ergo peſſimus quidem ille

Iuſtitiam non eſſe ſimpliciter virtutem perfectam.

Magiſtratum virum patefacere.

eſt

eſt qui improbitate,in ſeipſum,& in amicos: optimus autem, non qui in ſe ipſum, ſed qui erga alium virtute vtitur, id enim difficile eſt. Hæc igitur iuſtitia non pars virtutis, ſed tota virtus eſt: nec quæ ei aduerſatur in iuſtitia, pars vitioſitatis, ſed tota vitioſitas. Quid autem virtus, & hæc iuſtitia inter ſe differant,conſtat ex ijs quæ diximus. eſt enim eadem quidẽ,ſed non eadẽ vtriuſque ratio:nam qua ratione ad alium pertinet,iuſtitia eſt:qua talis quidam habitus eſt,ſimpliciter virtus. Quę rimus autem eam iuſtitiam quæ pars virtutis eſt: eſt enim quædam,vt dicimus, itidemque de iniuſtitia ea, quæ pars eſt vitioſitatis. Eſſe autem, id argumento eſt,quod qui agit aliquid eorum quæ ad cætera vitia pertinent, iniuſtè ille quidẽ facit, ſed nihil amplius conſequitur. Vt is qui clypeũ per ignauiam abiecit, aut aſperitate ductus eſt ad maledicendum, aut illiberalitate, ne pecunia iuuaret alium, retardatus, cum autem plus aliquid conſequitur, ſæpe nullo tali vitio peccat, at ne omnibus quidem, & aliquo tamen. vituperamus enim eum: Idque iniuſtitiæ nomine

Iuſtitiam non eſſe partem virtutis.

Cap. 1.

Quid iuſtitia particularis & quotuplex.

nomine. Eſt igitur alia quædam iniuſtitia, vt pars quædam totius: & iniuſtum quoddam, pars illius totius iniuſti, quo quidquid contra legem fit, continetur.

Ex eadem actione alium iniuſtum alium intemperantem fieri.

Præterea ſi duorum vnus quidem lucri cauſa cum aliena vxore rem habeat, & inſuper aliquid mercedis accipiat: alter autem id faciat cum ſumptu ac detrimēto ſuo, vt cupiditatem expleat, hic quidem intemperans potius, quàm pluris auidus eſſe videatur: ille autem iniuſtus ſed non intemperans: conſtat autem id ex eo euenire, quod lucrum facit. Prę terea omnia alia iniuſtè facta referimus ſemper ad aliquod vitium: vt ſi quis adulterium fecit, ad intemperantiam, ſi eum qui ſibi proximus erat in acie, deſeruit, ad timiditatem: ſi percuſſit, ad iram: at ſi lucrum fecit, ad nullum vitium, præterquam ad iniuſtitiam.

Concludit eſſe quandam particularem in iuſtitiam.

Vnde conſtat, præter totam illam iniuſtitiam, aliam quandam eſſe illius partem ſynonimam, quoniam vtriuſque definitio in eodem genere eſt: ambarum enim vis eſt in quadam relatione ad alium: ſed hæc quidem in honore, aut pecuniis, aut ſalute, aut ſi quo vno nomine poſſimus hæc omnia cō-

plecti,,

plecti,cernitur ,& in ea voluptate quæ capitur ex lucro : illa verò in ijs omnibus in quibus verſatur vir bonus. Non vnam igitur eſſe iuſtitiam:& eſſe aliam quandam,præter eam , quæ tota virtus eſt,conſtat.quæ autem ea,& cuiuſmodi ſit , intelligendum eſt Duobus modis iniuſtum dici oſtendimus : tum quidquid contra legem fit , tum quod ab ęqualitatate diſcedit:itemque iuſtũ, & quidquid ex lege fit,& quod æquale eſt. Cùm igitur iniuſtum priori illo modo accipimus, tum ea de qua prius dictum eſt iniuſtitia exiſtit. Quoniam autem ab æqualitate diſcedere, & contra legem facere non eſt idem: ſed eorũ alterum habet eam rationem, quam pars ad totum : (nam facit quidem contra legem quicunque ab ęqualitate diſcedit : ſed non quicunque contra legem facit, ab æqualitate diſcedit) fit etiam , vt iniuſtum,& iniuſtitia non eadem ſint , ſed alia ab illis: ſintque hæc quidem vt partes:illa verò , vt tota Pars enim eſt hæc iniuſtitia totius iniuſtitiæ eodemque modo hæc iuſtitia illius iuſtitiæ.Quare de ea iuſtitia & iniuſtitia,quæ partium rationem

Duobus modis iuſtum & iniuſtum dici.

Concludit aliam iniuſtitiam eſſe vt totum: aliam vt partem.

obtinent, itidémque de iuſto & iniuſto dicendum eſt. Ergo iuſtitia illa quidem quæ ad totam virtutem pertinet, & iuſtitia quarum illa omnis virtutis, hæc omnis vitij erga alium vſus eſt, omitatur: nam & quæ ex eis iuſta iniuſtáque ſunt, quomodo definienda ſint, conſtant. Ferè enim pleraque eorum quæ præſcribuntur legibus, ſunt ea ipſa officia, quæ ex omni virtute ducuntur. Vnicuique enim virtuti conue-

Quæ iubeat ex- nienter viuere iubet lex: vnum quodque otium ſequi vetat. Totius autem virtutis efficieutia ſunt ea præcepta legum, quibus diſciplina ciuium ea quę rempublicam ſpectat, ad eámque dirigitur, continetur. Sed de priuata cuiuſque diſciplina, qua quis ſimpliciter & abſolutè vir bonus eſt, vtrum ad ciuilem facultatem, an ad aliam quandam pertineat poſterius diſputandũm erit. Non enim fortaſſis idem eſt bonum virum eſſe, & bonum ciuem quocunque in loco. Iuſtitiæ autem illius quæ virtutis eſt pars, & eius quod ex ea iuſtũ dicitur, vnũ quidẽ genus eſt, quod cernitur in diſtribuendo honore, aut pecuniis, aliíſue rebus quæ diuidi poſ-

Iuſtitiæ particularis duas eſſe differentias.

ſunt

ſunt inter eos qui eiuſdem reipublicæ communione coniuncti ſunt. In iis enim fieri poteſt, & vt alter altero plus minúſue, & vt æquam vterque partem ferat. alterum quo negotia quæ inter ſe contrahunt homines diriguntur. Huius autem partes ſunt duæ. Nam eorum quæ inter ſe homines contrahunt, quædam ſponte fiunt, quædam inuitè. Sponte quidem, quæ talia ſunt, vt vẽditio, emptio, mutuum, fideiuſſio, commodatum, depoſitum, locatio, & conductio. Sponte autem fieri dicuntur, quoniam talium negotiorum principium, ſponte inſtituitur. Eorum autem quæ fiunt inuitè: partim clandeſtina ſunt, vt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, ſerui alieni circumuentio, aut corruptio, per inſidias allata nex, falſum teſtimonium: partim violenta, vt verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio, maledictum, contumelia. Quando autem & iniuſtus inæqualis eſt, & iniuſtum inæquale, conſtat eſſe & medium aliquod inæqualis. id autem eſt æquale. Quacumq; enim in actione eſt plus & minus, eſt & æquale. Si igitur iniuſtum, inæquale eſt

Iuſtitiæ cõmunicatiuæ partes duæ.

Ca. 3. de iuſtitia diſtributiua.

Axioma.

iuſtum æquale eſſe oportet. quod & videtur omnibus, etiam ſi ratio, cur ita ſit, non afferatur. Cùm autem æquale medium ſit, iuſtum quoque medium quoddam erit. eſt autem æquale quod minimum ſit, in duob. quare neceſſe eſt, iuſtum, quod & medium, & æquale eſt, & ad aliquid referri, & aliquibus tale eſſe. Ac, qua quidem medium eſt quorundam eſt, ea verò ſunt plus, & minus: qua autem æquale eſt in duobus cernitur: qua denique iuſtum, & quibuſdam, & ad alios relatum. Neceſſe igitur eſt, iuſtum, quod minimum ſit, in quatuor verſari. Nam & quibus iuſtum eſt, duo ſunt: & ea in quibus, duo. Eadémque erit æqualitas, & iis quibus, & iis in quibus: vt enim altera inter ſe affecta ſunt, ſic & altera. Si enim æquales non ſint, æqualia non habebunt. immo verò inde exiſtunt pugnæ, & expoſtulatiões, cùm aut qui æquales ſunt, non æqualia: aut qui non æquales, æqualia ferunt, & ex diſtributione conſequuntur. Præterea ex eo quod pro dignitate fit, idẽ apertè colligitur. Omnes enim fateantur in diſtributionibus, id quod iuſtum eſt, pro digni-

Iuſtum quatuor extremis cõſiſtere.

Vnde exiſtant pugnæ, & expoſtulationes.

dignitate eſſe oportere. Ipſam tamen dignitatem non eadem in re omnes collocant. Sed ij quidem qui populare ſtatum reipublicæ probant, in liberta te, qui paucorum potentiam, diuitiis, aut in nobilitate: qui optimatum, in virtute. eſt igitur iuſtum analogum quiddam. analogum enim non tantùm propriũ eſt numeri monadici, ſed omnino, numeri. analogia enim eſt æqualitas proportionum: idque quod minimum ſit, in quatuor. ac diſiunctam quidem in quatuor eſſe, manifeſtò apparet. ſed & continens. vno enim vt duobus vtitur, & bis dicit. exempli cauſa, vt prima ad ſecundam, ſic ſecunda ad tertiam. bis igitur dicta eſt ſecunda. Itaque ſi bis ponatur ſecunda, quatuor erunt analoga. eſt autem, & iuſtum, quod minimum ſit, in quatuor: & eadem ratio. diſtant enim ſimiliter quibus & quæ. erit igitur, vt primum extremum ad ſecundum, ſic tertium ad quartum. & viciſſim igitur, vt primum ad tertium, ſic ſecundum ad quartum. Itaque, & totum ad totum, quod quidem diſtributio copulat. ac ſi quidem ſic componantur, iuſtè copu-

Quid ſit analogia.

lat. copulatio igitur primi extremi cum tertio,& ſecundi cum quarto ,eſt ius illud , quod in diſtributione verſatur , ac medium analogum enim medium eſt,ius autem analogum. Vocant autem mathematici talem analogiam geometricam.in geometrica enim eueniт,vt & totum ad totũ eandẽ rationem habeat,quam vtraque pars ad alteram. Non eſt autem continens hæc analogia.nõ enim fieri hic poteſt,vt idẽ numero ſit extremum ,cui & quod. Ius igitur hoc analogum eſt: iniuſtum autem,quod non eſt analogum.eſt autem alterum plus,alterum minus.quod quidem euenit etiam in rebus ipſis. Nam qui iniuriam facit , plus boni conſequitur,qui accipit, minus.in malo autem contrà.nam minus malum, comparatum ad maius, boni rationem obtinet. eſt enim minus malum magis expetendum maiori. expetendum eſt autem bonum , & magis , maius. Hoc igitur vnum iuris genus eſt. Reliquum eſt alterum , in corrigendo ſitum : cui locus eſt in iis , quæ homines inter ſe tum ſpontè tum inuiti cõtrahunt. Huius autem iuris alia quædam ratio eſt,

Analogiā ſuperiorē, eſſe geometricam

Axioma.

C. 4. de iuſto commutatiuo.

quam

quam ſuperioris. Nam illud quod in rerum communium diſtributione poſitum eſt, ſemper retinet eam quam diximus analogiam. Etenim ſi communis pecunia diſtribuenda ſit, eadem proportio ſeruanda erit, quam inter ſe habent ea quæ à quoque illata ſunt. & iniuſtum illud quod huic iuri aduerſatur, eſt, quod non retinet propotionem. Hoc autem ius quod in contrahendis negotiis ſitum eſt, ęquale quidem eſt quiddam, & iniuſtum, inęquale. non ad illam tamen analogiam, ſed ad arithmeticam. nihil enim refert, vir bonus hominem nihili, an homo nihili virum bonum fraudauerit: neq; adulterium fecerit vir bonus, an is, qui nulli rei eſt. Sed in ipſam tantùm damni differentiam intuetur lex: vtrúrq; iis vt ęqualibus: ſi ille quidem iniuriam facit, hic autem iniuria afficitur. & ſi ille quidem læſit, hic autem læſus eſt. Itaque iniuſtum illud, cum inæquale ſit, ad æqualitatem perducere conatur. ſiquidem, & cum hic percuſſus eſt, ille percuſſit, aut etiam interfecit, hic autem mortuus eſt, diuiſa eſt perpeſſio, & actio in partes inæquales. at-

In hoc genere non geometricam ſed arithmeticam analogiam ſeruandam eſſe.

conatur eam damno ad æqualitatem perducere,de lucro detrahens.. Dicitur enim propriè loquendo etiam in eiuſmodi rebus(quanquam quibuſdam ſatis proprium , & ad eam rem aptũ nomen non videtur)lucrum , vt in eo qui percuſſit,& damnum in eo qui percuſſus eſt. ſed tum demum cùm dimenſa eſt perpeſſio , vocatur alterum quidem damnum , alterum autem lucrum.Itaque pluris, & minoris æquale medium eſt. lucrum autem & damnum alterum plus eſt,alterum minus , contrariè. boni quidem plus,& mali minus, lucrum: contrarium autem,damnum.Inter quæ medium eſt æquale, quod iuſtum eſſe dicimus Ergo ius quidem id quod corrigendi vim habet , medium eſt inter damnum,& lucrum.quocirca cùm aliqua de re ambigunt, ac controuerſantur,ad iudicem confugiunt. Ire autem ad iudicem eſt,ad iùs ipſum ire. Iudex enim , ſi hoc nomen tueri , ac ſuſtinere vult,eſt quaſi ius animatum.& quęrunt iudicem medium. ac vocant eos nonnulli medianos vt,ſi medium aſſequantur,ius ſuum aſſecuturi. Ius igitur medium quiddam eſt:ſi quidem, & iudex.

Quid ſit ire ad iudicem.

Iudex

Iudex autem exęquat:& vt, ſi linea in partes inæquales diuiſa ſit, quo maior pars dimidiam ſuperat,id aufert,& addit ad minorem partem: cùm autem bifariam diuiſum eſt totum,tunc aiũt ſe ſumma habere,cùm ęquas partes acceperunt. ęquale autem medium eſt maioris & minoris ad analogiã arithmeticam.atque ob id ius à græcis dicitur dicæon,quoniam eſt,dicha,id eſt duas in partes æquales diuiſum. vt ſi quis dicat dichaon,& ab iiſdem iudex vocatur dicaſtes quaſi dichaſtes. Si enim duorum æqualiũ ab altero ablatũ aliquid ſit,& additum ad alterum,fit vt duobus tantis maius ſit alterũ. ſi enim detractum modò eſſet,non autem additum,vno tantum maius eſſet: medio igitur maius eſt, vno, & medium eo à quo ablatum eſt,vno.hæc igitur nobis nota erit ad cognoſcendum,quid tum auferre oporteat ab eo,qui plus habet tum addere ei qui minus. quo enim quis medium ſuperat, hoc addere oportet ei qui minus habet: quo autem medium ſuperatur, id auferendum à maximo.Sint tres lineæ inter ſe æquales AA BB C C,ex linea A A,detraha-

Ius à Græcis cur dicatur dicæon & iudex dicaſtes.

tur pars A E, & addatur ad C C, ſitq́;
C D. Ita tota linea D C C, lineam
E A,ſuperat parte C D,& parte C F,er-
go,& lineam B B,parte C D.

a	e	a	
b		b	
c	f	c	d

TRãſlata autem ſunt hæc nomiua damnum, & lucrum ex eo quod ſponte contrahitur. nam habere plus ſuo,lucrum facere dicitur. minus autẽ quàm principio,damno affici,vt in vẽditione,& emptione, aliiſque quæ per legem fieri poſſunt,quod ſi neque plus neque minus, ſed ipſa ex ſe ipſis effecta ſint,ſua ſe habere aiunt,ac neq; dãnum,neque lucrum facere.Itaque lucri cuiuſdã,& damni mediũ eſt ius in iis, quę non ſponte contrahuntur : quod tantundem habeat vterque contrahẽtiũ poſterius,quantùm prius habuerat. Videtur autẽ quibuſdã antipeponthos, id aſt talio, ſiue reciproca quædã perpeſſio,ius eſſe ſimpliciter, & abſolutè, vt Pythagorei dixerũt:definiebãt enim ſimpliciter ius talionẽ,talio autem neque

Ius quorum ſit medium

Cap. 5. de talione nũmo & indigentia.

que ad id ius, quod in diſtribuendo, neque ad id, quod in corrigendo ſuũ eſt, accommodari poteſt. quanquam volũt Rhadamanthyos quoq; id ius fuiſſe, Tum fuerit lex recta, ferat ſi quiſque quod egit. multis enim locis conſonum non eſt. Vt ſi quis magiſtratum habens percuſſit alium, non oportet eum viciſſim percuti. & ſi quis magiſtratum percuſſit, non percuti modò eum oportet, ſed & puniri. Præterea multùm intereſt id, quod ſponte fit, & quod inuitè, ſed communitatibus rerum vltrò citróque permutandarum id ius, quod talio dicitur, continet ſocietatem analogia, non autem æqualitatem. Factis enim proportione reciprocis manet coniunctio ciuitatis. Aut enim quærunt, quod ſibi mali factum eſt reponere: ſin minus, ſeruitus eſſe videtur: aut quod boni: ſin minus, tollitur officiorum viciſſitudo. officiorum autem viciſſitudine fit, vt vnà maneant. quocirca, & Gratiarum templũ in propatulo ſtatuunt, vt ſit remuneratio. Id enim gratiæ proprium eſt. viciſſim enim officio aliquo demereri oportet eum qui gratificatus eſt, & ipſum denuo aliud gratificandi principium

Ius quod dicebatur Rhada, non eſſe rationi conſonum

Cur Gratiarum templum ſtatutum in propatulo.

ter omnia,quorum permutatio eſt,quodammodo comparabilia eſſe,cuius rei cauſa nummus in vſum venit:qui quodammodo menſura efficitur omnium rerum: omnia enim metitur. Ergo, & quanto quæque res pluris minorisve ſit:& quot calcei domum, aut alimentum adæquent Oportet igitur quam rationem habet architectus ad ſutorem, tot calceos cum domo aut alimento comparari.niſi enim id fiat,nō erit permutatio:neque communitas.id autem non erit, niſi quodammodo æqualia ſint.quare oportet vnam aliquam eſſe communem omnium rerum menſurā vt prius dictum eſt.ea autem eſt reuera quidem indigentia, quæ omnia cōtinet:ſi enim nullus rei indigeant, aut non ſimiliter,aut non erit permutatio, aut non eadem Succeſſit autem nummus quaſi compacto in indigentiæ locū: ob idque vocatur nomiſma,quod non natura,ſed nomo, id eſt lege, valet,& in nobis eſt mutare eum, atque inutilem efficere. erit autem mutua illa acceptio,cum exæquata erunt omnia,vt quam rationem habet agricola ad ſutorem,eādem habeat opus ſutoris.

Qua de cauſa nūmus in vſum venerit.

Indigentiā omnia continere

ris ad opus agricolę. In figuram autem analogiæ ducendi ſunt, cùm permutaturi erunt: alioqui alterum extremũ vtranque exuperantiam habebit. ſed cũ ſua habent, ſic tamen ſunt ęquales, & ad cõmunitatem apti: quoniam hæc ęqualitas in ipſis effici poteſt.

agricola	ſutor
a	b

alimentum	opus ſutoris ad æquatum	
c	d	(cum alimento

SVblata autem hac accipiẽdi viciſſitudine, tolleretur vitæ communio. Indigẽtia autem contineri ſocietatem hominum, ac ſi vnum quiddã ſit, ex eo intelligi poteſt, quòd cùm aut vterque, aut alter altero non indiget, non permutant: vt cùm eius, quodquis habet, alter indiget, verbi cauſa, vini, exportandi frumenti ſit potęſtas. hoc igitur exæquari oportet. In permutationẽ autem futuram ſi nũc non indiget, fore eam, ſi indiguerit, nobis quaſi ſponſor eſt nummus. Oportet enim hũc ferẽti, licere id quo eges accipere.

Societatẽ hominum contineri indigẽtia

Idem

Idem autem accidit etiam nummo, neque enim ſemper tantundem valet. ſtabilior tamen videtur eſſe. Quare oportet eſſe omnibus rebus pretia cõſtituta. Ita enim ſemper erit permutatio, & quę eam conſequitur, communicatio. Nũmus igitur ſymmetra omnia efficiens, adæquat. Neque enim communicatio ſine permutatione: neq; permutatio ſine æqualitate, neq; æqualitas, ſine ſymmetria eſſe poteſt. Reuera igitur ea, quę tantopere diſtant, ſymmetra fieri non queunt, ſed quantùm ad vſum ſatis eſt, queunt Vnum igitur aliquid eſſe oportet. ídq; hominum inſtituto, vnde & nomiſma vocatur. Id enim omnia efficit ſymmetra, cùm omnia metiatur. Sit domus pretium quinque minę: lecti autem mina vna, lectus ipſius domus quinta pars erit. Quare conſtat, quot lecti domũ exęquent: nẽpe quinque. Hãc autem ante nummi vſũ fuiſſe rationem permutandi, perſpicuũ eſt. nihil intereſt enim, dẽtur ne lecti quinque pro vna domo, an quanti ſunt lecti quinq; Quid igitur iuſtũ iniuſtúmq; ſit, & mutua illa perpeſſio, quæ antipeponthos dicitur, quẽadmodũ ad iuſtũ affe

Nummũ non ſẽper tantundẽ valere.

Nummũ omnia efficere ſymmetra.

affecta ſit, dictum eſt. His autem definitis, conſtat iuſtam actionem faciendę & accipiendæ iniuriæ mediam eſſe: alterum enim eſt plus habere, alterum minus. Iuſtitia autem mediocritas eſt, non eodem modo, quo virtutes illæ, de quibus antea diſputauimus, ſed quia medij eſt, iniuſtitia autem extremorũ. Et iuſtitia quidem eſt habitus, ex quo iuſtus dicitur propenſus ad conſultò agendum id quod iuſtum eſt, & ad ius tribuendum tum ſibi, ſi cum altero cõtrahat, tum alteri cum altero cõtrahẽti, non ita, vt ſibi plus eius quod expetendum eſt, minus autem alteri, & eius quod noxium eſt, contrà, ſed & ſibi, & aliis id quod ad analogiam æquum eſt: Contrà iniuſtitia ad id quod iniuſtum eſt. Id autem eſt nimium, & parum cõmodi & damni non ſeruata proportione. Itaque iniuſtitia eſt nimium & parum: quia eſt & eius quod nimium eſt, & eius quod parum. In ſua quidem cauſa nimium ſibi tribuens eius, quod ſimpliciter vtile eſt, eius quod noxium eſt parum, in aliorum autem negotio generaliter quidem, eodẽ modo: diſcedit autem à proportione nunc in hâc, nunc in il-

Iuſtitiam eſſe mediocritatẽ ſed non eo modo quo alia virtutes.

In iniuſtitia exceſſus & defectus.

in illam partem. Iniuriæ autem minus extremum eſt iniuriam accipere: maius iniuriam facere. De iuſtitia igitur & iniuſtitia, quæ vtriuſque natura ſit, itémque de iuſto & iniuſto, hoc modo à nobis vniuersè diſputatum ſit. Quãdo autem fieri poteſt, vt quis iniuſtum quiddam faciat, neque dum tamen iniuſtus ſit, quæ nam ſunt illæ iniuſtæ actiones, quas qui ſuſcipit, iã iniuſtus eſt in vno quoque iniuſtitiæ genere, vt fur, aut adulter, aut latro? an ſic quidem nihil interererit, nam & fieri poteſt, vt quis cum muliere aliqua rem habeat, ſciens quænam ea ſit, neque tamen à ſuſcepto ſic agendi conſilio, ſed à libidinis motu actio illa tanquam à principio fluxerit. Ille igitur facit quidem iniuſtum quiddã, neque tamen iniuſtus eſt: vt neque fur, & ſi furatus eſt: neque adulter, & ſi adulterium fecit. eodémque modo in cæteris, non eſt autẽ ignorandum, totam hanc quæſtionem eſſe de eo iure quod ſimpliciter ius eſt, id eſt de iure ciuili. id autẽ eſt inter eos qui vitæ ſocietatem inierunt, ne qua re ad viuendũ neceſſaria egerent, liberi & æquales, aut ad analogiam, aut ad numerum,

Iniuriæ duo extrema.

Cap. 6. de iniuſto iuſto ciuili herili & oeconomico.

Ec

Itaque quibus hoc non eſt, eis inter ſe non eſt ius ciuile: ſed ius quoddam & tãtùm ex quadam ſimilitudine ita vocatum. eſt enim ius inter eos inter quos etiam lex. lex autem inter eos in quibus iniuſtitiæ locus eſt. iudicium enim iuſti & iniuſti diſceptatio eſt. In quos autem cadit iniuſtitia, ij etiam iniuſtè facere poſſunt. Id autem eſt plus ſibi tribuere eorũ quæ ſimpliciter bona ſunt, minus eorũ quæ ſimpliciter mala. Quare non hominem imperare ſinimus, ſed rationem quoniam ſibi ipſi id facit, & efficitur tyrannus. eſt autem magiſtratus cuſtos iuris. quod ſit iuris, & æqualitatis. Quoniam autem nihil ex eo videtur amplius conſequi, ſiquidem iuſtus eſt: neq; enim plus ſibi tribuit eius quod ſimpliciter bonum eſt, niſi ſibi proportione debeatur, ideo alij laborat. ac propter eam cauſam aiunt iuſtitiam alienum bonum eſſe: vt & ante dictum eſt. Danda igitur ei aliqua merces. ea verò honor eſt & decus. Quicúmque autem iis contenti non ſunt, hi tyranni ſunt. Ius autem domini in ſeruos, & patris in liberos non idem eſt atque hæc, ſed ſimile neque enim propriè

Inter quos ſit ius ciuile.

quid ſit magiſtratus.

priè dicitur iniuſtitia in ea quæ ſua cuiuſque ſunt. Mancipium autem & filius vſque eò dum adoleuerit, ſeiunctúſque ſit, tanquam pars patris eſt. iam nemo eſt qui lædere ſe conſultò velit: quare nullius in ſeipſum iniuſtitia eſt. ergo ne iniuria quidem, neque ius ciuile. lege enim conſtat, & in iis eſt qui eam naturam habēt, vt inter ipſos communis lex eſſe poſſit. Eos autem eſſe dicebamus quibus eſt inter ipſos imperādi & parendi æqualitas. Quare magis cum vxore, quam cum liberis & cum ſeruis, eſt iuris communitas. Id enim eſt ius œconomicum: quod tamē ipſum quoque aliud eſt à ciuili. Ciuile autem ius partim naturale eſt, partim legitimum. Naturale quidem quod vbicumq; terrarum idem valet, non quod ita ſtatutum ſit aut ſecus. legitimum autem, quòd à principio quidem nihil intereſt ſic fiat an ſecus: vbi autem conſtitutum fuerit, intereſt. vt mina redimi captiuos aut capram Ioui immolare non oues, & quæ præterea de ſingulis rebus lege ſanciūt. vt Braſidæ ſacra facere, & quæcúmque populi ſuffragiis ſcita ſunt. Videntur autem quibuſdam omnia talia

Mancipium & filius ſunt partes patris

Ca. 7. de iuſto naturali & legitimo.

eſſe. quia quod naturale eſt, immobile eſt, & quocunque in loco eandem vim habet. vt ignis vrit & hîc & apud Perſas iura autem mutari vident. neque tamen omnino ad ita ſe habet: ſed aliqua tantũ ex parte. quanquam apud Deos quidẽ fortaſſis nulla ex parte ita ſe habet, apud nos autem eſt quidem aliquid naturale mobile, non tamen omne, ſed nihilominus aliud natura valet, aliud non natura. Quod autem eorum, quæ aliter habere ſe poſſunt: naturale ſit, quódque non natura, ſed lege & conſenſu hominum valeat, etiam ſi vtraque peræquè mutabilia ſint, cõſtat. eadémque diſtinctio etiam ad alias res accommodari poterit. Natura enim dextra manus fortior eſt: etſi euenire poteſt vt omnes homines æquè vtraq; manu vtantur. Et autem iura quæ ex conſenſu, & vtilitate nata ſunt, ſimilia ſunt menſuris. non enim omnibus in locis æquales ſunt vini frumentíque menſuræ: ſed vbi quidem emunt, maiores: vbi autem vendunt, minores. Eodem modo quæ iura non naturalia ſed humana ſunt, non quocunque in loco ſunt eadem. quandò ne reipub. quidem

Ius legitimum aliquando mutari.

ſtatus

ſtatus. etſi vnus tantùm eſt omnib. in locis natura optimus. Vnumquodque autem ius, & vnumquodque legitimũ eandem rationem habet, quam vniuerſum ad ſingula. nam ea quidem quæ aguntur multa ſunt. illorum autẽ vnumquódque vnum. vniuerſum enim eſt. Differunt autem iniuria & iniuſtum: itidemqúe dicæoma, id eſt, iuſtè factũ & iuſtum. nam iniuſtũ quidem eſt aut natura, aut lege. id autem ipſum poſtquam factum eſt iniuria eſt. prius autẽ quam fiat, nondum, ſed iniuſtum. Similiter etiam dicæoma. ſed tamen cõmune nomen quo quidquid iuſtè factum eſt vocatur, eſt potius dicæopragema, dicçoma autem propriè eſt correctio iniuriæ. Horum autem ſingula quas quóque ſpecies habeant, & cuiuſmodi verſentur in rebus, poſterius quærendum erit. Cùm iuſta iniuſtáque ſint ea quæ diximus, tum demum quis iniuſtè agit, & iuſtè, cùm ea ſponte facit at cùm inuitus, neque iniuſtè neq; iuſtè facit, niſi caſu & ex conſecutione quadam ea enim agunt, quibus vt iuſta iniuſtáve ſint, accidit. iniuriã autẽ & iuſtè factũ id demum eſſe definiuimus, quod

Vnum tantum ſtatum eſſe reipub. eundemque optimum.

Iniuſtitiam & iniuriam differre.

Ca. 8. de triplici nocumento quod alij inrogatur.

ſponte fit. ſi enim ſponte factum ſit, tunc demum vituperatur, ſimulque iniuria eſt. Quare erit quidem aliquid iniuſtum, neque tamen iniuria: niſi illud quoque adſit, vt ſponte fiat. Sponte autem fieri dico, vt ſuprà dictũ eſt, quod quis eorum quæ in ſua poteſtate ſita ſunt, agit, ſciens, neque ignorans, neque quem, neque quo quaſi inſtrumento, neq; cuius rei cauſa: vt quam verberet, & quo, & quam ob cauſam. atque eorum quodq; non ex conſecutione quadam, neque per vim. vt ſi quis apprehẽſa alicuius manu alium verberet, is, cuius eſt manus, non agit ſponte, neque enim in ipſo ſitum eſt. Fieri autem poteſt, vt pater ſit is q percutitur. qui autem percutit, ſciat quidem hominem eſſe, aut eſſe aliquem eorum qui adſunt ſed patrem eſſe neſciat. eadémque diſtinctio adhibita intelligatur, & in fine ad quem dirigitur actio, & in tota denique actione. Quod igitur ignoratur, aut non ignoratur quidem, ſed in ipſo ſitum non eſt, immo per vim fit, inuitè fit. Multa enim eorum etiã quæ natura fert, ſcientes & agimus & patimur, quorum nihil neque ſpõte noſtra, neque

Quid ſit rem aliquam ſponte fieri.

Quid fiat in inuito.

neque nobis inuitis fieri dicendum eſt: qualia ſunt ſeneſcere,aut mori. Vt autem iniuſta,ita iuſta quoque multa ſunt non propriè ac per ſe, ſed ex quadam tantùm conſecutione. Nam & ſi quis inuitus ac metu depoſitum reddat,neque iuſtum facere, neque iuſtè facere dicendus eſt, niſi ex euentu: & eodem modo is qui neceſſitate ſubactus atque inuitus depoſitum non reddit,ex euentu tantùm dicendus eſt iniuriã inferre, & iniuſtum facere. Eorum autem quæ ſponte fiunt,partim capto prius conſilio facimus:partim non capto,ac capto quidem conſilio ea,de quibus prius deliberauimus:non capto autem,cum deliberatio nulla anteceſſit. Cùm igitur trium generum ſint ea damna, quæ in ſocietatibus inferuntur: ea quidem, quæ cum ignorantia coniuncta ſunt vocamus errata: cùm quis neque ſcit quem, neque quid, neque quo inſtrumento,neque cuius gratia ſe quid facere putabat,id euenit, ſed quod non putaſſet.exempli cauſa,non vt vulneraret, ſed vt pungeret:aut non illum,aut non illo modo. Cùm igitur præter opinionem damnum illatum eſt,infortunium

Diuiſio eorum quæ ſponte fiunt

Quid infortuniũ.

eſt : cùm autem non præter opinionem quidem ſed tamen ſine malitia, erratū. aberrat enim, cùm in ipſo eſt principiū cauſę. infortunatus autem eſt, cùm extrà. Cùm autem ſciēs quidē, ſed nulla antegreſſa deliberatione, iniuria eſt, vt quæcumque per iram aliòſque omnes animi motus neceſſarios, aut naturales eueniunt hominibus. Nam qui eis impulſi lædunt alium, ac peccant, iniuriam illi quidem faciunt: ſuntq́ue talia facta iniuriæ, nondum tamen propterea iniuſti, neque improbi ſunt. neque enim damnum eſt per improbitatem datum. Qui autem capto conſilio lædit, iniuſtus eſt, & imbrobus. Quocirca bene quæ per iram facta ſunt non iudicantur facta conſultò, non enim prior lædit, qui per iram facit, ſed qui iraſcendi cauſam dedit. Prętcrea verò ne ambigitur quidem factum ſit nécne ſit, ſed an iure factum. Ira enim opinione iniuſtitię commouetur. Neque in ijs quę per iram facta ſunt in controuerſiam venit, factum ſit nécne: vt in contractibus, vbi neceſſe eſt alterum improbum eſſe, niſi obliti id facient: ſed cùm de facto inter ipſos conueniat, de iure to-

Quæ per iram facta ſunt non iudicantur facta conſult

ta

ta contentio eſt. At qui conſultò,& cogitatò aliquid fecit, non ignorat. Quòd ſi quis capto conſilio alium lædat, iniuriam facit.& qui tales iniurias facit, iniuſtus iam eſt: cùm aut ab analogia diſcedit, aut ab æqualitate. Itidémque iuſtus eſt, qui capto ita agendi conſilio id quod iuſtum eſt facit. Vt autem iuſtum aliquid facere dicatur, ſatis eſt ſi ſponte faciat. Iam eorum quæ inuitè fiunt, quædam venia digna ſunt, quædam non ſunt. Nam quæcunque non inſcientes tantùm, ſed etiã per inſcientiã peccant homines, ignoſcenda ſunt: quę autem non per inſcientiam, ſed inſcientes quidem, per aliquam tamen affectionem animi neque humanã, ignoſcenda non ſunt. Quod ſi ſatis iam diſtinctè à nobis accipienda inferendáque iniuria diſputatũ eſt, dubitare poſſit aliquis, primùm quidem, ſit ne ita vt dixit Euripides, cuius illud eſt ſanè admirabile, & abhorrens ab opinione communi: *Quis ſit iuſtus & quis iniuſtus.* *Cap. 9. de eo quod eſt pati iniuriam.*

Genitricem vt interfecerim, breui eloquar.
Sponte vtriuſque, aut ipſius, ſed non mea.

In tragædia quæ Bellerophon inſcribitur.

Vtrum enim reuera fieri poteſt, vt quis ſuapte ſponte accipiat iniuriam, an non poteſt? ſed vt quiſquis iniuriam facit, ſponte facit, ita quicunque accipit, inuitus accipit? & nunquid, vt omnis iniuria ſponte fit, ita de accipienda iniuria vniuersè alterutrum dicere poſſumus, aut omnem ſpõte accipi, aut omnem ab inuitis: an quædam ſponte accipiuntur, quædam ab inuitis? eadémque dubitari poſſunt de ratione obtinendi iuris ſui. Nam quiſquis agit iuſtè, ſponte agit. quare conſentaneum eſt, eorum, quæ vtique opponuntur, ſimilem eſſe rationem: vt aut & ſponte accipiant iniuriam homines, & ſponte ius ſuum obtineant, aut vtrumque inuiti. Sed illud admirabile videri poteſt, ſi quiſquis ius ſuum obtinet, ſponte illud obtinere dicatur, ſunt enim quibus ius ſuum non ſanè ſua ſponte tribuitur. Nam id quoque dubium eſſe alicui poſſit, vtrum quiſquis iniuſti aliquid perfert, ei fiat iniuria: an vt in agendo, ſic in perpetiendo quoque ſe res habeat. In vtroque enim poteſt aliquis ex euentu tantùm quodam iuſti particeps eſſe, ſimiliſque iniuſti ratio eſt.

Contraria ſe conſequuntur contrario modo.

eſt.neque enim idem eſt,iniuſtum aliquid facere, & iniuriam facere: neque iniuſtum aliquid perpeti, & iniuriam accipere. idémque dicendum eſt de ratione iuſtè agendi, & obtinendi ius ſuum. Fieri enim non poteſt vt quis afficiatur iniuria, niſi ſit qui iniuriam faciat: neque vt quis ius ſuum obtineat, niſi ſit qui iuſtè agat. Quod ſi iniuriam facere nihil aliud eſt, quàm ſponte aliquem lædere: ſponte autem lædit, qui ſcit, & quem, & quo, & quomodo: incontinens autem ſponte ipſe ſe lædit: ſequitur, vt & ſponte accipiat iniuriam & vt quis ipſe ſibi iniuriam facere poſſit, eſt autem hoc quoque vnum ex ijs quæ in quæſtionem vocari ſolent, fieri ne poſſit, vt quis ipſe ſe iniuria afficiat. præterea poteſt quis ſua ptè ſponte propter incontinētiam ſuam ab alio lædi, qui ſponte eum lædat: vt ſponte iniuriam accipere poſſe videatur. An verò recta non eſt ea, quam ſuprà poſuimus, definitio: ſed ad illa, lædere ita, vt ſcias, & quem, & quo, & quomodo: addendum præterea eſt, præter eius qui læditur voluntatem? læditur ergo aliquis, & iniuſtum aliquid

Iniuſtum facere vel iniuriam differunt.

Quid ſit iniuriam facere.

quid

quid perfert ſuapte ſpōte: ſed ſua ſpōte iniuriam accipit nemo, nemo enim id vult, ne incontinens quidem: ſed præter voluntatem ſuam agit. neque enim vult quiſquã, quod bonũ eſſe non cenſet. at incontinens id agit, quod agere non oportet iudicat. Qui autem ſua dat: vt Homerus ait Glaucum dediſſe Diomedi aurea pro æreis, quæque centum bobus æſtimarentur, pro ijs, quæ nouem, ei nulla fit iniuria. In ipſius enim arbitrio eſt dare. iniuria autem affici non in ipſo eſt, ſed eſſe oportet qui iniuriam faciat. iniuriam igitur ſponte quidem non accipi conſtat. Reſtant duo explicanda ex ijs, quæ propoſuimus: Vter tandem iniuriam faciat, is ne qui præter dignitatem plus tribuit, an qui plus habet. & poſsítne quis ſibimetipſi iniuriam facere. nam ſi illud eſt, quod priore loco diximus, facítq; iniuriã, non qui plus habet, ſed qui tribuit: ſequitur, vt ſi quis ſciens, & ſponte plus alteri, quàm ſibi tribuat, iniuriam ipſe faciat ſibi, quod quidem moderati homines facere videntur. etenim vir honus facilè de ſuo iure decedit. An ne hoc quidem ſimplex eſt? fieri enim non poteſt

Incontinens id agit quod agere non oportere iudicat.

Iliado γ.

poteſt,vt alterius boni plus conſequatur, vt gloriæ, aut eius,quod ſimpliciter honeſtum eſt. Præterea diſſoluitur hoc ea,quam tradidimus, faciendæ iniuriæ definitione. nihil enim patitur præter ſuam voluntatem. Quare iniuria non afficitur propterea: ſed, ſi forte, læditur ſolùm. Conſtat autem fieri iniuriã ab eo qui diſtribuit, non ſemper ab eo, qui plus habet. neque enim, vt cuique ineſt, quod iniuſtum eſt, is iniuriam facit: ſed in quo ineſt ſponte id facere: id eſt, vnde eſt actionis principium, quod quidem eſt in eo, qui diſtribuit, non in eo qui accipit. Præterea quando facere multis modis dicitur: & quodammodo etiam inanima interficiũt, & manus, & ſeruus eius qui mandauit, hæc iniuriam quidem nõ faciunt, etiam ſi res iniuſtas faciãt. Præterea ſi quis ignorans iudicauit: nõ facit iniuriam, quod ad ius legitimum attinet, neq; iniuſtum iudicium eſt: ſed tamen quodammodo iniuſtũ. Aliud enim eſt ius legitimum, aliud primum. at ſi ſciens iudicauit iniuſtè, plus ipſe quoque conſequitur, dum aut amico gratificatur, aut inimicum vlciſcitur

Virum bonum facilè de ſuo iure decedere.

Facere multiplex

Aliud eſſe ius legitimum aliud primum.

Vt

Vt igitur, ſi quis partem ferret eius quod iniuſtè tribuit, ita is quoque, qui ea in iudicando ſecutus eſt plus habet. Nam, & in illis, qui agrum adiudicauit, non agrum, ſed pecuniam accepit. Homines autem in ſua poteſtate poſitum eſſe putant iniuſtè agere: quocirca, & facile eſſe, iuſtum eſſe. id autem ſecus eſt. Nam facile quidem eſt, & in ipſis ſitum, cum vxore vicini rē habere, & percutere alterum, & manu pecuniam dare: ſed certo quodam modo affectum hæc facere, neque facile eſt, neque in ipſis ſitum. Eodem quoque modo nullam magnamq́ ſapientiam putant eſſe, noſſe quæ iuſta, quæq́ue iniuſta ſint: quia ea, de quibus loquuntur leges, intelligere difficile non eſt. At ea iuſta non ſunt niſi ex conſecutione: ſed ita demum iuſta, ſi certo quodam modo fiant, & certo quodam modo tribuantur. Id autem operoſius eſt, quàm quæ ſalubria ſunt noſſe. Nam illic quoque mel, & vinum, & Helleborū: vſtionem, & ſectionem facile eſt noſſe, at noſſe quomodo hæc ad ſanitatem adhibenda ſint, & cui, & quando, ita difficile eſt, vt medicum eſſe. Ob id

Iuſta ea eſſe quæ certo quodam modo fiunt.

autem

autem ipſum etiam iuſti hominis eſſe, exiſtimant nihilominus iniuſtè agere, quoniam nihilominus,ac magis etiam, poteſt iuſtus eorum vnumquodque facere. nam & rem habere cum muliere, & percutere. & vir fortis clypeum ab iicere, & in fugam verſus vtramlibet in partem currere. At timidè agere, & iniuſtè agere, non hæc facere eſt, niſi ex conſecutione: ſed ea facere certo quodam modo affectum. Vt medicare & ſanare, non aut ſecare, aut non ſecare,aut medicamenta adhibere, aut non adhibere eſt, ſed certo quodam modo ea facere. In iis autem iura locum habent, qui participes eſſe poſſunt eorum quæ ſimpliciter bona ſunt, quique præter ea eorum & plus & minus, quàm ſat eſt, conſequi poſſunt. Nam aliis quidem nimium tribui non poteſt,vt fortaſſe diis :aliis autem nulla eorum particula vtilis eſt, vt inſanabilibus,& malis:immo eis obſunt omnia. aliis autem vſque ad aliquem modum, idque humanum eſt. Sequitur vt de æquitate,& de æquo bono, quam rationem æquitas ad iuſtitiam, quam æquum bonum ad ius habeat, diſſeramus.

Virum iuſtum non poſſe cum electione agere res iniuſtas.

Cap. 10. de æquitate, & bonitate æquo, & bono.

mus. Inſpicentibus enim neque idem omnino, neque aliud genere videtur. Atque interdum quidem id quod æquum bonum eſt, & eiusmodi hominem laudamus. Itaque Græci nomen epijces, quod nos æquum bonum dicimus, etiam ad alia quæ laudant transferunt, & epijces vocant quod bonum eſt, & nomine epijceſtron ſignificant aliquid melius eſſe. Interdum autem rationem ſequentibus mirum atque abſurdum videtur, æquum bonum, cùm ſit quidem diuerſum à iure, laudabile eſt. aut enim ius bonum non eſt, aut epijces non eſt bonum, ſi aliud eſt: aut ſi vtrumque bonum eſt, idem eſt. Hæc igitur ferè ſunt, quæ de æquo bono dubitari ſolent. Quæ omnia quodam modo verè dicuntur, neque inter ſe diſſident. Nam & æquum bonum ita quodam iure melius eſt, vt ipſum quoque ius ſit: neque ita eſt iure melius, vt ſit aliud quóddam genus. Idem igitur & ius eſt, & ęquum. Cumque ambo ſint bona, melius eſt æquum bonum. Inde autem oritur dubitatio, quod æquum bonum, ius quidem eſt: non tamen ius legitimum, ſed legitimi iuris

Quomodo vtantur Græci nomine epijces.

Idem eſſe ius & æquum.

iuris correctio. Cuius rei hæc cauſſa eſt,quod lex omnis generalis eſt. Quibuſdam autem de rebus vniuerſè & generaliter rectè præcipi non poteſt.Quibus igitur in rebus generaliter loqui neceſſe eſt: id autem recte fieri non poteſt,accipit lex id , quod plerunque fit, non illa quidem peccati neſcia, ac nihilominus recta eſt. culpa enim non in lege , neque in legis latore, ſed in ipſa rei natura eſt. Iam enim talis eſt rerum agendarum materia. Cùm igitur lex quidem vniuerſè ioquitur, accidit autem poſtea aliquid præter generale illud , tunc rectum eſt, qua parte prætermiſit aliquid legiſlator , atque aberrauit , vniuerſe locutus , corrigere quod omiſſum eſt : quod & legiſlator ipſe diceret ſi præſens adeſſet , & ſi ſciuiſſet, lege cauiſſet. Quare ius quidem eſt , & iure aliquo melius. non tamen iure ſimpliciter ſed eo peccato quod ex generali ſermone natum eſt.Atque hæc eſt natura æqui boni, correctio legis, qua parte manca eſt, quia generaliter loquitur. Nam hæc cauſſa eſt cur non omnia legibus comprehenſa ſint : quod de quibuſdam lex ferri non poteſt.

Quomodo ſit corrigenda lex.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

eſſe. quia quod naturale eſt, immobile eſt, & quocunque in loco eandem vim habet. vt ignis vrit & hîc & apud Perſas iura autem mutari vident neque tamen omnino ad ita ſe habet: ſed aliqua tantū ex parte. quanquam apud Deos quidē fortaſſis nulla ex parte ita ſe habet, apud nos autem eſt quidem aliquid naturale mobile, non tamen omne, ſed nihilominus aliud natura valet, aliud non natura. Quod autem eorum, quæ aliter habere ſe poſſunt: naturale ſit, quódque non natura, ſed lege & conſenſu hominum valeat, etiam ſi vtraque peræquè mutabilia ſint, cōſtat. eadémque diſtinctio etiam ad alias res accommodari poterit. Natura enim dextra manus fortior eſt: etſi euenire poteſt vt omnes homines æquè vtraq; manu vtantur. Et autem iura quæ ex conſenſu, & vtilitate nata ſunt, ſimilia ſunt menſuris. non enim omnibus in locis æquales ſunt vini frumentíque menſuræ: ſed vbi quidem emunt, maiores: vbi autem vendunt, minores. Eodem modo quæ iura non naturalia ſed humana ſunt, non quocunque in loco ſunt eadem. quandò ne reipub. quidem

Ius legitimum aliquando mutari.

ſtatus

ſtatus. etſi vnus tantùm eſt omnib.in locis natura optimus. Vnumquodque autem ius, & vnumquodque legitimũ eandem rationem habet,quam vniuerſum ad ſingula.nam ea quidem quæ aguntur multa ſunt.illorum autẽ vnumquódque vnum. vniuerſum enim eſt. Differunt autem iniuria & iniuſtum: itidemque dicæoma, id eſt,iuſtè factũ & iuſtum.nam iniuſtũ quidem eſt aut natura, aut lege.id autem ipſum poſtquam factum eſt iniuria eſt. prius autẽ quam fiat, nondum, ſed iniuſtum. Similiter etiam dicæoma. ſed tamen cõmune nomen quo quidquid iuſtè factum eſt vocatur,eſt potius dicæopragema, dicçoma autem propriè eſt correctio iniuriæ. Horum autem ſingula quas quótque ſpecies habeant, & cuiuſmodi verſentur in rebus, poſterius quærendum erit. Cùm iuſta iniuſtáque ſint ea quæ diximus, tum demum quis iniuſtè agit,& iuſtè,cùm ea ſponte facit at cùm inuitus,neque iniuſtè neq; iuſtè facit, niſi caſu & ex conſecutione quadam ea enim agunt,quibus vt iuſta iniuſtáve ſint,accidit.iniuriã autẽ & iuſtè factũ id demum eſſe definiuimus,quod

Vnum tantum ſtatum eſſe reipub. eumque optimum.

Iniuſtitiam & iniuriam differre.

Ca. 8. de triplici nocumento quod alij iniuriæ vocatur.

ſponte fit. ſi enim ſponte factum ſit, tunc demum vituperatur, ſimulque iniuria eſt. Quare erit quidem aliquid iniuſtum, neque tamen iniuria: niſi illud quoque adſit, vt ſponte fiat. Sponte autem fieri dico, vt ſuprà dictũ eſt, quod quis eorum quæ in ſua poteſtate ſita ſunt, agit, ſciens, neque ignorans, neque quem, neque quo quaſi inſtrumento, neq; cuius rei cauſa: vt quam verberet, & quo, & quam ob cauſam. atque eorum quodq; non ex conſecutione quadam, neque per vim. vt ſi quis apprehẽſa alicuius manu alium verberet, is, cuius eſt manus, non agit ſponte, neque enim in ipſo ſitum eſt. Fieri autem poteſt, vt pater ſit is q percutitur. qui autem percutit, ſciat quidem hominem eſſe, aut eſſe aliquem eorum qui adſunt ſed patrem eſſe neſciat. eadémque diſtinctio adhibita intelligatur, & in fine ad quem dirigitur actio, & in tota denique actione. Quod igitur ignoratur, aut non ignoratur quidem, ſed in ipſo ſitum non eſt, immo per vim fit, inuitè fit. Multa enim eorum etiã quæ natura fert, ſcientes & agimus & patimur, quorum nihil neque ſpõte noſtra, neque

Quid ſit rem aliquam ſponte fieri.

Quid fiat inuito.

neque nobis inuitis fieri dicendum eſt: qualia ſunt ſeneſcere,aut mori. Vt autem iniuſta,ita iuſta quoque multa ſunt non propriè ac per ſe, ſed ex quadam tantùm conſecutione. Nam & ſi quis inuitus ac metu depoſitum reddat,neque iuſtum facere, neque iuſtè facere dicendus eſt, niſi ex euentu: & eodem modo is qui neceſſitate ſubactus atque inuitus depoſitum non reddit,ex euentu tantùm dicendus eſt iniuriã inferre, & iniuſtum facere. Eorum autem quæ ſponte fiunt,partim capto prius conſilio facimus:partim non capto,ac capto quidem conſilio ea,de quibus prius deliberauimus:non capto autem,cum deliberatio nulla anteceſſit. Cùm igitur trium generum ſint ea damna, quæ in ſocietatibus inferuntur: ea quidem, quæ cum ignorantia coniuncta ſunt vocamus errata: cùm quis neque ſcit quem, neque quid, neque quo inſtrumento,neque cuius gratia ſe quid facere putabat,id euenit, ſed quod non putaſſet:exempli cauſa,non vt vulneraret, ſed vt pungeret:aut non illum,aut non illo modo. Cùm igitur præter opinionem damnum illatum eſt,infortunium

Diuiſio eorum quæ ſponte ſiunt

Quid infortuniũ.

eſt : cùm autem non præter opinionem quidem ſed tamen ſine malitia, erratū. aberrat enim,cùm in ipſo eſt principiū cauſę.infortunatus autem eſt,cùm extrà.Cùm autem ſciēs quidē, ſed nulla antegreſſa deliberatione,iniuria eſt, vt quæcumque per iram aliósque omnes animi motus neceſſarios,aut naturales eueniunt hominibus. Nam qui eis impulſi lædunt alium,ac peccant,iniuriam illi quidem faciunt:ſuntqúe talia facta iniuriæ, nondum tamen propterea iniuſti, neque improbi ſunt.neque enim damnum eſt per improbitatem datum. Qui autem capto conſilio lædit, iniuſtus eſt, & imbrobus. Quocirca bene quæ per iram facta ſunt non iudicantur facta conſultò, non enim prior lædit,qui per iram facit,ſed qui iraſcendi cauſam dedit. Prę terea verò ne ambigitur quidem factum ſit nécne ſit, ſed an iure factum. Ira enim opinione iniuſtitię commouetur.Neque in ijs quę per iram facta ſunt in controuerſiam venit,factum ſit nécne:vt in contractibus, vbi neceſſe eſt alterum improbum eſſe, niſi obliti id facient : ſed cùm de facto inter ipſos conueniat,de iure to-

Quæ per iram facta ſunt non iudicantur facta conſult.

ta

ta contentio eſt. At qui conſultò, & cogitatò aliquid fecit, non ignorat. Quòd ſi quis capto conſilio alium lædat, iniuriam facit. & qui tales iniurias facit, iniuſtus iam eſt: cùm aut ab analogia diſcedit, aut ab æqualitate. Itidémque iuſtus eſt, qui capto ita agendi conſilio id quod iuſtum eſt facit. Vt autem iuſtum aliquid facere dicatur, ſatis eſt ſi ſponte faciat. Iam eorum quæ inuitè fiunt, quædam venia digna ſunt, quædam non ſunt. Nam quæcunque non inſcientes tantùm, ſed etiã per inſcientiã peccant homines, ignoſcenda ſunt: quę autem non per inſcientiam, ſed inſcientes quidem, per aliquam tamen affectionem animi neque humanã, ignoſcenda non ſunt. Quod ſi ſatiſiam diſtinctè à nobis accipienda inferendáque iniuria diſputatũ eſt, dubitare poſſit aliquis, primùm quidem, ſit ne ita vt dixit Euripides, cuius illud eſt ſanè admirabile, & abhorrens ab opinione communi:

Quis ſit iuſtus & quis iniuſtus.

Cap. 9. de eo quod eſt pati iniuriam.

Genitricem vt interfecerim, breui eloquar.
Sponte vtriuſque, aut ipſius, ſed non mea.

In tragœdia quæ Bellerophon inſcribitur.

Vtrum enim reuera fieri poteſt, vt quis ſuapte ſponte accipiat iniuriam, an non poteſt? ſed vt quiſquis iniuriam facit, ſponte facit, ita quicunque accipit, inuitus accipit? & nunquid, vt omnis iniuria ſponte fit, ita de accipienda iniuria vniuersè alterutrum dicere poſſumus, aut omnem ſpõte accipi, aut omnem ab inuitis: an quædam ſponte accipiuntur, quædam ab inuitis? eadémque dubitari poſſunt de ratione obtinendi iuris ſui. Nam quiſquis agit iuſtè, ſponte agit. quare conſentaneum eſt, eorum, quæ vtique opponuntur, ſimilem eſſe rationem: vt aut & ſponte accipiant iniuriam homines, & ſponte ius ſuum obtineant, aut vtrumque inuiti. Sed illud admirabile videri poteſt, ſi quiſquis ius ſuum obtinet, ſponte illud obtinere dicatur, ſunt enim quibus ius ſuum non ſanè ſua ſponte tribuitur. Nam id quoque dubium eſſe alicui poſſit, vtrum quiſquis iniuſti aliquid perfert, ei fiat iniuria: an vt in agendo, ſic in perpetiendo quoque ſe res habeat. In vtroque enim poteſt aliquis ex euentu tantùm quodam iuſti particeps eſſe, ſimiliſque iniuſti ratio eſt.

Contraria ſe conſequuntur contrario modo.

eſt. neque enim idem eſt, iniuſtum aliquid facere, & iniuriam facere: neque iniuſtum aliquid perpeti, & iniuriam accipere. idémque dicendum eſt de ratione iuſtè agendi, & obtinendi ius ſuum. Fieri enim non poteſt vt quis afficiatur iniuria, niſi ſit qui iniuriam faciat: neque vt quis ius ſuum obtineat, niſi ſit qui iuſtè agat. Quod ſi iniuriam facere nihil aliud eſt, quàm ſponte aliquem lædere: ſponte autem lædit, qui ſcit, & quem, & quo, & quomodo: incontinens autem ſponte ipſe ſe lædit: ſequitur, vt & ſponte accipiat iniuriam & vt quis ipſe ſibi iniuriam facere poſſit, eſt autem hoc quoque vnum ex ijs quæ in quæſtionem vocari ſolent, fieri ne poſſit, vt quis ipſe ſe iniuria afficiat. præterea poteſt quis ſua ptè ſponte propter incontinētiam ſuam ab alio lædi, qui ſponte eum lædat: vt ſponte iniuriam accipere poſſe videatur. An verò recta non eſt ea, quam ſuprà poſuimus, definitio: ſed ad illa, lædere ita, vt ſcias, & quem, & quo, & quomodo: addendum præterea eſt, præter eius qui læditur voluntatem? læditur ergo aliquis, & iniuſtum aliquid

Iniuſtum facere vel iniuriam differunt.

Quid ſit iniuriam facere.

quid

quid perfert ſuapte ſpōte: ſed ſua ſpōte iniuriam accipit nemo, nemo enim id vult, ne incontinens quidem: ſed præter voluntatem ſuam agit. neque enim vult quiſquā, quod bonū eſſe non cenſet. at incontinens id agit, quod agere non oportet iudicat. Qui autem ſua dat: vt Homerus ait Glaucum dediſſe Diomedi aurea pro æreis, quæque centum bobus æſtimarentur, pro ijs, quæ nouem, ei nulla fit iniuria. In ipſius enim arbitrio eſt dare. iniuria autem affici non in ipſo eſt, ſed eſſe oportet qui iniuriam faciat. iniuriam igitur ſponte quidem non accipi conſtat. Reſtant duo explicanda ex ijs, quæ propoſuimus: Vter tandem iniuriam faciat, isne qui præter dignitatem plus tribuit, an qui plus habet. & poſsítne quis ſibimetipſi iniuriam facere. nam ſi illud eſt, quod priore loco diximus, facítq; iniuriā, non qui plus habet, ſed qui tribuit: ſequitur, vt ſi quis ſciens, & ſponte plus alteri, quàm ſibi tribuat, iniuriam ipſe faciat ſibi, quod quidem moderati homines facere videntur. etenim vir bonus facilè de ſuo iure decedit. An ne hoc quidem ſimplex eſt? fieri enim non poteſt

Incontinens id agit quod agere non oportere iudicat.

Iliado y.

poteſt,vt alterius boni plus conſequatur, vt gloriæ, aut eius,quod ſimpliciter honeſtum eſt. Præterea diſſoluitur hoc ea,quam tradidimus, faciendæ iniuriæ definitione. nihil enim patitur præter ſuam voluntatem. Quare iniuria non afficitur propterea:ſed,ſi forte,læditur ſolùm. Conſtat autem fieri iniuriã ab eo qui diſtribuit,non ſemper ab eo,qui plus habet.neque enim, vt cuique ineſt, quod iniuſtum eſt, is iniuriam facit: ſed in quo ineſt ſponte id facere: id eſt,vnde eſt actionis principium, quod quidem eſt in eo, qui diſtribuit, non in eo qui accipit. Præterea quando facere multis modis dicitur:& quodammodo etiam inanima interficiũt,& manus,& ſeruus eius qui mandauit,hæc iniuriam quidem nõ faciunt,etiam ſi res iniuſtas faciãt.Præterea ſi quis ignorans iudicauit:nõ facit iniuriam, quod ad ius legitimum attinet,neq; iniuſtum iudicium eſt:ſed tamen quodammodo iniuſtũ.Aliud enim eſt ius legitimum, aliud primum. at ſi ſciens iudicauit iniuſtè, plus ipſe quoque conſequitur, dum aut amico gratificatur, aut inimicum vlciſcitur

Virum bonum facilè de ſuo iure decedere.

Facere multiplex

Aliud eſſe ius legitimum aliud primum.

Vt

Vt igitur, ſi quis partem ferret eius, quod iniuſtè tribuit, ita is quoque, qui ea in iudicando ſecutus eſt plus habet. Nam, & in illis, qui agrum adiudicauit, non agrum, ſed pecuniam accepit. Homines autem in ſua poteſtate poſitum eſſe putant iniuſtè agere: quocirca, & facile eſſe, iuſtum eſſe. id autem ſecus eſt. Nam facile quidem eſt, & in ipſis ſitum, cum vxore vicini rē habere, & percutere alterum, & manu pecuniam dare: ſed certo quodam modo affectum hæc facere, neque facile eſt, neque in ipſis ſitum. Eodem quoque modo nullam magnam ſapientiam putant eſſe, noſſe quæ iuſta, quæqúe iniuſta ſint: quia ea, de quibus loquuntur leges, intelligere difficile non eſt. At eą iuſta non ſunt niſi ex conſecutione: ſed ita demum iuſta, ſi certo quodam modo fiant, & certo quodam modo tribuantur. Id autem operoſius eſt, quàm quæ ſalubria ſunt noſſe. Nam illic quoque mel, & vinum, & Helleborū: vſtionem, & ſectionem facile eſt noſſe. at noſſe quomodo hæc ad ſanitatem adhibenda ſint, & cui, & quando, ita difficile eſt, vt medicum eſſe. Ob id autem

Iuſta ea eſſe quæ certo quodam modo fiunt.

autem ipſum etiam iuſti hominis eſſe, exiſtimant nihilominus iniuſtè agere, quoniam nihilominus,ac magis etiam, poteſt iuſtus eorum vnumquodque facere. nam & rem habere cum muliere, & percutere. & vir fortis clypeum ab iicere, & in fugam verſus vtramlibet in partem currere. At timidè agere, & iniuſtè agere, non hæc facere eſt, niſi ex conſecutione: ſed ea facere certo quodam modo affectum. Vt medicare & ſanare, non aut ſecare, aut non ſecare,aut medicamenta adhibere, aut non adhibere eſt, ſed certo quodam modo ea facere. In iis autem iura locum habent, qui participes eſſe poſſunt eorum quæ ſimpliciter bona ſunt, quíque præter ea eorum & plus & minus, quàm ſat eſt, conſequi poſſunt. Nam aliis quidem nimium tribui non poteſt, vt fortaſſe diis: aliis autem nulla eorum particula vtilis eſt, vt inſanabilibus,& malis: immo eis obſunt omnia. aliis autem vſque ad aliquem modum. ídque humanum eſt. Sequitur vt de æquitate,& de æquo bono, quam rationem æquitas ad iuſtitiam, quam æquum bonum ad ius habeat, diſſeramus.

Virum iuſtum non poſſe cum electione agere res iniuſtas.

Cap. 10. de æquitate, & bonitate æquo, & bono.

iuris correctio. Cuius rei hæc cauſſa eſt, quod lex omnis generalis eſt. Quibuſdam autem de rebus vniuerſè & generaliter rectè præcipi non poteſt. Quibus igitur in rebus generaliter loqui neceſſe eſt: id autem recte fieri non poteſt, accipit lex id, quod plerunque fit, non illa quidem peccati neſcia, ac nihilominus recta eſt. culpa enim non in lege, neque in legis latore, ſed in ipſa rei natura eſt. Iam enim talis eſt rerum agendarum materia. Cùm igitur lex quidem vniuerſè loquitur, accidit autem poſtea aliquid præter generale illud, tunc rectum eſt, qua parte prætermiſit aliquid legiſlator, atque aberrauit, vniuerſe locutus, corrigere quod omiſſum eſt: quod & legiſlator ipſe diceret ſi præſens adeſſet, & ſi sciuiſſet, lege cauiſſet. Quare ius quidem eſt, & iure aliquo melius. non tamen iure ſimpliciter ſed eo peccato quod ex generali ſermone natum eſt. Atque hæc eſt natura æqui boni, correctio legis, qua parte manca eſt, quia generaliter loquitur. Nam hæc cauſſa eſt cur non omnia legibus comprehenſa ſint: quod de quibuſdam lex ferri non poteſt.

Quomodo ſit corrigenda lex.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Quo circa pſephiſmate opus eſt. Interminatæ enim rei interminata eſt & regula: vt & ædificationis Leſbiæ regula plumbea. nam transfertur, & inflectitur ad figuram lapidis, neque eadem manet: quomodo & pſephiſma ad ea quæ aguntur. Quid igitur ſit æquum bonum, & quid ius, & quo iure melius, conſtat. Ex quo perſpicuum etiam eſt, quis ſit vir æquus & bonus. qui enim talia conſulto ſectatur, agitque, neque ſummum ius in deteriorem partem perſequitur, ſed de ſuo concedit, tamen etſi lex à ſe facit, ęquus eſt: & habitus ille æquitas, quæ iuſtitia quædam eſt, non alius aliquis habitus. Ecquid autem ſibimetipſi aliquis iniuriam facere poſſit, necne poſſit, ex ijs, quæ diximus, conſtat. Nam eorum, quæ iuſta ſunt, partim quidem omni virtuti conuenientia legibus conſtituta ſunt. exempli cauſſa, lex non iubet, quemquam ſibi mortem conſciſcere: quæ autem non iubet, vetat. Præterea cum quis cui contra legem nocet, neque viciſſim nocet, & ſponte nocet, iniuriam ei facit, ſponte autē, qui ſcit, & cui, & quomodo. At qui ſe per iram

Cap. 11. de inferenda iniuria.

Quæ non iubet, lex vetat.

interficit, ſponte id facit. contra rectam legem, quod lex non ſinit. iniuriam igitur facit. at cui? an non ſibi, ſed ciuitati? ſponte enim patitur. iniuria autem ſponte afficitur nemo. Quare etiam eũ ciuitas multat: & ignominia quædam inuritur ei, qui ſibi necem conſciuit: vt qui ciuitatem iniuria affecerit. Præterea qua ratione iniuſtus eſt is tantum, qui iniuriam facit, non qui omnino vitioſus eſt, fieri non poteſt, vt ſe quis iniuria afficiat. eſt enim hoc aliud ab illo iniuſtitiæ genus: quo qui iniuſtus eſt ita vitioſus eſt, vt ignauus: non vt qui omni vitio cõtaminatus eſt. Ne in hoc quidem igitur genere iniuriam facit. ſequeretur enim, vt idem eidem ſimul & detrahi, & adiici poſſet. quod fieri nequit. ſed ſemper in pluribus eſſe iuſtum & iniuſtum neceſſe eſt. Præterea vt quis iniuriam facere dicatur, & ſponte faciat oportet, & capto conſilio, & prior. qui enim, quod ſibi factum eſt, idem viciſſim facit, iniuriam facere non videtur. at qui ipſe ſe lædit, eadem ſimul & patitur & facit. Deinde ſequeretur fieri poſſe, vt quis ſuapte ſponte acciperet iniuriam. Accedit, quod ne-

Iuſtũ & iniuſtum ſemper in pluribus eſſe neceſſe eſt.

mo iniuriam facit, quin certā aliquam iniuriam faciat. at nemo cum vxore ſua adulterium facit, nemo parietem ſuum perfodit, nemo ſua furatur. Denique diſſoluitur hoc, ſibi quemquam iniuriam facere, iis quæ iam definita & conſtituta ſunt de eo, poſsítne quis ſua ſponte iniuriam accipere. Conſtat autem, vtrumque malum eſſe, & accipere iniuriam, & facere. alterum enim eſt minus, alterum plus medio habere: quod quidem eſt, vt in medicina ſalubre, in arte exercendorum corporum bene habitum. Sed tamen peius eſt iniuriam facere. eſt enim cum improbitate coniunctum, & vituperandum, & aut cum improbitate abſoluta, & propriè dicta, aut ei finitima. Non enim quidquid ſponte fit cum iniuſtitia coniunctum eſt: at accipere iniuriam, ſine improbitate & ſine iniuſtitia eſt. Quare per ſe quidem minus malum eſt iniuria affici: ex conſecutione autem nihil prohibet, quin ſit maius malum, ſed de hoc ars non laborat. quin immo lateris dolorem maiorem morbum eſſe dicit, pedis offenſione. Et ſi contra interdum euenire poteſt ex conſecutione: ſi eueniat,

Peius eſt iniuriam facere quam accipere.

niat,vt is qui alicubi offendit,propterea quod ceciderit,capiatur ab hoſtibus, & moriatur. Tralatione autẽ quadam & ſimilitudine eſt ius quoddam non quidẽ alicui erga ſe ipſium inter ſe:neque vero quodlibet ius : ſed quale eſt quo dominus in ſeruum, aut pater familias in familiam ſuam vtitur. His enim rationib. diſtat ea pars animi quæ ratione prædita eſt,ab ea quæ caret. quæ intuentibus videtur eſſe aliqua iniuſtitia erga ſe ipſum. quod in ijs fieri poteſt, vt aliquid alienum ab appetitionib. ſuis perferat. Vt igitur imperanti, & parenti, ſic his quoque ius inter ſe quoddã eſt. De iuſtitia igitur,ceteriſque virtutibus moralibus hoc modo explicatum ſit.

Platonis opinio iuſtitiã aut iniuſtitiã ad ſeipſũ ponentis.

FINIS.

IN SINGVLAS M. ANTONII MVRETI ORATIONES ARGVMENTA QVIbus quid in vnaquaque tam ad rem ipſam facere videtur quam ipſi annexum perſpicuè explicatur.

Diſpoſitio primæ Orationis.

INitium Orationis ducitur ex cōparatione à maiori, ſcilicet, qui ſcientiæ diuinæ ſiue Theologiæ incumbunt, a ſubiecto, & ſubiecti fine nobiliore & præſtātiore, maiore laude dignos eſſe. Attētum & docilem hinc reddit auditorem, a rei, de qua dicturus eſt, breui expoſitione, a ſua & auditorum perſona captata beneuolentia. Deniq; exordiū attentionis poſtulatione cōcludit: præteritionē narrationi præponit, qua nō ſummatim, ſed per ſingulas partes, Theologiam laudandā eſſe ait. Partitio ſequitur Theologiæ in legem & Euāgeliū. Prioris originem Narratione ipſa explicat, atq; in duo mēbra partitur, cultū numinis, & niſocietatem humanam tuendam. Priorem partē exponit, tam ratione, cum authoritate, deinde eā legem cum cæteris ex vtilitate peneſq; primū principium a quo hæc manauit, comparat. Ad

Euan

Euãgelium ſe accingit,cuius,primo,vtilitatem explicat,intermixtis affectibus,deinde eius originem cum amplificatione recenſet.Ex harũ autem partium præſtantia, totius Theologiæ dignitatem,per ſimilitudem Platonicam explicat, & id quidem amplificat, per collationem methodi,quam in naturalibus, & diuinis tractandis,tenent Philoſophi & Theologi.Deinde iucunditatem Theologiæ perquirit,tum in Pœticis modulationibus,cum hiſtoricis narrationibus,quas eleuat per comparationẽ externæ hiſtoriæ Tandem ad Theologiam cõuerſa oratione,perApoſtrophen,declamatorio dicẽdi genere ſeſe oſtẽtat Cõcludit,Theologiç Cãdidatos hortãdo ad virtutem & labores fortiter ferendos diuinis propoſitis præmijs.

Diſpoſitio Secundæ Orationis.

ORationẽ orditur per attentionis & beneuolentiæ captationẽ,tum à rei difficultate & loci amplitudine,cum auditorum dignitate & eruditione. Deinde beneuolentiam a ſua perſona ſibi conciliat,ſuam induſtriam & ſtudium a puero,erga bonas artes cõmemorãdo. Tum propoſitionem earum rerũ de quibus dicturus eſt, ſubiungit. Prima literarum commendationis narratio, ab vtilitate & fœlicita-

'te publica,ducta eſt, quæque per enumeratio-nem probatur. Primum quidem in omnib. ętatis humanæ partibus, interiecta his voluptate & iucunditate quadam animi, quæ ex literarum ſtudijs percipitur, nō corporis, & id Poeticis exēplis declarat: per amplificationem illius voluptatis literariæ, quæ à rebus cęteris nos auocet, vt exēplis cōprobat. Subijcit itē Apoſtrophen ad iuuentutē ſuper illis ſtudiis amplexādis. Demū ad publicorū tēporū, pacis ſcilicet & belli, varietatē ſe cōfert, priore parte breuiter ptractata, quorūdā obiectioni interea reſpōdens, quantum in bello literæ valeant, & rationibus & exemplis tū externis cum domeſticis demonſtrat. Cōcluſio eſt per extenuationē, deinde ex maxima auditorū frequentia ſuæ profeſſioni bene ominatur.

Diſpoſitio Orationis Tertiæ.

EXordium inchoat ex beneuolētia ſumpta ab aduerſariorū perſona, cōmemorata eorum de litteris humanioribus præpoſtera opinione. Attentio ſequitur, rerum dicendarum propoſitione, captata beneuolentia à ſua perſona, non ſine tacita ſui ipſius laude; atque auditorum perſona, quorum ſapiētiam huic opinioni contra ſentiendo, experientia, colligit.

Ante

Antequam vero ad refutationem ſe accingat, ficta aduerſariorũ oratione vtitur, in qua mẽtem illorum explicat, quo pacto literarum humaniorum profeſſionem, nullius momenti, & quidem publicæ vtilitatis, eſſe ſentiant: præſertim ſi cum ſingulis Philoſophiæ partibus, quas hic enumerat, conferantur. quos vt facilius refutet, conceſſione vtitur, docetque cum Philoſophia maximũ eſſe literarũ humaniorũ commercium. Orditur itaque à Poetica, quam non ludicra aut frugis expertia, ſed reconditã ſapientiam cõplecti, probat teſtimonio Platonis & Ariſtotelis. Tum ad eloquentiam delabitur, de cuius vtilitate & neceſſitate dicit, deinde quod ſit munus eloquentiæ & Poetices oſtendit, eaſque cum cæteris confert, docetque non in vno quodam ſubiecto verſari, ac cæteræ, ſed omnes, omniũ rerũ, ſcientias in iis explicandis requiri aſſerit, ſuo præſertim teſtimonio fretus tam in explicatione Verrinarũ, cũ in librorum de finibus interpretatione, quam ſe aggredi ait quarũ rerũ profitendi difficultatem in ratione dicendi arguit, per cõparationẽ cæterorum artificum. Concludens vero, ſenatum Venetum ad ſolitã liberalitatẽ, hortaur.

Diſpoſitio Orationis IIII:

EXordium ex Prolepſi eſt de coniunctarhiloſophia cū Eloquentia, cui reſpondet, ex ipſarum ſcientiarum affinitate, & ſibi ſolito docendi more. Cuius vt methodū comprobet, Profeſſores triplicis generis facit, quos oēs ſic enarrat, vt alij ſolis verborum lenocinijs contenti ſint quidam philoſophi, ſed agreſtes & indiſerti, Tertij mediū feriant diſerti philoſophi. Quod Genus poſterius probat ſui ipſius teſtimonio, facta enumeratione eorū quæ apud Venetos docuerit, & docturus ſit attētionē parans a re ipſa docenda; quā miris modis eleuat. Tum a difficultate ipſam interpretandi cognitionis ſuauitate & vtilitate, ſuamque profitendi hac in re prouinciam per cōparationem cum cæteris, crebra antitheſi, commēdat. Breui deīde eorū de quibus dicturus ſit expoſitione, docilem ſibi reddens auditorem. Partitio ſequitur eorum cum quibus res illi eſt. Denique exordium attentione concludit, Narratione prætermiſſa, ad refutationem ſe confert, cuius duplex eſt ratio pro duplici hominū, quos refellit, genere. Primum enim eos refutat qui verba tantum non res perſequuntur. Ratio ducta eſt a conſtitutione & compoſitione orationis, narrationis perſpicuitate, illā altius inueſtigans, nimirum ex ordine & natura ſcientiæ & intelligendi, duorum Orationis principiorum,

cipiorum,quæ ſine rebus ſtare nō poſſunt.amplificat autem refutationem ex cōmendatione philoſophorū, ex vtili & honeſto. Reſpondet inſuper tacitæ obiectioni, probans ex tribus oratoris officijs nullum a quoquam exerceri poſſe qui ſit philoſophię ignarus,deinde in eos agit,qui aiunt ſatis amplam rerum, quas philoſophia tractat,cognitionē, ex rhetorū libris deſumi poſſe,idque eorum exēplis,qui licet in arte Oratoria cæteris pręcelluerint, nihilo minus ſe philoſophis erudiendos cōmiſerunt, refellit. In alios deinde inuehitur qui philoſophiam ſalebroſam & inamœnam eſſe aiunt. Ad alterā orationis partem ſe cōuertit,de philoſophis barbaris & indiſertis,quos triplici,eaque diuerſa opinione diſtinguit. Alij enim illam eloquentiā philoſopho nō eſſe neceſſariā, quidam indecoram, poſtremi vt in vtroq; excellat, neminem, conſequi poſſe affirmant: Cum prioribus ita agit, vt concedat non eſſe neceſſariam, ſed commodam & ad ſplendorē perutilem.Secūdorū mentem & rationes aperit,docètq; vt philoſopho indecorum ſit,effœminatam & canticorum ſimilem perquirere orationē, ita agreſtem perſequi, impurum eſſe ſed Orationis cultum moderatum,philoſopho ineſſe debere.Poſteriores refellit ab exēplis,tū veterum phiſophorum,quos hic recenſet,cum

domeſticorũ, adhibita, in modũ concluſionis adiuuentutẽ exhortatione, per cõmendationẽ ciuitatis Venetæ & maiorum, qui philoſophiã ſemper eloquentiæ iunxerunt.

Diſpoſitio orationis. V.

ORationis initio, ex veteri cõſuetudine attentionẽ parat, quã tamẽ, de philoſophia morali dicturus, imitari veretur, ne in peruerſum vulgi iudiciũ incidat. Sequitur propoſitio eorum de quibus dicturus eſt, nimirũ de philoſophię moralis laudibus. Narratiõis ſiue cõmẽdationis perpetuę primũ caput, à fine deſumitur, quẽ oratorio more, per cæterorũ comparationem amplificat. Deinde quos fructus pariat in philoſopho ipſo exponit, quẽ miris modis cõmẽdat, vtpote à voluptatũ, diuitiarum, & ambitionis contemptu, per collationẽ verorum philoſophorum cũ alijs. Demũ hominẽ non philoſophũ, bonis corporis & fortunæ (quæ vocant) abundantem, cum philoſopho, penes vſum cõparat: excurritque in locos cõmunes laudũ philoſophiæ, quas morali præ cæteris accommodat: repetitis veterũ tum teſtimonijs, cum exẽplis: concluditque per officij pollicitationem & obſecrationem, vt eius ſtudium & laborem, diligentia & beneuolentia, auditores proſequantur.

BEneuolentiam & attentionē ducit à rerū hactenus explicatarū vtilitate & dignitate,repetita laude, & explicatione philoſophiæ moralis, & per comparationē cū phiſiologia, quā & minus præſtantem minuſque neceſſariā morali aſſerit,ex detrimētisquę eius ignoratione conſequuntur. Deinceps profeſſionis huius partes explicat, ita tñ vt per prolepſim duplici hominū generi reſpondeat. Vni,nimiū tritam & vulgarē philoſophiæ moralis tractationē aſſerenti,ex optimo docēdi vſu,per amplificationem ſatisfacit,hoc inſuper addito,facilē non ita moralis philoſophiæ profeſſionē eſſe,vt vulgo creditur,quod veterum & ſui ipſius teſtimonio cōprobat: Alteri generi hominū duplici ratione reſpondet, primū non vitio dari philoſophiæ moralis profeſſoribus, ſi pauci eorū ſermonib.ad virtutē incitētur, ſed ex animorum diuerſitate id effici. Altera ratio eſt per côceſſionem,addita obſecratione, per contrariam ſimilitudinē ab Epicureis ſamptā, ſcilicet rem ipſam, non hominū vitia ſpectari debere. Digreditur ēt in ſphiloſophiæ moralis calumniatores. Concludit tandē,vt ſolet, per exhortatationem ad auditores,ad ſtudiū iſtud philoſophicum magis ac magis illos excitans.

ATtentionem parat, repetita vtilitate vniuerſa philoſophiæ moralis, pſertim iuriſperitorũ ratione habita. Sequitur rei expoſitio, quam extollit, docilem hinc & attentum ſimul reddẽs auditorẽ. Laudes verò ipſius rei ſiue iuſtitiæ, tũ à neceſſitate, cũ à lõge lateque patente dominatione, deſumit: enumeratione eorũ omniũ quib. hæc tota ſtat machina. Primũ cœleſtis mũdi, cuius mirus ordo ĩ ipſo iuſtitiam arguit. Anni, cuius tempeſtatũ æqua eſt proportio. In elementis idẽ perquirit, ſcilicet, Iuſtitia quadam, certis regionib. circumſcriptis, tum admixti compoſitionẽ æqua tẽperie, concurrentibus. In homine, ex animo & corpore conflato, quarum partiũ, in minores particulas diuiſione facta, ſingulaque enumerando, miram iuſtitiam tum à reb. ipſis, cum à contrarijs, arguit. In œconomia itẽ familiari expoſitiõe rei domeſticæ. In ſocietate cõmuni hominũ à cõtrario idem demonſtrat: etiã cũ auxeſi, cætera vitia, cũ iniuſtitia multo magis inuiſa, cõferendo. In imperijs & reb. publicis, quæ iuſtitia tanquã fundamẽto fulciũtur. Quãta deinceps iuſtitiã conſequãtur cõmoda, amplificationib. aperit. tandem concludit per anacephaleoſim, tum orationẽ vt claudat, auditores excitat, à re ipſa, ab authore qui explicandus

dus eſt, vt ſecum ſedulã nauare velint operã, illi audiẽdo & perdiſcẽdo, hic vero in docẽdo.

Diſpoſitio Orationis. VIII.

ATtentionem à rei magnitudine& vtilitate, quæque ad omnes pertineat (ſcilicet animi quidẽ eſt cũ nobis ipſis cognitio) adiecta beneuolentia, comparat. Digreſſiunculam per præſumptionẽ ſubijcit, qua ſuam, de animo tractationẽ à phiſica diſtinguit. Rei expoſitio ſequitur breuis, cũ docilitate. Partitio deinde fit animorum in ratione vtentes & rationis expertes. tum rationis expertium, alij vegetatiui, alij ſenſitui dicuntur. cuius prioris triplicem conſtituit facultatem, nutriendi, augendi & procreandi. Poſterioris duas vires facit, apprehendendi, & vtilia appetendi, moleſtaque fugiẽdi. Apprehẽſionẽ deinde ſubdiuidit, inſenſum & phantaſiam ſenſus quid efficiant in apprehendendo, explicat. Tũ quid ſit phantaſia, eamque cum ſenſu, penes apprehenſionem comparat, brutisque ineſſe docet. Animæ ſenſitiuæ facultatem, quæ in appetendo aut fugiẽdo eſt, exponit: Cuius duas partes facit, iram& concupiſcentiam, tum docet quo pacto lætitia, mœror, cupiditas, & metus, beſtijs conueniant. Quę rationis ęxpertes ſint, ſimilium

ATtentionem parat, repetita vtilitate vniuerſa philoſophiæ moralis,pſertim iuriſperitorũ ratione habita. Sequitur rei expoſitio,quam extollit,docilem hinc & attentum ſimul reddẽs auditorẽ.Laudes verò ipſius rei ſiue iuſtitiæ,tũ à neceſſitate,cũ à lõge lateque patente dominatione,deſumit:enumeratione eorũ omniũ quib.hæc tota ſtat machina.Primũ cœleſtis mũdi,cuius mirus ordo ĩ ipſo iuſtitiam arguit. Anni, cuius tempeſtatũ æqua eſt proportio.In elementis idẽ perquirit,ſcilicet,Iuſtitia quadam ,certis regionib. circumſcriptis,tum admixti compoſitionẽ æqua tẽperie,concurrentibus.In homine, ex animo & corpore conflato,quarum partiũ,in minores particulas diuiſione facta,ſingulaque enumerando,miram iuſtitiam tum à reb. ipſis, cum à contrarijs,arguit.In œconomia itẽ familiari expoſitiõe rei domeſticæ.In ſocietate cõmuni hominũ à cõtrario idem demonſtrat: etiã cũ auxeſi,cætera vitia,cũ iniuſtitia multo magis inuiſa,cõferendo.In imperijs & reb. publicis, quæ iuſtitia tanquã fundamẽto fulciũtur.Quãta deinceps iuſtitiã conſequãtur cõmoda,amplificationib.aperit.tandem concludit per anacephaleoſim,tum orationẽ vt claudat,auditores excitat,à re ipſa,ab authore qui explicandus

dus eſt, vt ſecum ſedulã nauare velint operã, illi audiẽdo & perdiſcẽdo, hic vero in docẽdo.

Diſpoſitio Orationis. VIII.

ATtentionem à rei magnitudine & vtilitate, quæque ad omnes pertineat (ſcilicet animi quidẽ eſt cũ nobis ipſis cognitio) adiecta beneuolentia, comparat. Digreſſiunculam per præſumptionẽ ſubijcit, qua ſuam, de animo tractationẽ à phiſica diſtinguit. Rei expoſitio ſequitur breuis, cũ docilitate. Partitio deinde fit animorum in ratione vtentes & rationis expertes. tum rationis expertium, alij vegetatiui, alij ſenſitiui dicuntur. cuius prioris triplicem conſtituit facultatem, nutriendi, augendi & procreandi. Poſterioris duas vires facit, apprehendendi, & vtilia appetendi, moleſtaque fugiẽdi. Apprehẽſionẽ deinde ſubdiuidit, in ſenſum & phantaſiam ſenſus quid efficiant in apprehendendo, explicat. Tũ quid ſit phantaſia, eamq́ue cum ſenſu, penes apprehenſionem comparat, brutisq́ue ineſſe docet. Animæ ſenſitiuæ facultatem, quæ in appetendo aut fugiẽdo eſt, exponit: Cuius duas partes facit, iram & concupiſcentiam, tum docet quo pacto lætitia, mœror, cupiditas, & metus, beſtijs conueniant. Quę rationis expertes ſint, ſimilium

milium facultatum diuiſione,ex ipſo Ariſtote-le, edocettum per correctionem quandã, eas facultates,rationis quodammodo eſſe partici-pes,oſtendit. Demum ad eam animi partẽ,quæ cum ratione eſt,delabitur:quam in duo mem-bra partitur, voluntatem & electionem, quæ appetitionis ſunt. Cognitionis vero tres ſunt fa cultates, opinio,cogitatio,& intelligentia, ex quibus,per varias comparationes,tum ſapien-tiæ,cũ ſciẽtiæ originẽ elicit,Deinceps ipſius pru dentiæ originẽ,ſũmis cũ laudũ titulis,explicat. Opionionis naturæ explicatio ſequitur, quam virtutis nomine exornat, ſi bona, vera, & ne-ceſſaria ſit: idem in prudentia videre eſt. Con-cludit anacephaleoſi, per depreſsionem orato-riam,& vt ſolet,auditores,quos interim com-mendat, hortatur, tum à rei dignitate, præ-ſtantia,elegantia & eruditione, recte generalis officij,maximis pollicitationib. finẽ imponẽs.

Diſpoſitio Orationis IX.

Exordium ex præſũptione incipit, cui reſpõ-det, rationẽ reddens repetitis ſtudij inter-miſsi,interea, præmiſſo ſtudiorum ſuorũ diſ-curſu,attentionem ſibi dicturo,poſtulat. Nuda eſt ſuorum ſtudiorũ narratio, per gradationẽ. Tum quod inchoatum,iuris ciuilis ſtudiũ, re-

tardauerit,

tardauerit, edocet. Demum quo pacto illud ad maturitatem deduxerit, atque ſuum erga iuriſprudentiā animum, eleganti ſimilitudine, declarat. Tandē de ſuo inſtituto dicit. Prolepſim interea mouet, cui reſpondet docens non eſſe inutile, aut inuidioſū, alias artes docuiſſe, priuſquam ad iuriſprudentiam ventum fuerit, veterum præſertim eorumque doctiſſimorum teſtimoniis Hanc autem veluti prælectionem, nō abſolutam orationem, poſtulata attentione, concludit.

Diſpoſio Orationis x.

CVr intermiſſam docendi prouinciā ſubeat, exponit, non quidem conſulto, vnde à cōmuni axiomate orditur, nullam eſſe neceſſariā de futuris aſſertionem, cū decreuiſſet priuatis ſtudiis, ex otio quod Cardinalis Ferrarienſis liberalitate permiſſum, eſt incumbere. Intermiſſum repetit igitur profitendi munus, ex Cardinalium authoritate, cum tacita ſui cōmendatione quod cæteris prȩlatus fuerit, licet correctione modeſta poſtea vtatur. Quamobrē omne ſtudium & ſollicitudinē profitetur, in erudienda ſibi cōmiſſa iuuentute, orationiſq; trāſlatione à Cardinalibus ad iuuentutem ipſam, hanc veluti præfaciunculam concludit.

IN proœmio ſuum inſtitutum ab vtilitate & methodica facilitate commendat, de preſſionem ſubiungens oratoriam ad arrogantiā vitandam, non tamen ea omiſſa methodo quām in vno quoque profeſſore requirit: parata attentione exponit de quibus ſit dicturus. Quod ſit profeſſoris officiū, quibúſque rebus contineatur, enarrat. Quod vt confirmet, à deſſimili ratiocinatur, quod Iuris Ciuilis profeſſores, nūquam veram profitendi rationem ſint conſequuti. falſæ ſcilicet pro veris docendo, ignoratione antiquitatis & maligno contradicendi ſtudio, à re propoſita item aliena maxime, & diuerſa confuſe & obſcure tractando: quæ maxime amplificat, ratione veritatis & affinitatis rerū, quæ docentur, cum materia ſubiecta, & ordinis, miris quem modis extollit & perſpicuitatis rerum. Intermiſcet obiectionem de elegantia ſermonis, in Iure Ciuili profitendo ſeruanda, cui reſpondet, ex diuerſa docendi & ſcribendi ratione. Demum obiectioni cuidā reſpondet, quam mouerat. Tandem cōcluſionis loco pollicens ſe daturū operā vt quæ in vero profeſſore requiruntur, ſua diligentia conſequatur.

Diſpo-

SE ad dicendum, pro ingenij eſtentatione, ab amicis conpulſum fuiſſe, beneuolentiam, captans à ſua perſona, oſtendit. Dicit igitur, ſed accommodatè ad id quod eſt docturus, ſcilicet de iudicandi munere. Primum, narrationis caput eſt de authoritate iudicum, quam à ſalute aut ruina Reipublicæ, confirmat: tum à fine congregandarũ ciuitatum, à creatione Regum priſcorum, quos iudicaſſe exemplis enumerat. Deinceps quales eſſe debeant iudices, eorundẽ munus & quibus finibus circumſcribãtur, explicat. Altera pars eſt de deligendis Iudicibus, quid in iiſdem requiratur, ſcilicet probitas, ætas matura, cenſus: addit etiã quæ in iudicando obſeruanda & fugienda, quæ per locos communes amplificat, demum vt ſeſe gerere debeãt in iudicando. Epilogum conficit per enumerationem atque obſecrationem, quod non ad rẽ ipſam quam primum explicandam ſe conuerterit, quod enim egit, amicorum precibus egit.

Diſpoſitio Orationis 13.

RAtionem mutati inſtituti, per anticipationem, in prooemio exponit, beneuolẽtiã captans à perſona Cardinalium, & hanc ad

quam reuocatus eſt, docendi prouinciam à ſimili amplificans: ac eloquentiæ profeſſionis munus, certis finibus per ſimilitudinem quandam definit: attentóſque reddit auditores, quod nō vulgarem eloquentiam, vt quidam ſcioli, profeſſurus ſit. Narrationis loco circumforaneam eloquentiam deſcribit, eiuſmodi eloquētis eleganti proſopopeia, quēque Philoſophiæ, Hiſtoriæ, poeſeos, linguæ denique Græcæ, ignarum fingit: vt pote qui in quadrandis, componendiſue ex vocibus Ciceronianis, periodis ſolum intentus ſit. Quis autem vere eloquens ſit, lōge aliter explicat, eius collatione facta cum dialectico, penes vniuſcuiuſque horū, pugnādi inſtrumenta. Concludit, per ſolitas obeundi muneris pollicitationes.

Diſpoſitio Orationis 14.

EXordium cauſæ cardinem complectitur, & à rei ipſius elatione, ſuiq; depreſsione, beneuolum attentumque reddit auditorem: correctionem addit, mallens de litterarum laudibus quam contra, dicere, tum expoſita rei ipſius tractandæ difficultate, attentionem parat, argumentóque à minore ad maius litteras celebrandas eſſe probat, beneuolentiā inſuper à loco ipſo captat. Prima laudum capita, ab Epithetis

thetis tribuuntur ipſis artibus,quę deducuntur. Deinde confert artiū ſtudia cū aliis viuendi inſtitutis: Primum quidem inſtitutum, tanquam rei priuatæ & publicæ inutile, reſpuit. Deinceps confert agriculturam & mercaturam cum litterarum ſtudiis, priori humanitatem antepo nit ex ſubiecti præſtantia, poſteriorē poſtponit tanquam ſordidam & periculoſam Picturæ & ſtatuariæ preponit, ob diuturnitatem & amplitudinē. Poſtremo cum re militari confert, litterarum ſtudia præponit, quod quietiora, mi nus periculoſa, omnique tempore pacis & belli reipublicæ pernecceſſaria. Inſuper quantum ad fortunæ bona comparanda viriū inſit litteratū ſtudiis, in quibuſlibet artibus, ex ipſorum litte ratorum exemplis, demonſtrat. dicit etiam de ſplendore illarum vnicuique communi, cū lau dum amplificatione. Concludit per anacephaleoſim, túmque ad litteras amplectendas audi tores hortatur.

Diſpoſitio Orationis 15.

PEer comparationem orditur, à peculiari & maiori gaudio Franſciſci 2. ex Pij 4. electione, quibuſue decauſſis, quas hic amplificat: tum beneuolentia à ſua perſona captata, Pontifici gratulatur, cuiusdignitatem, argumento à

minori ad maius,tum à ſupplicationibus,quæ dũ eligeretur fiebant, eleuat:addita ipſius Põtificis laude varijs Oratorum coloribus intertexta.Deinde exhortatur Põtificem,ad hæreſes,radicitus,euellendas , opportunitatemque ipſam,ex tẽporis collatione, cũ ſuperioribus, & ſummo Principum Chriſtianorum,præſertim Franciſc.2.ſtudio colligit:cuius magnitudine cęteris prçcellere,tum maiorum exẽplo, cum ordine,quem inter Principes Chriſtianos ſeruat,diſſerit.Pontificem tandem,ad conciliũ conuocandum hortatur,tum& nomine Franciſci 2.obſequium Chriſtianum prętat.Demũ Pontificem ad Regnum Gallicum amplexandum,trib.præſertim de cauſſis,excitat.Orationi demum finem imponens eandem obedientiam,pro Regno Scotiæ præſtat.

Diſpoſitio Orationis 16.

AB inſinuatione Orationis initium ducit, quod ſcilicet tardius quã par ſit ad P. M. oratores miſerint Antonius Rex & Ioanna Nauarræ Regina,mira excuſatione vtens ,totam ſuſpicionis cauſam , ab optima , de P. M. cõcepta opinione remouet Deinde redditi obſequij formulam exponit.Elegantẽ ſubnectit præteritionem laudũ,ipſorum Principũ,quorum

rum optimam,erga Romanam Eccleſiam,voluntatem,maiorum ipſorū exemplis cōmonſtrat.Primum D.Ludouici, à quo originē trahūt,deinde Ludouici Hutini,Philippi Eburonici, Theobaldi Campaniæ comitis:denique Sanctij tertij,cuius victoriam ex Sarracenis partam,ſumma cum amplificatione,commemorat,inter hæc expoſita inſigniū,Regū Nauarræ ratione.Tandem conuerſa,ad, ad ſumū Pontificem oratione,ad commodum publicū Eccleſiæ,hortatur,ſuique muneris meminerit, ſubiecta obedientiæ formula, qua orationem claudit.

Diſpoſitio Orationis 17.

BEneuolentiam, à ſui ipſius extenuatione, captat : parat etiam attentionem expoſitione eorū de quibus ſit dicturus:beneuolentiam item à perſona P. M. ſibi comparat. Attentionis altera pars, ex rei magnitudine & difficultate deſumpta eſt: Narrationē inchoat à pietate & religione ipſius Gentis franciciæ, tum Regum plurimorū exempla,ea in re, recenſentur.Vt Clodouei & Childeberti filij, in Arrianos odio,Dagoberti,in religionis Chriſtianæ hoſtibus perſequendis,Caroli Martelli, ex ampliſſimis de fidei Chriſtianę hoſtib. vi-

ctorijs reportatis, Pipini item & Caroli Magni, in Pontificibus, ex Longobardica Tyrannide ereptis, Eccleſiaque Romana ditata, & fide Chriſtiana amplificata. Altera pars commendationis, in explicandis laudū titulis, quibus ſummi Pontifices, Gallorū Reges ornauerunt, tota poſita eſt. Optimā, de ipſo Carolo, ſpem habendā ex ijs ipſis, præſertimque matris inſtitutione, colligit. Digreditur ī miſerrimos bellorum ciuilium Galliæ motus, cū collatione bellorū externorū, cum his domeſticis: optimū hinc bonis omnibus, huius belli, auguratur exitum, ex perditorum Albigenſiū infœlici ruina, quam hiſtoriam cum præſenti inter ſe confert. Demum legationē cōmendat à perſona ipſa. Tandem obedientiā Regis nomine exponit, qua orationem abſoluit.

Diſpoſitio Orationis XVIII.

PII 5. P.M. electionem dilatando, anſam dicendi, de Sigiſmundo Poloniæ Rege, arripit, non omiſſa beneuolentia à perſona Pontificis captata. Amplificat autem, per ſimilitudinem, nuncij, ipſius electionis, amplitudinem, attentionem parans ab expoſitione rei, de qua dicturus ſit: poſtulata à P. M. ex rebus ipſis, attententione. Prima Narrationis pars, expo-

nit amplitudinem Regni Polonici,ex hominũ & locorum ratione,tum vt eorum, erga religionem Chriſtianam, ſtudium,cõprobet,prima,ſuſceptę,ab eis,fidei Chriſtianę primordia additis cauſſis repetit. Deide pietatis Chriſtianæ exempla,in ipſis Principibus Polonis enumerat,prę cęteris verò,Iagellonis,in ſuſcipiẽda fide Chriſtiana,facultatem,ardorem,denique modeſtiam fuſius explicat. Alteram partẽ Narrationis abſoluit proſopopeia, qua fingit Sigiſmundum 2. Pontif.Max.ad res Chriſtinas pace componendas hortantẽ. Concludẽs obſequium P.M. Regis nomine præſtat,& fœlices,rerum ſuarum ſucceſſus exoptat.

Dipoſitio Orationis XIX.

EXponit de quibus ſit dicturus, vt attente audiatur,tum per cõparationem cum cæteris Principibus Chriſtianis, maiores fuiſſe, Alphõſo ſecundo,gaudendi cauſſas docet. Primæ,ipſius gaudij,cauſſæ expoſitio communis quidem eſt,de ipſius põtificis electi ſanctimonia,quam ex ſingulis ætatum gradibus,& toto vitæ decurſu colligit, priuatæ ſubſequuntur cauſſæ, primum quod Alphonſus ſecundus ſit Eccleſiæ cliens,deinde Pontifici affinitate coniunctus:tandem cur ipſe non venerit, excuſa-

tionis cauſſæ recenſet. Concludit, obedientiã ducis nomine P. M. præſtando

Diſpoſitio Orationis xx.

ORditur à comparatione gaudij Aphonſi 2. cum cæteris Principibus Chriſtianis, quod in ipſo maius eſſe oſtendit. ita per antici pationem, quale ſit declarat, non quia alia ſit illi præſtandi obſequij, P.M. formula, vna enim omnibus & eadem eſt, ſed quod ſua magis in-terſit quam vllius alterius. Propoſitio ſequitur eorum de quibus dicturus ſit, ſub cuius finem, beneuolentiam, modeſtia oratoria à perſona P. M. & Gardinalium, captat. Prima Narrationis pars elogiũ eſt P. M. vitæque ipſius & laudum expoſitio, à cõtinentia, innocẽtia, integritate, in cõſeruãda fide Chriſtianæ fortitudine, mira cum amplificatione earũ omnium rerum. Ad alteram Narrationis partẽſe accingit, qua cauſſas priuatas demoſtrat, cur Alphonſus 2. maiorem lætitiam cæteris ex renuntiatione, Pij 5. P.M. perceperit: quod ſit Eccleſiæ cliens, quibuſue de cauſis. Demum cauſſas enumerat propter quas ipſe ad P. M. venire non potuerit, Concludit tandem, obſequium debitũ præſtando, ſeque & ſua Eccleſiæ Romæ conſecrando.

Diſpo-

Diſpoſitio Orationis. xx1.

EXordium ſumitur ab elatione victoriæ,per circunſtātias ſigillatim explicatas, in ea præſertim,immorans,parte, quæ eſt de virtute & fortitudine ipſorum,virorum,qui huic victoriæ Naupacteæ interfuerunt, & præſertim M. Antonij Columnæ, cuius laudes hac oratione proſequitur,maxima cum gratiarum actione. Vt vero ſua narratione, viictoriam multo maiorem & inſignorem, quàm credi poſſit, reddat,ex belli difficultate,ex hoſtium crudelitate & arrogantia,ex fuſis, incredibili fidei ardore,ab Eccleſia,continuis precibus,ratiocinatur. Deinde ipſam victoriam exponit,quam, oratorio more per locos communes, ex publica vtilitate, communi bono, & poſt tantas clades, iucunditate, amplificat.Tandem ad.M. Colūnam, orationem conuertit,quem ab authoritate, prudentiæ, experientia, ſapientia, fortitudine, animi magnitudine, commēdat, eundem, ad maiora præſtanda,alluſione præſertim ad nomen Columnæ, hortatur: tum concluſionis loco,Deum precatur vt ſuis adſit.

Diſpoſitio Orationis.xx2.

PRincipium Orationis per beneuolentiam, tum à reipſa,tum à loco, inchoat, modeſtia

ſtia deinde oratoria, vt rẽ ipſam de qua dicturus eſt, eleuet, ſuam eloquentiã extenuat, modum in dicendo, pulchra fictione ſibi præſcribens. Omiſſa cõmendatione, quæ à patria Pij 5. P. M. defuncti, à generis nobilitate, & opibus duci poſſet: ſed ad vitæ inſtitutũ à puero aſſumptum, narrationem transfert. Deinde per ſingulo, ætatis gradus, progrediẽdo, cõtinentiam, tollerantiam, frugalitatem, implacabile ĩ hæreticos odiũ, enumerat: ob quas virtutes Epiſcopatu Epidaurio donatus, paulo poſt authore Paulo. 3. Cardinaliũ numerũ auxit, cuius in eo ſacro magiſtratu, ſapiẽtiã & mirã grauitatẽ depingit ita, vt poſt obitum Pij. 4. P. M. omniũ ſuffragijs in pontificẽ electus ſit, quẽque tot & tantis virtutibus exornat vt exemplar ſit quoddã à cæteris pontificib. imitandũ. Interim ijs ſatisfacit, qui eum veluit nimis ſeuerum & rigidum carpebant. Tandem, vt bene actam vitam, laudabilis exitus cõprobet, vitæ extremã periodũ recenſet, quã ab inaudita, in perferendo dolore, cõſtãtia extollit. Cõcludẽs, Cardinales hortatur ad eligendum Pontificẽ, qui poſſit Eccleſiæ rebus, prudenter conſulere.

Diſpoſitio Orationis. XXIII.

INitium orationis ducit per cõparationẽ lætitiæ, quam cæpit Carolus 9. Gallorum Rex Gre-

Gregorio 13.Pontifice creato,maioremſcilicet cæteris,quod maior ſit voluptas,rei retinendæ & amplificandæ,cuius nomine,tot pericula ſubijmus,cuius rei,cauſam ſubijcit.Proponitdeinceps de quibus ſit dicturus, attentionē a P. M. poſtulando.Narrationis primum caput, eſt de origine,progreſſu,& infœlicitate bellorũciuiliũ Galliæ,inſertis affectibus, ſimilitudinibus amplificationib. à crudelitate,et impietate, hæreticorũ cui ſubnectit cædē eorũLutetię factã,quã artificio rethorico exornat. Demũ elegãti proſopopeia fingit Carolum.P.M. obſequium pręſtantem,quæ quia abſens efficere non poteſt, proprium & peculiarem ad Pontificem oratorem miſiſſe, ait.

Diſpoſitio Orationis. XXIIII.

ABruptum exordium eſt , crebíſque affectibus refertum , maiorem commiſerationē moueat ex morte Caroli.9.Gallorum regis in tēpeſta,quã vt maiorē,quã credi poſsit,efficiat narrare ipſius vitamincipit,per ſingulos ætatis gradus progrediendo, eius ſapientiam,pietatē in Deum & matrē, in ſuos charitatem,in periculis & laboribus ſubuendis fortitudinem , in Romanã Eccleſiam propenſum ſtudium , & in ea conſeruanda conſtantiã,tum ad rem exaggeran

gerandam, Gallorum præſertim bonorum, amor rem pene inauditum, erga Carolū declarat: tādem extremum ipſius, vitæ ſtatum graphicè deſcribit, per amplificationē ex locis cōmunibus. Itē vt aliquid ſuauitatis, amarori intermiſceat, bonam de Henrico 3. Rege declarato ſpem augura tur. Concludit tandem, Regique Henrico 3. ſub auſpicijs Gregorij 13. fœliciſsimū regnū precatur.

Diſpoſitio Orationis xxv.

A Loco comuni, cōparationis à maiori, orditur, quod gratius eſſe debeat Pontifici, obſequium à Gallorum Rege preſtandum, quā cæterorū Principum, cauſam ſubiiciens ex maioribus & pluribus in Eccleſiam, collatis, beneficiis à Galliæ Regibus, & honoribus, quos viciſsim ab ea retulerunt, quibus ſi quis vnquā cumulandus aut oxornandus fuerit, Henricū 3. ex rebus geſtis eſſe docet: in cuius laudes excurrit, quoue pacto Galliæ & Poloniæ regna ſit cōſecutus, reſq; poſt ipſa adepta, à ſe geſtas exponit. Demum quis ſit vſus & vtilitas publica, icti fœderis ab Henrico 3. cum hæreticis edocet Concludit tandem, formulam obedientiæ præſtandæ exhibens.

FINIS.

Eruditiſſimis & diligentiſſimis pijſſimæ Marchianorum ſcolæ præceptoribus.

HOc ex cõmuni vſu euẽire ſolet (Viri ornatiſſimi) vt qui, ſuis lucubrationibus, alicuius authoris monumẽta, illuſtrare conãtur, hoc vnum in primis videant vt authoris doctrinæ & eruditioni, rei grauitati & maieſtatis aliquatenus ſua opera reſpondeat. Quod cum dubius, animi ancepſque cogitarem id mihi obſuerſabatur animo quod vulgo de poeta quodã circũfertur, qui licet perlitteratus, tamẽ ineptiæ ſuæ maximum ex eo edidit argumẽtũ cum facit Erupidem & Menandrum inter ſe, & alio loco Socratem atque Epicurum differẽtes, quorũ ætates non annis ſed ſeculis ſcimus eſſe diſiunctas, quæ quantos plauſus & clamores mouerint nemini dubium eſſe debet. Ita ego non minimam temeritatis & audaciæ notam, poſtica ſanna exceptus, incurrere videbor qui M. Anthonij Mureti viri Clariſſimi ſcriptis lucem aliquam noſtra opella adferre contendo, quę ab ijs nõ annis modo aut ſœculis diſcreta ſed arte, induſtria, attico dicẽdi lepore, Romana ſcribendi maieſtate tanto diſſita, quantum ego ab eo id eſt tyro à veterano milite, aut velitũ vnus à triario longiſſimis differo. Sed vt vt eſt propenſus in ſcholam noſtram militã Marchianam

chinam animis, eximia erga vos voluntas eo me adegerunt, vt vobis, dum opus maiorum vigiliarum paro, aliqua ex parte interim gratuler. Nec enim me mouet cuiuſuis hominis, laboris vt & ſtatus eadem conditio, ſiue enim is ſummus ſit ſiue infimus, grauem nihilominus turbinis ſortē vtraque conditio non effugit, ſcilicet contumeliæ minor maior inuidiæ: & eo præſertim quod quibusdā in locis, veritatem ex aliorum ſcriptis, non ipſius authoris, deprompſerim: ſiquidē quæ obſcura eſſe poterant negotiumque lectori præſertim hiſtoriæ initiato faceſſere, ex ipſius hiſtoriæ fontibus, pro vt res noſtra domeſtica tulit, explanauimus, veritas inde ſuo lumine illuſtris aliquantulū ſplendoris non producere nō potuit. Sed faceſſant eiusmodi calumniæ, quid enim obtrectatori dentē dente iuuabit rodere, Carne opus eſt ſi ſatur eſſe velit. Bene valete veſtrumque contubernalem, vt facitis, amare pergite. E Schola veſtra Marchiana pridie Nō. Nouemb.

Vobis obſequioſus commilito.

I. F. P.

OBSERVATIONES NONNVLLAE IN LOCOS OBſcuriores Hiſtoriarũ quæ his Orationibus ſunt intermixtæ.

C*Ræſo in Medos*) Scrupulus hic ĩ nomine, Medorũ, exoritur cum conſtet Herodoto teſte, Crœſi expeditionẽ hanc non in Medos ſed Perſas ſuſceptam fuiſſe. Siquidem Crœſus volens aut liberare Aſtiagem Medũ, cui eius ſoror Ariena matrimonio iuncta erat, maximum bellum aduerſus Cyrũ Perſam concitauit, in quo & eius regnum euerſum eſt, & ipſe idem captus anno primo Olympiadis quinquageſimæ octauæ. Itaque illud Cyri imperium aut Medicum vocabatur, aut bellũ aduerſus quempiam Regem Medorum motum eſt. Primum illud Medorum non erat imperium, ſed Perſarũ, vt ait Herodotus & alij Hiſtorici: deinde ſi dicantur in vnum coaluiſſe imperium, à victoribus, imperij fit denominatio, vt à Gallis Gallatię regnum, à Celtis Celtiberiæ, ab Anglis Saxonibus Anglorum non Britonum regnum eſt denominatum: ita Perſicum potius à Perſis

Ex oratione. I. folio 10.

Herodotus lib. I.

Solinus, cap. 7.

Iuſtinus lib. I.

victoribus non Medicum dicendum erat. Deinde ſi quis Medis Rex alius à Cyro præfuerit, abſurdum aliud ſequetur, Crœſi Hiſtoriam ſub Cyro non cõtigiſſe, aut Cyrum cum ſuis Perſis auxilio tãtũ fuiſſe Medis, penes quos fuiſſet totius belli ſumma: quod falſum eſſe ex ſuperioribus liquet. Licet enim tunc temporis Apanda ex linea Mandanæ in quadã Medici imperij parte regnaret, aliáq; pars quæ Aſtragi, ex linea Soſarini, obtigerat, à Cyro occupata eſſet: tamẽ Crœſo cum Apanda res non erat. Concludendũ igitur hanc Crœſi expeditionem Perſicam non Medicam fuiſſe. Cæterum notus eſt ille verſiculus Delphicus de quo loquitur.

Metaſthenes lib. Annal. Perſicar.

Suidas.

Perdet Crœſus Halym tranſgreſſus plurima regna. Vel vt vertit Cicero.

Cicero 2. de Diuinatione.

Crœſus Halym penetrans magnam peruertet opum vim.

Ex oratione 2. fol. 19.

Tyrtæi Poetæ) Quis aut qualis fuerit Tyrtæus ille ſic declarat Pauſanias. Eodẽ tẽpore Lacedæmoniis Delphicum Apollinẽ, de belli Meſſeniaci exitu, cõſulentibus reſpõſum eſt, vt Athenienſem hominẽ rerum gerendarum authorem accerſerent. Erat Athenis Tyrtæus

Pauſanias li. 4. in Meſſeniacis.

quidam

quidam ludimagiſter, qui neque ſatis mēte valere credebatur, & alterô claudicabat pede, hunc ad Spartanos miſere Athenienſes. Cúmque Meſſenij Lacedæmonios ad Apri ſepulchrum in agro Steniclero duce Ariſtomene, Olympiade vigeſima quarta, viciſſent: hi ad pacem inclinare cœperant, ſed Tyrtæus illos iterum verſibus ad arma accēdit, vnde de ipſis Meſſeniis ad magnā foſsam nobiliſſimā victoriā reportarunt anno tertio Olympiadis vigeſimæ quintæ ab vrbe condita ſeptuageſimo quinto mundi. 3287. *Ex oratione 7. fol. 66.*

Magna Græcia) Notum eſt hāc Italiæ partem à Græcis, pene primis Italiæ incolis, magnam Græciam eſse cognominatam: ſed à diuerſis diuerſo modo deſcribitur. Strabo eam tantæ amplitudinis facit vt ad ſinum Tarentinum, Siciliam, magnæ Græciæ nomine, adiungat. Sempronius Oenotrios, Calabres, Salentinos, Tarentinos, Brutios, magnæ Græciæ accolas vocat. Liuius Tarentino ſinu oráque vicina magnam Græciam circunſcribit. Sed demum ſucceſſu temporum iis anguſtiis magna Græcia concluſa eſt, Tarento ad ſinum *Mirſil. Lesb. de origin. Ital. & Tyrren. Dionyſ. Halicar. lib. I. Strabo l. 6. Geograph. Sempronius li. de diuiſione Italiæ. Liuius li. I. Deca. 4.*

Pandolp. Collenut. li. 1. hiſt. Neapol.

vſque Scyllaceum, hodie Calabriæ nomine comprehenſa.

Ex oratione 14. fol. 116. Dion Nicæus in vita Neronis.

Senecæ opes) Senecam Philoſophum intelligit, Neronis præceptorum cuius tantas opes fuiſſe ſcribit Dion vt Deciano Cato Britannicæ inſulæ procuratori quadringenta aureorum millia ſub maximis vſuris crediderit. hinc maximam apud Neronem ſibi conflauit inuidiam: cum autem varijs criminibus premeretur, præſertim quod ingentes & priuatum in modum euectas opes adhuc congereret, hortorũ quoque amœnitate & magnificentia quaſi Principem ſupergrederetur, Neroni ait, cũ opes ſuſtinere non poſſim, præſidium peto, iube eas per procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunã recipi, nec me in paupertatem detrudam, ſed traditis quorum fulgore perſtringor, quod temporis, hortorum aut villarum curæ ſeponitur in animũ reuocabo. Hinc eſt quod ait Xiphilinus Senecã, oẽs ſuas facultates in Neronẽ, propter ædificia quæ extruebantur, cõtuliſſe. Addidit aculeos Piſoniana coniuratio, qua decretum fuerat occiſo Nerone Imperiũ Senecæ demãdare,

Cornel. Tacit. lib. 14. Sueton. in vita Neron.

Xiphilinus in hiſtor. Romana.

au thore& ſua ſore Subio Flauio Tribuno ſtipatorum militum : quod nec exiguā authoritatē aut facultatē arguebat.

Ab eo igitur originem ducunt) Antonius quidē Nauarrę Rex à D. Ludouico originē trahit, q a ex Borboniorū familia prodierit, cuius primus author eſt Robertus Claromōtanus Aruernus D. Ludouici fili⁹. Ioāna vero ex parte matris ex D. Ludouici ſtirpe eſt. Mater ſiquidē Valeſiorū propaginis erat Frāciſci magni ſoror, hæc aūt familia in duos fontes diducta eſt, Valeſios ſcilicet & Alēconios: quorum omnium primum caput eſt Carolus Comes Valeſius, & Alenconius Philippi tertij, qui ex D. Ludouico erat filius. *Ex oratione 16. fol. 126.*

Lud. Comit. Eburonic. Regem Nauarra) Nuſquam legitur quod ſciam, hūc Ludouicum Regem fuiſſe Nauarræ, cū ex annalibus Nauarræ tunc temporis hoc Regno potiretur Philippus pulcher, huius Ludouici frater, patrique in vtroque regno ſucceſſerunt tres filij Ludouicus Hutinus, Philippus prælongus, & Carolus pulcher: ſed Ludouicus Hutinus relicta vna filiā ſuperſtite nomine Ioanna, Nauarræ Regnum ad Philip- *Idem. fol. 127.* *Nic. Gillius in Annal. Frāc. Vaſſaus cap. 17. Cronic. Hiſp. n.*

pum, Ludonici Eburonici filium tranſlatum eſt, Ioannam enim cũ regno loco dotis accepit vxorem anno 1329.

Ibidem. *Ludouicum Comitem Eburonicum)* Error hinc deprehenditur, Lazij. qui hunc Ludouicum non Eburonicum, ſed Aureliæ comitem vocat. Siquidem hoc tempore dominio Regio Annexus erat Comitatus Aurelianenſis, neque vnquam diſtractus niſi ſub Philippo Valeſio, qui Philippum filium hoc Comitatu donauit, vbi prius Comitatum in ducatum mutaſſet. Deinde eo ſine liberis mortuo, Carolus quintus Gall. Rex eum Ludouico filio conceſſit, ex quo Arelianenſis familia manauit.

Vrolph. gang. Lazius lib. 10. de migrat. gẽt.

Alaricum manu ſua interfecit) Id ex Neotericorum Hiſtoriæ ſcriptorũ opinione videtur ſcriptũ eſſe. Veteres ſiquidẽ negant Clodouæũ manu ſua interfeciſſe Alaricũ. Quãdoquidẽ Æmilius fatetur Clodouęũ cũ Alarico in ipſa acie fuiſſe congreſſum, tantoque impetu vt ipſum equo deiecerit: ſtatim vero Alaricum attollere ſe conantem Francum pedi-tem confeciſſe ait. Nec pro comperto id affirmat Aimonius, cuius hæc

Ex oratione 17. fol. 133.

Paul. Æmilius li. 1. de geſt. Franc.

Aimonius libr. 1. capit. 21.

hæc ſunt verba. Clodouæus cum Alarico certamen iniit, cúmque eum terræ proſtrauiſſet & qua letale vulnus infligeret rimaretur, duo Gothi eum à latere contis feriunt, ſed propter loricam eum vulnerare nequiuerunt. Hæc ille nec certo aſſerit illũ ab eo interemptum eſſe obfuit enim miles Gothus quominus Rex Regem conficeret. Idem ferme Gregorius Turonenſis antiſtes. Sed omnium apertiſſime Ritius qui Alaricum à Fluidiguino Comite cæſum fuiſſe teſtatur anno 509. *Gregor. Turonenſis libr. 2. c. 37.*

Sarracenos ferociſsimã gentem) Error eſt cum vulgi tum doctorum quorundam hominum qui putãt Sarraceni cum nomen Mahumedis commentum, eoſque ſarracenos eſſe qui Arabes dicũtur, quique ſpurcam illam & impiã doctrinam Mahumedis ſuſceperunt. Sed qui hiſtorias accuratius euoluerint, longe aliter cenſebunt. Sarracenicũ enim nomẽ quadringentis plus minúſue annis ante Mahumedem, qui extitit anno domini 620. agnoſcitur. Horum meminit Pollio in vita Zenobiæ, Flauius Vopiſcus in vita Aureliani, qui ſub annũ Chriſti 269. floruit, ſed omnium apertiſſimè *Ritius li. 1. de Regib. Hiſpaniæ. Ex oratione eadem fol. 134. Trebel. Pollio in 30. Tyrann. Vopiſcus in Aureliano.*

Ammianus Marcell. li. 14

Ammianus Marcellinus, qui ſint Sarraceni, qualis eorum regio, & vbi ſita, hoc pacto deſcribit. Apud has gẽtes, de Sarracenis verba faciens, quarũ exordiens initium ab Aſſyriis ad Nili cataractas porrigitur & confinia Blemmiarũ, omnes pari ſorte ſunt bellatores, ſeminudi coloratis ſagulis pube tenus amicti, equorum adiumento pernicium, graciliúmque camelorum per diuerſa reptãtes in tranquillis vel turbidis reb. quod idẽ ea ratione procurſatores vocat. hæc autem narrat in vita Conſtantij Auguſti qui anno 377. vixit.

Ammian. Marcell. lib. 24. Ibidem. Paulus Aemil. lib. 2. Einhardus in vita Carol. magni. Annomius lib. 4. ca. 52.

Ad Ligerim prælio cecidiſſe) Qui Paulum Æmilium ſequuntur id aſſerunt, ſed Einhardus in Pictonibus pugnatum fuiſſe ait. Annomius Sarracenos vſque Pictanos profectos ad domũ beati Martini euertendã ſe, vt eius verbis loquar, deſtinaſſe, ſcriptum reliquit.

Paul Aemilius li. 2. Curio ſecũd. hiſt. ſacra. l. 1

E noſtris pauciſſimis deſideratis) Vt pote mille tantum & quingenti ſicut ipſæ Martelli litteræ ad Sthephanum 2. P. M. miſſæ confirmant, hoſtium trecenta ſeptuaginta quinque millia vna cum Rege ipſo Abdiramo cæſa ſunt. licet Curio ſecundus Regem Abdiramum

è cæde

è cæde in Hiſpaniam ſe recepiſſe prodiderit.

Iamq́ Rauennam occupaſſet) Varia eſt Hiſtoriæ ſcriptorum ſententia de Rauennæ expugnatione. Siquidẽ Blõdus, primo Aſtulphi Regis anno captam fuiſſe narrat. Platina refert à Luytprãdo Rege obſeſſam captamque ciuitatẽ deinde in Stephani ſecũdi vita ait fuiſſe expugnatam ab Aſtulopho Rege. Sabellicus rẽ ſic narrat: Luytprandus Rauennã obſidebat cũ à Carolo Martello in auxiliũ euocatus, quoſdã duces Idelprandũ & Prædeũ Vicentinũ trahẽdæ obſidionis cauſſa relinquere coact⁹ eſt ij nobiliũ factione Rauẽna potiti ſunt deinde Paul⁹ Exarch⁹ ſuis & Venetorũ copiis ex Rauẽna Lõgobardos deturbauit. Quã deinceps ſub Stephano 2 2 Aſtulphus Longobardus expugnauit

Tria millia paſſuum) Gregorium 2. Carolusque qui poſtea magno fuit cognomẽ, Pipini Regis filius adoleſcens Francorum fines ingreſſum à cẽteſimo lapide ad Palatium vſque Ponticonem vbi Pipinus erat, deduxit. Proceſſit tamen ad tertium lapidem Rex Pipinus, & equo deſcendens Pontificiſque pedes oſculãs

Ex eadem oratione Ibidem.

Blond. decad. 1. *lib.* 10. *Platina in vita Gregor.* 2. *& Stephani* 2. *Sabellicus Ennead.* 8. *lib.* 7. *ſub finem.*

Bernard. Sacus. li. 10. *ca.* 5. *hi. Ticinenſis*

Sabellic. Ennead. 8. *lib.* 8. *Ibi. f.* 135

Blond. Decad. 1. *li.* 10. *ſub finem.*

illum

illum terra incedens & frenum Pontif. equi regens ad cubiculum vſque dedu xit. hæc Blondus.

Ibidem. *Præfectura Rauennatium finibus longe maximus*) Rauennæ exarchatum maximæ amplitudinis fuiſſe deſcribunt Italici ſcriptores. In duas partes ipſe diuidebatur ex Petro Lateranenſis Eccleſiæ Bibliothecario, in Pentapolim & Æmiliã, in Pentapoli quinq; erant vrbes, vt nomẽ indicat, Rauẽna, Cęſonia, Ciaſſis forũ Liuij & forũ Põpilij. Aemilia has præcipue vrbes habebat, Bononiã, Mãtuã, Rhegiũ, Parmã, Placentiã, denique quidquid terræ patet à Placentinorum finibus ad Adriam vſque, rurſus à Venetis, Ariminum, Picentes verſus.

B'ondus Decad. 1 lib. 1.

Ibidem. fol. 137. *Præcelleñ ſſimum filium*) Clodouæus qui Gregoriũ primum centũ circiter annis præceſſit, hoc titulo donatus fuit à Synodo Aurelianẽſi, qui cũ ad patres Synodi litteras dediſſet, quibus ſignificabat lege à ſe cautum, ne miles hoſtium fines ingreſſus loca ſacra ſpoliaret, dicatas deo virgines raperet, ſeruos Eccleſiæ abduceret. patres Regis gratiſſimas deo & ſibi videri ſanctiones reſponderunt, & eam ob rem

Pap. Maſ. li. 1. hiſt. Francica

Eccleſiæ

Eccleſiæ Catholicæ filium dixerunt.

Cum Caroli dictis) Carolus nonus regni initio vndecim circiter ānos natus die Xeniis dicta cum in Aulicos liberalitatem exercere vellet, à Quæſtore regiarum largitionum pecunias petiit, quæ cum minore numero, quam Regia illius pateretur liberalitas eſſe animaduerteret, ſummam maiorem ab eodem poſtulauit, cui cū. Quæſtor, ex ære alieno, pene infinito, contracto, ſe pauperē Regem effectum eſſe reſpondiſſet: Rex in riſum prorumpens, aperto capite, & Regem Nauarræ cæteróſque Principes & Magnates Gallicos adiens, vnicuiq; ſigillatim dixit: per Deos Immortales Regi pauperi ſtipem date. Idem quo die in Regem vnctus eſt Matri neganti poſſe eum per ætatē ceremonias ferre: Quæ multa ſunt ferā (inquit) nec recuſabo hunc laborē quoties ſe regna offerēt. Cōtineri interdiu domi nō poterat ædificia vocās ſepulchra mortuorū. *Ibidem. fol. 138.* *Ibid. fol. 140.*

Duodecim annos natus D. Ludouicus) Anno Chriſti 1226. pridie Idus Noueb. obiit Ludouicus Montpēſerius cui ſucceſſit filiorum natu maximus Ludouicus nonus i lucē editus āno 1214. quo *Ioanni. Tilius. Annales Franc.*

ad Bouinas inſigem illam Philippus Auguſtus auus de Othone Imperatore Ferdinando Flandriæ & Reginaldo Bononiæ Comitibus reportauit.

Ibidem. *Albigenſes Regis pueritiam*) Raymundus Iunior à ſummo Pontifice, hoſtis Eccleſiæ iudicatus, vbi Ludouicũ octauum diem obijſſe intellexit, patrique Ludouicum nonum puberẽ ſucceſſiſſe, rei bene gerendæ occaſionem nactus, Gallorũ pſidia ſuis in finibus, à Simone Montisfortio pridẽ mortuo relicta,
Paul Aemil. lib. 7 bello perſequi ac deturbare cœpit, aduerſus quẽ, à Blancha Ludouici matre-
Laziardus hiſt. Vniuer. ca. 229. penes quã ſumma rerũ erat, miſſus eſt Vmbertus Bellijocenſis vel Ioãnes Bellommontẽſis vt vult Laziardus, qui tãdem effecit vt Raymundus eas pacis cõditiones acciperet, quas Rex & Romanus ſancti Angeli Cardinalis præſcribere voluerunt. Sic vir bello clarus quem ſummi duces nõ perdomuerant,
Ibid. fol. 141. auſpicijs fœminæ victus eſt.

D. Dominici conciones) De D. Dominici
Petrus Vall. Sarn. hiſt. Albigẽſ. li. 1. c. 5. ad Albigenſes profectione ſic Narrat Petrus Vallenſis Sarnayus eius temporis ſcriptor. Romam profectus erat Didacus Oxoniẽſis Epiſcopus Hiſpanus

vt

vt Epiſcopatũ inter manus ſummi Põtificis Innocentij tertij reſignaret, quo facilius,ad Saracenos profectus, eis ad Chriſti fidem conuertendis incumberet, quod cum recuſaſſet Pontifex:dum ſe itineri,rediturus, accingit apud Mõtempeſſulanum, Abbatem Ciſtercenſem cum duob.monachis;reb.deſperatis,Aquitam egreſſis,reperiſſet, cui cum perſuaſiſſet vt omnes vna Narbonẽſem prouinciam finitimasque vrbes peragrarẽt vt poſſent morũ itegritate,& dictis hereticos in Eccleſię ſinũ reuocare, Epiſcopus relicta omni familia, ſolo comite aſſumpto D.Dominico quẽ ex Hiſpania Romã ſecum deduxerat, vna cũ abbate illo Ciſtercienſi (quãuis Laziardus,duodecim abbates Ciſterciẽſis ordinis cũ illo fuiſſe aſſerat) Tholoſam verſus profectus eſt,tũ primũ in Aquitaniã ad concionandum profectus eſt D.Dominicus anno Chriſti 1206. *Laziar hiſt. Vniuerſ. cap. 223. Ex orat. 18. f. 143. Ioann. Herburt. lib. 1. hi. Polon.*

Tota illa Germania pars) Regni Polonici amplitudinẽ explicat,quæ regio antiquitus nomine Sarmatię Europeæ cõtinebatur,ſed à Slauis in Sarmatiam irruentibus, Polonia nomen accepit à voce Pole, quæ eorum lingua planiciẽ *Aeneas Syl. hiſt. Bohem. cap. 3.*

aqua.

deſignat. Has autem habet Prouincias Regnum iſtud, Septentrionem verſus ad ſinum Venedicum Pruſſiam, Pomeraniam, Samogitiã & Liuoniam, pauloque inferius Maſſouiam, ad Orientem Lituaniam, Ruſſiam, Podoliam, ab occaſu Poloniam ipſam, à meridie Kioniam & Volliniam.

Ibidem. 144. *Cinguntur ferociſſimis gentibus*) Polonia habet à Septẽtriotrione Moſcouitas Græcorum ritus Eccleſiaſticos ſequentes, ab Oriente Tartaros, partim Chriſtianos ſed Neſtorij impietate imbutos, etiam Turcas vt & à meridie. ab occaſu Germanos infinitis hæreſeon generibus diſcerptos.

Ibidem. 146. *Ipſe diuini ſpiritus tactus afflatu*) Quibus modis Miecislaus ad Chriſtum ſit cõuerſus docent aliter Hiſtorici Poloni. Mieſciſlaũ ſcilicet, ſeptẽ vxores, primũ paganorum more duxiſſe, ſed vbi edoctus fuit à quibuſdam Chriſtianis tum ſuæ gẽtis, cum Bohemicæ, quid ſit fides Chriſtiana, quoue pacto in illa plures ducere vxores, cautũ ſit: Aulicorũ cõſilio quorũ maior pars Chriſtiana religionem amplexa fuerat, vxorem duxit Dambrucã Boleſlai primi, Bohemorũ

Annales Poloniæ. Ioannæ Herburt lib. 2. ca. 1. Annales Bohem.

ducis

ducis filiam,addita hac clauſula, in fœdere matrimonij ſanciũdo vt ipſe Chriſtiano more ſacris ablueretur vndis quod præſtitit ſub annum domini 965.

Miſit Italorum idoneũ numerũ) Nõ Italos modo ſed etiam alios adiungũt authores. Miſsus ſiquidem Egidius Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, pontificius in ea legatus non ſolum Italos ſed etiam Gallos & Germanos in ipſa Polonia ſacris præfecit munerib. obeũdis. *Ibidem.* *Annales Poloniæ Herburtus loco citato.*

Mieſcislai ſoror Adleida) Mirum eſt diſſidium inter ſcriptores Polonos & Vngaros. Poloni ſiquidem aiunt Mieſciſlaum Boleslai filio coniugem dediſse Iudithã Geyſæ Hungari ex prima vxore filiã, mutuoq; Geyſam, prima vxore defunẽta in matrimoniũ duxiſse Adleidã Miecislai ſororẽ, cuius cohortationibus ipſe cũ maiore ſuorũ parte ad fidẽ cõuerſus ſit, annis quiq; poſt Polonorũ conuerſionẽ ad Chriſtianã Religionem anno ſcilicet 970. Hũgaricæ ſcriptores Hiſtoriæ lõge aliter ſentiũt, inuidia neſcio an ignorãtia vt pote q nullã Adleidę mẽtionẽ faciãt, vnicãq; vxorẽ Geyſę tribuant D. Stephani Vngari matrẽ, quæq; *Ibidem.* *Annales Poloniæ Ioann. Herburt li. 2. ca. 1 Bõfinius Decad. 2. li. 1. rerũ Hungar. Micael. Ritius li. 2. de Regib. Hungar.*

Geyſæ

Geyſa defuncto, aliquot annos ſuperuixerit Cuius cauſa motū eſt à D. Stephano bellum aduerſus Cupan Regni procerem, quia is Stephani matrem ad ſecūdas nuptias compellebat. D. Stephanus etiā in lucem editus eſt anno chriſti 909. quo Adleida ſecundum Hiſtoriam Polonicam Geyſæ nondum nupta erat. vnde ex Hungarorum ſententia Regi ſuo Aldeida nubere non potuit, quid in re tam ancipiti tamque varia dicendum ſit peritiores videant.

Ibidem fol. 147. *Bonſin. decad.* 2. *lib.* 1. *Rerum hungaric. Æneas Sil. cap.* 17. *hiſt. Bohem. Ioan. hebutr l.* 2. *cap.* 3. *hiſt. Polonæ*

D. *Adalbertum interfeciſſent.* D. Adalbertus genere Bohem⁹ patrē habuit Slauicum matrem verò Sueſilauam, parentes & vitæ ſanctimonia & maximis opibus pollentes vt qui Lubeco totius Septentrionis nobiliſſimo Emporio maximæque Bohemiæ Poloniæquè parti imperarint. Adalbertus grandior factus probitate conſpicuus, Pragam contendit, cuius Pontifex creatus eſt, decedente Ditimaro Saxone, in quo magiſtratu cum ſanctis cohortationibus Bohemos à ſuis moribus impiis reuocare niteretur, neque proficeret hilum, ſacro magiſtratu ſeſe abdicauit, Romamquè petiit diuquè in monaſte-

rio Sancti Alexij delituit. quare ira percíti Bohemi Lubecum eius patriam inuaſerunt & D. Alberti fratres quinque dum ſacra facerẽt ante aras obtruncauerunt, Tandem in Bohemiã redire iuſſus à Ioanne 13. P.M cum ſe ſuis ingratum animaduerteret in Hungariam ſeceſſit, vbi D. Stephanum ſacro baptiſmate initiauit, denique Polonia peragrata Boleſlai primi temporibus, in qua Gaudentium ſeu Raſinum fratrem in Gneſnenſem Archiepiſcopum ordinauit, Prutenos adiit à quibus tandem, eo ſacra peragente, confoſſus interiit. Bonfinius non à Prutenis, ſed Liuonibus, in iugum mõtis elatum & palo alligatum, ſeptem lanceis tranſuerberatum fuiſſe ſcribit. Cuius corpus, auro, Boleſlaus 1. Poloniæ Rex ſtupẽdo miraculo redemit. *Bonſinius loco citato. Ibid. fol. 148.*

Iaziges partim Valachi partim Vngari) Ptolæmeus Iazigges ſic diſtinguit. Iaziges Metanaſtæ terminos habent, à ſeptentrione Sarmatiam Europeam ab occaſu & Auſtro Germaniam & Pannoniam inferiorem, ab oriente Daciam ſiue Tranſſyluaniam, vel vt aiunt Polonici ſcriptores, Iaziges populi, ſunt Lituanis contermini inter Poloniam Ruſſiámque ſiti, quod ſi ita eſt lõge di- *ptolom. lib. 3. & 9. tabula Europ. Annal poloniæ.*

ſtant à Valachis & Vngaris.

Ibidem. fol. 149. *Ludouico Hũgariæ & Poloniæ Regi)* Hic Ludouicus Gallus erat ex nobiliſſima Andegauenſiũ familia oriundus: ſiquidem Carolus D. Ludouici frater, Rex vtriuſque Siciliæ ab Vrbano 4. & Clemente 4. P.M. declaratus genuit Carolum ſibi ſucceſſorem, hic ex filia Stephani 5. Vngariæ Regis nouem filios & quinque filias procreauit. hi erant filij D. Ludouicus Epiſcopus Tholoſanus, Robert⁹ deinde Rex, Philippus Tarẽti princeps, Ioãnes Achaiæ princeps, Triſtanus, Raymũdus Vicariæ gubernator, Ludouic⁹ 2. Dirrachij Dux, Petrus Grauinę Comes, Carolus Martellus Hũgariæ Rex: filiæ Clemẽtia Carolo pulchro Gallo, Blãca Iacobo Arragõio, Helionora Federico ſiculo, Maria Maioricæ Regi, Beatrix deniq; Azzoni Eſtẽſi, Carolus Martel. p̃ter cæteros liberos Carolũ Robertũ Lud. noſtri patrẽ habuit.

Pãdulph. Collenut. li. 5. hiſt. Neapolitan.

Ibidem. Ioann. Heburt. l. 12. c. 4. *Nihil ſine Matris authoritate)* Nõ tm̃ vt mater de eo matrimonio cũ Iagellone cõſiliũ daret, ſed vt ꝓſpiceret ei fœderi quod à Lud. Heduigis patre initũ erat cũ Guilelmo Auſt. duce cui Heduigim vxorem ſpoponderat, vna cum Reguo

vel

vel hungarico vel Polonico, tum interceſſerant quidam amoris in Guilelmũ Auſtrium igniculi in Heduige, vnde cũ ſuis Cracouiam repente aduolauit, vnaque cum Heduige dies aliquot iocis & ludis conſumſit, vltraque progreſſurus erat ni Demetrius Goritius ærarij, regni ſupremus tribunus interueniſſet. Lazius etiã Heduigim Guilelmo matrimonio iunctam ſponſaliaque Cracouiæ celebrata fuiſſe, vnoque menſe regni gubernacula tenuiſſe & inde magna rei indignitate deturbatum ſcribit.

Vvolphgang. Lazius. lib. 2. hiſt Auſtriacæ. Ibi. fol. 151. Annales Poloniæ. Aeneas ſyl. hyſt. bohem. cap. 44.

Cum Bohemi legatos miſiſſent.) Obtulerũt quidẽ regnũ Vladiſlao, Bohemi, ſed rex illud libentiſſimè accepturum dixit, modo hæreſibus abiectis Romanam Eccleſiam agnoſcerent eique ſe ſubmitterent. Aliter narrat Æneas Syluius, qui ait Viduodum patruelis regis, filium à Bohemiæ Regulis & Senatu Pragenſi electum fuiſſe, nec Vladiſlai meminit.

Exoratione 20. fol. 163. Lazius lib. 12 de Migrati. Gab. Simeon de Origin. Ferrariæ Guaſſus in Cronicis.

Antiquiſſima Eſtenſis familia) Lazius & Symeonius ab Azone, vel Actio primo eam repetunt, qui ſub annum 1259. floruit: ſed diligentiſſimus Guaſſus anno 903. ex Sigiſberto Lucenſi eam de-

ducit. Hic Sigiſbertus Hetruſcus relicta patria Parmam & Rhegiũ occupauit, relictis tribus filiis, Sigisberto Azone & Gerardo priore & poſteriore defunctis ſecundus remanſit Azzo, qui quod Canoſſæ ſedes fixerat poſteri Canoſſæ nomen arripuerunt: moriens duos reliquit filios Tedaldum & Adalbertum, hic ob egregia merita ab Ottono Primo, Imperatore donatus eſt Calaone, Mõcenico Mũtaguéia, Ar qua & Eſtenſi dominijs cũ titulo Marchionis, qui ex Alda Imperatoris ſpuria duos habuit filios, Fulgonẽ qui cũ matre in Germania remanſit & Hugonem qui patri ſucceſſit à quo Marchiones Eſtenſes originem Trahũt Tedaldus autẽ Azzonis primi filius & Adalberti frater Ferrariã nomine Eccleſiæ Romanæ regendam ex Ioanne duodecimo P.M. obtinuit tandem eius deficiente poſteritate in Mathilde comite Tedaldi Canoſſei Bonifacij Tedaldo ſeniore progeniti filia, Eccleſia Ferrariam quam dono ab ipſa Matilde receperat Marchionibus Eſtenſibus eiuſdem ſtirpis conceſſit, eoſque in clientelam recepit.

Bloud. de cad. 2. li. 4. Sabell. que ime ad. 9. lib. 4. Iacob. Bergoni. lib. 12. Cronico.

Errorem

A Pontificibus Romanis ducalis nomine) Errorem hinc videre licet in Gabriele Simeoneo qui vult Borſum primum à Friderico tertio Imperatore, Ferrariæ ducẽ creatum, quod & ait Lazius, qui cũ ſciret ducis nomina à Pontifice Romano donatũ fuiſſe Borſum, vt & huius laudis ſuos Germanos participes faceret, à Friderico 3. Imperatore ducem creatum, ſed à Paulo 2. P.M. confirmatum. Sed error hinc ortus eſt quod Borſus cum Ferrarię præeſſet, Mutinę quoque Rhegiiq; Lepidi hinc Borſum Ferrariæ primum ducem vocauerũt quod has vrbes vna cum Ferraria regeret: harum autem priorum dux à Friderico 3. creatus eſt hinc error atque hallucinatio manauit. Sed vt res eſt Cuſſus Mutius cæteriq; cum itali tũ Germani Hiſtorici, Borſum Mutinę & Rhegii tãtum ducem à Friderico 3. Imperatore creatum fuiſſe anno 1452. aſſeuerant, Ferrariæ ducem à Paulo ſecundo nominatũ, cum paulo poſt Imperatoris diſceſſum Religionis & voti cauſſa Romam profectus fuiſſet.

Iaidem. Gab. Simeon. li. de Origine Ferrar. Lazius l. 12. Migrat. Gent.

Geſſus in Cronicis Mutius l. 29. de Reb. Germani.

Crudeliſſimum haberet ſatellitẽ Ecæinũ) Vir litteratiſſimus & perpetuis poſte-

ritatis moaumentis celebrandus, videatur hac in re Hiſtoriæ tempora parum caute animaduertiſſe, Siquidem Ezzelinus hic de quo loquitur non Oenobarbi ſed Friderici ſecundi temporibus extitit, vt omnes Itali Germaniveſcriptores teſtantur. quod vt facilius appareat, natus eſt Ezzelinus anno Chriſti 1194. pridie Calēd. Mart. obiit autem Oenobarbus Imperator anno 1189. 4. Idus Iunii.

Vtriuſq; copias fugauit Azononus Eſtēſis) Vni Azoni, victoriæ, qua obiit Ezzelinus, & quidem iure palmam tribuere licet, quamuis enim mixtus eſſet exercitus cui præeſſet Martinus Turrianus Mediolanēſis Regulus vna cū Azzone Eſtenſe Marchione Palauicino & S. Bonifacii comite adiunctis Cremonenſiū copiis: Tamen Turrianus veritus ne Eczelinus Mediolanū verſus pergeret, ſuas copias in vrbem reduxit, demandata exercitus cura Eſtenſi præſertim, quo authore cæſus eſt Ezzelini exercitus ad Ceſſianum, denique captus.

Tu tam inde à principio) Marci Antonii Columnæ labore & diligentia, ſacram expeditionem in Turcas Venetiis con

Appendix ad Abbatē Vſpergē Lazius lib. 12. de Migrat. Blōd. Decad. 2. li. 7. Guazzus in vita Ezzelini Mercator in Chronologia. Ibidem. Georg. Merul. li. Mediola. lib. 4. Guazzus in Chronicis. Ex orat. 21. fol. 171.

concluſam fuiſſe ſcribit Bizaras, quem è Latino in Gallicum ſermonẽ trãſtulit vir præſtantiſſimus Franciſcus Belleforeſtius Hiſtoriæ præſertim Gallicæ vindex & parens. *Pet. Bizar. hiſt. Cypr. li. 3*

Tu cum offenſioni s quadam) Interuenerat quoddam diſſidium inter Italos milites Ioannis Auſtrij, quos Sebaſtiano Venerio mutuo dederat, & milites Venetos, ita vt Veneti exercitus Venerius prefectus in Italos tãquã perduelles publicæque tranquillitatis perturbatores ſuſpẽdio animaduerterit. quod ægre tulit Auſtri⁹ nõ ſine tacito in Venetũ odio ſed toti⁹ exercitus calculis, diſſenſionũ arbiter electus, M. Antoni⁹ Colũna maxima cum ſui nominis cõmendatione publicaque rei Chriſtianæ vtilitate eas compeſcuit. *Ibidem.* *Bizaras loco citato.*

Annorum immaturitate mentis maturitas) Carolus etiam num adoleſcens oratronem habuit in Senatu Pariſienſi ad Patres. Cuius prima parte in matris laudes excurrit, ei ſe vitam & regnum debere prædicans. Altera Henrici fratris tunc temporis Andium ducis, tum piũ erga ſe & propenſum erga Rempublicam animum, laudibus extollit. Poſte- *Ex orat. 24. fol. 190*

riore de contemptu legum, iuris diſci plinæ & ſanctionum ſuarum cõqueſt' patribus dixit. Veſtrum eſt parere ſanctionib. meis, nec diſputare quales ſint ego enim melius ſcio quid ſit ex vſu regni quidue deceat quã vos hæc imberbis dicebat in frequentia doctiſſimorũ ſenum mirantibus cunctis à quo talia didiciſſet.

Ibidem. *De pietate autem in Deum*) Præſertim ſi aliquod diſcrimẽ incurriſſet, Dei numẽ ardẽter implorabat, vt non multo ante ſuas nuptias contigit. Cum enim aliquando in Sylua Galeonenſi, agri Rhotomagenſis, venaretur, obuiũ habuit ſpectrum igneum, haſtæ altitudine, territi venatores diffugere, Rex intrepidus ſtricto enſe ſolus inſequitur, donec ignis diſparuit: narrabat illi, ex fuga ſpectri iniectum metum & repetiuiſſe ex ſacro Hymno quẽ à præceptore Iacobo Amyoto puer didiciſſet, *Deus adiutor meus, & in Deum adiutorẽ meum ſperaui*

FINIS.

R E-

RERVM INSIGNIVM ATQVE ILLVSTRIVM, NECnon & verborum copioſiſſimus Index.

A

ADalbertus à Pruſis interfectus. 1. 7.a.
Adleida Miecislai Polonorum Regis ſoror Geiſæ Vngarorum principi nupta Vngariam ad fidem adducit. 145.a.
Adoleſcentes rebus iudicandis nō idonei eiuſque rei cauſa. 97.a.b.
Aeſchinis mater Tympaniſtria fuit & vt vult Demoſthenes vulgati corporis. 118.b.
Affricanus Scipio ſe ad ſpeculum radi ſe curauit. 38.b.
Ageſilai iudicium de iuſtitia & fortitudine & vtra ſit præſtontior. 64.a.
Albigenſes hæretici. Vaſconiam D. Ludouici temporibus ad defectionē vocarunt. 140.b.
Alexandri de præceptore Ariſtotele egregiè dictum. 118.a.
Alexandri epiſtola ad Ariſtotelem præceptorem. Ibidem.b.
Alphonſus 2. Ferrariæ dux, filiam Coſmi Florentinorum & Senenſium ducis duxit. vxorem. 157.b.
Anaſtaſius

Anaſtaſius imperator & alij prohibuerunt ne cui patriæ ſuæ adminiſtratio ſine ſpeciali principis iuſſu permitteretur. 100.a.
Animi quam corporis morbi periculoſiores. 43.b. animi partes duæ 61.a.70 b.
Animum aliter Phiſicus aliter Politicus conſiderat. 69.a.
Antiſtius Labeo Iuriſconſultus vocum origines rationéſque percallebat. 83.b.
Anthonius orator in cauſa quadam fucum fecit iudicibus. 100.a.
Anthonius Rex & Ioanna à D. Ludouico originem ducunt. 130.a.
Anthonius Borbonius Rex Nauarræ & Ioanna Albretica Regina ſummo Pontifici Pio quinto obedientiam præſtant. 126.a.
Aquilij aſpectu commoti iudices Romani etiã peculatus reum abſoluerunt. 100.a.
Areopagitæ noctu cur iudicabant. Ibidem
Areopagitarum mandato cautum ne oratores digreſſionibus procemiis aut epilogis vterẽtur. Ibidem.b.
Argonautæ ex Sirenum cantu ab Orpheo liberati. 15.a.
Architas Tarentinus ſexies exercitum duxit. 19.a.

Archimedis Siracuſani ſtudium in mathematicis. 16.a.
Ariſtippi de litteris Apophtegma. 111.a.
Ariſtoteles Ciceroni auro fluens fluuius dictus. 59.b.
Artium cur quædã liberales dicantur. 110.b.
Aſclepiades medicus ad extremam ſenectutem ſine vllo morbo cum perueniſſet ſchalarum lapſu periit. 56.70.b.
Athenienſes trecentas ſtatuas æreas Demetrio Phalereo poſuerunt. 113.b.
Aniculæ ad Philippum Apophtegma. 95.b.
Azononus Marcilio Eſtenſis temporibus Friderici Aenobarbi. 163.b.
Azonnus cum Salinguerram Ferrariæ tyrannum fugaſſet à populo princeps eſt ſalutatus. 164.a.
Animus noſter vt perfectior euadit. 1.a.
Animi definitiones ex priſcis philoſophis. 8.b.
Animi Theologica definitio. 9.a.

B

Beatę Inſulę quos fructus ex arboribus producant. 44.b.
Beatus eſt futurus ex oraculo qui ſe ipſum cognouerit. 68.a.b.
Boleſlaus Saxonum victor Cimbricam Cherſtneſum ad fidem reuocat. 147.a.
Boleſtaus.D. Adalberti corpus æquo auri pō-

dere à Pruſsis redimit. Ibidem.
Boleſlaus vlciſcens D. Adalberti necem Pruſſos ad Chriſtum conuertit. 147.b.
Boleſlaus 3.Pomeranos ad fidem adducit.Ibid.
Boleſlaus 5.dictus Pudicus IaZiges conuertit. 148.a.
Bona quæ ſuapte natura ſunt ſine philoſophia magis ad perniciem quam ſalutem valere ait Plato.
Brutus ea nocte quæ mortem ipſius anteceſsit Platonis Phedonem aliquoties legit. 19.b.
Brutus de filio ſeuerißimè iudicauit. 99.b.

C

CAdmea victoria quænam dicatur. 57.b.
Calliſtenes æternũ Alexãdri crimẽ. 57.a.
Cambiſes ſedere iuſſit filium ſucceſſorẽ ſupra patris aliquando iniuſti iudicis tribunal corio ipſius tectum. 101.a.
Carneadis acumen rem aliquam probãdo aut impugnando. 40a.
Cæſaris ambitio in Pontificatu petendo. 46.b.
Carolus Magnus Aquitaniam hæreſi Arriana infectam Saxones Ethnicos deuicit. 136.a.
Carolus Italiam perdomuit vna cum Deſiderio Aſtulphi ſucceſſore Corſicam Pontificiæ ditioni æddidit vindicato Hadriano Ponfice, Ibidem.
Carolus Ducatum Spoletanum & Beneuẽtanũ inſuper

inſuper Lucam & Parmam dignitati Pontificię dedit. Ibidem.
Carolus terram ſanctam ex impiorũ manibus eripit ſiue recuperat. Ibidem.
Caroli nonicumD.Ludouico cõparatio 140.b.
Caroli noni de hæreticis prophetica ſententia. 191.b.
Carolus nonus lenta morte interiit. & eius in morte extremũ vale:et deuotiõis ardor. 191.b
Cato laudis aut gloriæ minime cupidus. 46.a.
Catonis integritas ipſis competitoribusmirabilis. 85.b.
Carlomani & Childeberti Chriſtianæ pietatis columina & hæreſeon extinctores. 127.b.
Caſtellæ regnum à Barbaris occupatũ. 138.b.
Chidebertus Almaricum Alarici filium obtruncauit. 123.
Chryſippus ita ſtudio intentus vt cibi potuſq; eum caperet obliuio. 10.a.
Cicero Philonis, Dioderi,& Poſidonij philoſophorum auditor. 36.a.
Cicero in cauſſa Cluentiana tenebras iudicibus obiecit. 100.a.
Ciuitatum congregandarum cauſa iudiciorum ratio extitit. 95.b.
Ciuitati cuilibet artes duæ neceſſariæ agricultura & mercatura. 112.b.
Clodouæus primus Regum Galliæ ſalutari

aqua

aqua ablutus. 132.b.
Clodoucus VViſigothos qui nũc Vaſcones dicuntur in pictionib.fudit, & regem manu ſua occidit. 133.a.
Clodoueo Anaſtaſius Imperator blatteam coronam auaream magnificam ac cõſularẽ & patriciam dignitatem obtulit. Ibidem.
Cratis Thebani de philoſophia Apophtegma. 118.b.

D

DAgobertus primus inter diuos relatus. 134.a.
Demetrio Phalerœo tercentum ſtatuæ æreæ à populo Athenienſi vno anno non integro poſitæ ſunt. 113.b.
Demoſthenem coram Philippo Macedonum Rege ſua deſtituit eloquentia. 12.b.
Demoſthenes platonis auditor. 36.a.
Deus ſolus ſapiens. 75.a.
Dialecticæ vtilitas. 22.b.
Dialectica quantum ſit vſui in iuris profeſſione. 91.a.
Dialectici duo argumentandi inſtrumenta. 106.a.b.
Dioniſij ſenioris adamantina vincula vis & metus. 63.b.
Doctori cuilibet quid, & quomodo doceat, videndum. 83.a.b.

E

EGeſtas ſtudijs impedimento. 45.b.
Eloquentiæ laus. 25.b.
Epaminundæ Thebani authoritas. 103.b.
Eratoſthenes Homeromaſtix. 24.b.
Eſtenſis familia à Pontificib. ducatum Ferrariæ accepit. 164.a.
Euripidis mater olera vendebat. 118.a.
Euangelij vtilitas. 6.b.
Elementorum veluti flos in corporibus cœleſtibus. 7.b.

F

FAcultates in homine rationis expertes duæ ſunt. 70.b.
Facultas ſenſitiua in animalib. duplex. Ibidem.
Facultates cognoſcendi duæ. Ibidem
Facultates iraſcibiles & concupiſcibiles rationis quodammodo participes 73.a.
Ferrariæ Dux Eccleſiæ cliens. 157.b.
Ferrariæ ducis in Chriſti cauſam propenſio. 165.b.
Fœlicitas publica pendet ex litterarum cultura. 14.a.
Forma cauſa eſt eſſentiæ proinde & actionū. 112.a.
Franciſcus 2. hæreticorum hoſtis acerrimus. 125.a.
Franciſcus 2. & Maria Vxor Galliæ & Sco-

tiæ regnorum nomine Pio V.P.M.obedientiam præſtant. 126.b.
Fratrum regis Caroli 9.laus. 187.a.
Fridericus Aenobarbus Imperator Eccleſiæ hoſtis. 163.b.

G

Galenus morbidam naturam arte correxit vt ad ſeptuageſimũ annũ peruenerit 56.b.
Gallorum & Hiſpanorum diſcordiis mala in orbem Chriſtianum inuecta. 124.a.
Galliarum Rex primogenitus Eccleſiæ. 125.b.
Gallorũ Reges pręcæteris regib. apoſtolicæ ſedi obſequoſi & deuoti ex Innoc. 4. 137.b.
Gallorum Reges murus inexpugnabilis pro populo Chriſtiano. Ibid.
Galliæ regnum eſt quaſi pharetra quam Chriſtus ſibi circa femur accinxit. Ibid.
Galliæ laudes. 185.a.
Grægorius 13.P.M. profeſſores publicos vt Muretum & alios Romæ honorario continet. 107.a.
Gregorius 13 P. M. doctiſſimus & doctorum hominũ litterarumque amãtiſſimus. 117.a.
D.Gregorij egregium de regno Galliæ teſtimonium. 137.a.
Gregorius primus regem Galliæ Catholicũ & præcellantiſſimum filium. Ibid.
Gregorius nonus Chriſtianiſſimus inter omnes Chriſtianos. Ibid.

H

HAereticorum in Gallia crudelitas. 184.b.
Hebræo populo Iudices non Reges præerant. 96.a.
Heſiodi encomium. 65.a.
Hippocrates annos centum & quatuor natus obiit. 56.b.
Hiperidis oratoris artificium in liberāda Phryne Meretrice capitis rea. 100.a.
Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis Mureti Mœcenas. 85.a
Homo animus eſt non corpus. 68.a.
Homerus omnium ingenuarum artium fons. 105.a.
Humanitas cur vocetur litterarum cognitio. 110.b.

I

IAcob Patriarchę ſcala. 7.b.
Iagello Lituaniæ Samogitiæ & Ruſſiæ dux Heduigin Ludouici Poloniæ Vngariæ regis filiam vxorem petit. 149.a.
Iagello vna cum fratribus ſuis & toto populo baptizari voluit. 150.a.
Et plura illius geſta. 51.a.b.
Iudices qui ſunt eligendi. 96.a.
Iudex eſt lex loquens. Ibidem.
Iudicū in ciuitate maior numerus neceſſarius quam eorum qui leges ferunt. 97.b.

Iudices apud Romanos cenſoriæ notæ minimè ſubditi. Ibid.
Iudicabatur olim in loco ſacro. 98.b.
Ioãnes Moronus ſacroſancti collegij circa annum 1573. Decanus nunc vero Staniſlaus Hoſius cardinalis, 117.a.
Ioannes Babo à Burdæſia Eques Torquatus à Franciſco ſecundo ad Pium quintum orator miſſus. 121.a.
Iſocrates Trierarchiã ſplẽdidiſſimè obiit. 116.b.
Iuriſconſultorum circumforaneorum feſtiua deſcriptio. 79.b.
Iuſtitiæ laus. 38. b. 66.a.
Iuſtitiæ origo ſecundum veteres. 59.a.
Iuſtitiæ cœleſtis tantũ imago in his inferioribus, in anni tẽpeſtatibus, in elemẽtis. Ibid.
Iuſtitia in toto homine compoſito & ſingulis eius partib. Effectrix æquabilitatis quatuor humorũ in corpore humano. Quo pacto ſe habeat inter animi partes. 60.a.b. 61.a.
Iuſtitia vt ciuitates fundat & conſtituit, contra iniuſtitia funditus euertit. 63.b.
Iuſtitiæ quænam ſint comites. 94.a.
Inter orationem & res oratione tractatas neceſſaria cognatio. 5.a.

L

LAconis cuiuſdam Apothegma. 103.a.
Laũdũ Tituli Pipino tributi ſculptiin tabula marmorea apud Italos extante. 135.b.
Laudum tituli quibus pontifices Gallorum reges

ges ornauerunt. 148.b.
Legum & iudiciorum differentia. 97.a.
Lex eſt mutus iudex. 96.b.
Lex boni iudicis anima eſſe debet. Ibid.
Lex eſt mens cupiditatis expers. Ibid.
Leõtini Gorgiæ in profeſſione Rhetorices opes & diuitiæ. 116.a.
Leontini Gorgiæ aurea ſtatua in Delphico tẽplo poſita. Ibid.
Litteræ potiſſimũ ciuitatẽ cõſeruatrices 14.a.
Litterarum inuentio qua de cauſa. 33.b.
Litterarum encomium ex Ariſtippo. 111.a.
Litterarum cognitionis collatio cũ cæteris artibus. Ibid.
Lituaniæ prouinciæ deſcriptio. 148.b.
Ludouicus Philippi animoſi filius Nauarræ Rex. 127.a.
Ludouicus Caſtaneus Rupipoſæus eques torquatus Hẽrici 3.ad Gregoriũ 13.P.M.legatus. 196.a.
Luitprandus Longobardorũ Rex Martelli nomine deterritus abobſidenda Roma. 134.b.
Legis duo præcipua capita, 5.b.
Lex diuina eſt pædagogus. 6.1.

M

MAnlius Torquatus propter valetudinem oculorum detrectauit imperium 17.b.
Manlius de filio ſeueriſſimè iudicauit. 99.b.
Marci Antonij Imperatoris humanitas. 10.b.
Martellus veræ fidei aſſertor & propugnator. 125.a.

125.a.
Martellus Saracenos ad Ligerim, Phriſios Paganos VViſigothos Arianos oppſſit. 134.a.b.
Martellus Gregoriũ 3 P. M. ex manibus Luitprandi Longobardorum regis liberat. ibidẽ.
Marcus Antonius Columna Claſſi Pontificiæ bello aduerſus Turcas præfectus. 167.a.
Meliſſus philoſophus naualibus victoriis inſignis. 19.a.
Mẽs alia theorica, alia practica effectiua 76.a.
Miecislaus ad ſeptimũ vſque annũ oculis captus & mirabiliter oculis vti cœpit. 145 a.
Miecislaus Poloniæ Rex vnde dictus. Ibidem.
Miecislaus quo pacto ad fidem adductus. Ibid.
Mytylenei populi quos deuicerant vetabant ne liberos litteras edocerent. 19.b.
Moralis philoſophia quantum proſit. 23.a.
Moralis philoſophus medico præſtãtior 43.b.
Moralis philoſophia à philoſophis literis mãdata alia quam vulgus cenſet. 53.a.
Muretus profeſſor Romæ conſtitutus à Pio 5. P. M. 49.b.
Mureti ſtudiorum curſus. 79.b.
Muretus à Cardinalibus reuocatus à iuris ciuilis profeſſione. 102.b.
Matutinæ Lutetianæ. 186.b.

N

NAuarræ regum vnde inſignia. 125.b.
Neronis clementia & manſuetudo in iudicando. 101.b.

Nero

Nero tantas in præceptorem Senecam diuitias congeſſit vno quadriennio quantas vllus Italiæ princeps habeat. 116.b.
Nicolaus à Ramboilleto eques torquatus cuſtodiarum regiarum præfectus regis Caroli ad Gregorium 13.legatus. 188.b.
Nobilium eorum qui nobilitatem à parentib. obtinent vituperium. 112.a.

O

OLympi cacumen adeo altius vt eo venti peruenire nequeant. 44.b.
Opinio in ſolis eſt hominib. ex Stoicis. 72.a
Oratio rebus & verbis conſtat. 31.b.
Oratio notionum exprimendarum naturale inſtrumentum. 33.b.
Orator neque docere,neque mouere aut delectare poteſt ſine philophiæ auxilio. 34.a.
Orationis nudum & ſimplex genus veritatis proprium. 42.b.
Ordinis ſiue Methodi in rebus cuiuſuis commendatio. 89.b.

P

PAedalij indica gens nihil aliud quã iuſtitiam a diis petere ſolebant. 63b.
Periclis in labris perſuadendi deam ſeſſitauiſſe dictum eſt. 35.b.
Pericles orator Anaxagoræ Phyſici auditor.Ib.
Perſæ ex regiis liberis natu maximum iuſtitiã doceri curabant. 63.b.
Phantaſia eſt formarũ rerum ſenſu percepta-

tum compehenſio. 71.a.
Phantaſia brutis ineſt. 71.b.
Philoſophiæ laus. 23.b.
Philoſophorum laus & vtilitas. 34.a.
Philoſophię ſtudiũ quã dulce & amœnũ. 36.b.
Philoſophi qui à vulgo habiti. 37.b.
Philoſophiæ collocatio. 38.a.
Pius 5.P.M.omnis virtutis exemplar. 49.b.
Plato ter in bello ſtipendia fecit. 19.a.
Platonis ſermone non alio Iouem ſi Gręce loqui vellet vſurũ fuiſſe dicebat Cicero. 39.b.
Pœtarũ elogia ex Platone & Ariſtotele. 24.b.
Polemon ad bonam frugem reuocatus Xenocratis oratione. 54.b.
Polycleti ſtatuarij liber canona & ſtatuta eodem nomine appellata. 55.a.
Profeſſores antiqui Iuris ciuilis ſæpe pro veris falſa docuerunt. 88.a.
Prudentiæ elogia. 76.a.& b.
Platonis opinio de effectione rerum. 8.a.

Q

QVerelæ & diſcordiæ ortæ inter Ludouicũ Sforciam & Ioannem Iacobum Medicem à P.5.Pacatæ. 156.a.

R

RAuẽnatiũ pfectura vna cũ Flaminia & Aemilia Pontifici à Pipino reſtituta. 135.b.
Reges Gallorum in Romanam Eccleſiam omnium propenſiſſimi. 120.b.
Reginæ matris laus. 126.b.

Reginæ

Reginæ matris encomium. 138.a.
Rhetoris duo argumẽtandi inſtrumẽta. 106.b.
Reſpublica quęuis duabus rebus continetur ex Democriti ſententia. 96.a.
Romanæ vrbis laus. 48.b.

S

SAnctius Barbaros vincit. 128.b.
Sãctij orõ.ſpolia Barbarorũ reſpuẽtis. 129.a.
Sciẽtia ſine ſẽſuũ miniſterio hẽri nõ põt. 32.b.
Siẽtia aut doctrina aut diſciplina cõparať. 33.a
Scientia eſt per primam propriã & neceſſariam cauſam cognitio. 75.b.
Scientia ex quibus fiat. Ibid.
Seipſum cognoſcere quid ſit. 68.a.
Seneca Nerõis pceptor Craſſo duplo ditior. 116.
Sẽſ⁹ oculorũ & auriũ diſciplinis aptiſſimi. 33.a.
Senſus non percipit eſſentiam ſed eſſentiæ accidentia. 71.a.
Senſus exteriores quinque quorum ſolus tactus in omnibus eſt animalibus. Ib.
Sẽſus quo pacto circa ꝓpriũ obiectũ nõ fallať. Ibi.
Sẽſus oẽs voluptas aut moleſtia comitatur. Ib.
Sigularia percipiuntur ſenſibus. 33.b.
Smaragdus barbarorum dux à Sanctio manu obtruncatus. 129.
Socrates ter ſtipendia fecit. 10.a.
Socrates obſtetricis filius. 118.a.
Solonis auiditas diſcendi. 16.b.

T

TEmporũ duo genera pacis & bellí. 17.b.
Thaletis Mileſij egregiẽ factũ incõparandis opibus. 116.a.

Thebis poſitæ ſtatuæ iudicū ſine manibus & qua de cauſa. 100.a.
Themiſtocles trophęis Miltiadis excitat⁹. 14.b.
Theobald⁹ Cāpaniæ dux & Nauaræ Rex cōtra Saracenos exercitū ī Africā ducit. 127.a.
Theophraſt⁹ ex loquēdi diuinitate dict⁹. 40.a.
Turcarum clades ad Naupacteam. 169.a.
Tyrtæi Poetæ verſibus Lacedæmonij inflāmati victoriam de Meſſeniis reportarunt. 19.à.
Theologiæ definitio. 5.a.
Theologiæ elogium. 9.b.
Theologiæ vtilitas. 10.b.

V

VEnetiarum laus. 12.a.& 40.a.
Veneta reſp. idcirco tādiu ſtetit qđ à viris ſapientiſſimis & literatis regatur. 20.a.
Veneta ciuitas doctorū hoīm fecūdiſſima. 40.a
Veneris imperio cur oēs dij ſubiecti exceptis Minerua & Muſis & quamobrem. 15.a.
Verba eorū quę animo cōcepimus notę. 83.a.
Virtutum & vitiorum naturales in animis noſtris notiones. 53.b.
Vladiſlai tertij magnanimitas. 152.a.
Vniuerſarum rerum notiones exiſtunt in animo perceptione ſingularium. 33.b.

X

XEnocratis virtutes & doctrinæ. 57.a.
Xenophōciuib.ī bello maxime vtilis. 9.b.
Xenophontis ore Muſæ quaſi locutæ. 39.b.

ZAleuc⁹ de filia ſeuerisſimè indicauit. 99.b.
Ziemomiſlus poloniæ Rex Laſci filius.

FINIS.

ORATIONES CAROLI SIGONII.



LVGDVNI.

In Off. Q. Philippi Tinghi, Apud Simphorianũ Beraud,

ET

Stephanum Michaelem.

M. D. LXXXVI.

CAROLI SIGONII PRO ELOQVENTIA ORATIO PRIMA.

CVM multa magna, atque pręclara, Auditores, nobis à diis immortalib. tributa, atq; conceſſa ſint, nihil tamē, ſapientiſſimorū hominū ſentētia, præſtātius, aut illuſtrius, quàm, vt nos bene de vnaquaque re ſentire, ac iudicare, & ornate quæ ſentiremus, eloqui, atque exprimere dicendo poſſemus. quarum rerum tanta vis eſt ad animos hominum ad humanitatem informandos; vt, cum multæ aliæ nobis cum cæteris animantibus communes impertitæ ſint, his tamē duabus duntaxat, feris, & immanibus belluis excellamus, cum in quibuſdam, vt corporis velocitate, & robore, multo illis humiliores infirmioréſque ſimus. tanta

porro illarum inter ſe ſocietas, atque cognatio eſt, vt, diſiunctæ ſorte: ſeparatæque, ſi fuerint, vix, quid prodeſſe hominum vitæ poſſint, intelligatur: ſiquidem ne indiſertis quidem prudentibus magna admodum expectari præſidia: & adiumenta queunt: & ſtulti ſæpe loquaces ſumma incommoda, ac detrimenta hominibus intulerunt. Ex quo intelligi poteſt, ad optimam, rectiſſimámque vitæ rationem inſtituendam vtriuſque muneris coniunctionem eſſe maxime neceſſariam, eáque qui ſit adeptus, maximum illum quiddam, atq; ampliſsimum eſſe conſecutum. Sed, quoniam factum eſt, vt ex his duabus eloquentiam homines, vel non nullorum, qui ea peruerſe abuſi ſunt, odio, vel eorum, qui eiuſmodi gloria ſtoruerunt, inuidia permoti omni tempore vehemẽtius improbarint: viſa res eſt haud prorſus à munere, & propoſito noſtro aliena, qui in hanc vrbem ad antiquam Latini ſermonis conſuetudinem demonſtrandam acciti venimus, ſi paucis eam ex hoc loco, in quem nunc primum publica auctoritate conſcẽdimus, atque in hoc ampliſsimo huius diei, frequentiſſimóque conſeſſu iniuſte vituperari à multis oſtenderemus. hoc enim ſi dicendo conſequi poterimus, non dubitamus, quin ad mẽtes veſtras, id quod in primis optamus, optimarũ artiũ cupiditate accẽdendas valere plurimũ, debeat:

beat. Quanquã autẽ diſſimulare non poſſum, Auditores, sũmo me cũ pudore ad hanc orationẽ accedere, quòd & in ea ciuitate loquor, in qua vna antiquæ dicẽdi facultatis, & copiæ nõ leuiter impreſſa veſtigia cernũtur: & præſentib viris illis dico, qui in hac ipſa ciuitate ſummorũ oratorũ obtinẽt principatũ: me tamẽ audaciorẽ neſcio quo modo, quã meus patiat pudor, ad hãc diſputationẽ ſuſcipiẽdã rei, de qua dicturus ſum, magnitudo reddit: quam quidẽ eſſe, ſi vtilitas quæratur, oportuniſſimã, ſi animi oblectatio, iucundiſſimam, ſi dignitas, ampliſſimã, facile cuiuis licebit intelligere, qui antiquiſſimos oratoris ipſius gradus, ac quaſi proceſſus paulo mecum diligentius iã inde à primis eius incunabulis indagarit. Nã primũ quidem, (ne longius faciam) quid erat vnde procreati, & in lucem editi homines, atque illo admirabili, & diuino munere mentis, & cogitationis ornati, maiorem vtilitatem ferre, aut vberiorem voluptatem percipere poſſent, quàm vt ipſi colloqui inter ſe, & ſua ipſorum cogitata communicare, & ea, quæ ſuæ vitæ neceſſaria, viciſſim tum rogare, tum rogati ſuppeditare poſſent? aut, cum genus humanum, in terris diſſipatum, libere vagaretur, atque vt nullius loci ambitu, ſic nec vllius legis, aut iuris timore coerceretur, ſed cæca ſenſuum cupiditate omnia adminiſtra-

ret, & gereret, quid ei vel opportunius, ſi tutæ, vel, ſi iucundæ, ſuauius, vel magnificentius, ſi nobilioris vitæ genus expeteret, accidere potuit, quàm vt in vnum locum congregatum, (quod incredibili quadam facultate perfectum eſt) iuris, legum, vrbiũ denique ſocietate deuinctum ab illa fera, agreſtiq́; vita ad hunc humanum cultum, ciuilemq́; traduceretur? Declarant antiqui poëtæ, qui diſertos quondam viros, quòd homines ad vnam incolendam vrbem ex agris, tectisque ſilueſtribus, maiore fortaſſe, quàm tum tempora ferebant illa, dicendi copia, & grauitate deduxerant, eoſdem cantu, fidibúſque lapides mouiſſe, feroces immanium beſtiarum impetus fregiſſe, ac perennium fluminum curſus retardaſſe finxerunt. At vero, conſtitutis deſcriptíſque ciuitatibus, quid aut ad vtilitatem fructuoſius, aut ad dignitatem amplius, aut ad famam ſplendidius eſſe potuit, quàm in foro copioſa atque ornata oratione poſſe hominum fraudem ad perniciem, innocentiam ad ſalutem vocare, in ſenatu de rep. deq́; cęteris rebus ſuam cum dignitate ſententiam explicare, poſtremo in otio vnum inter ceteros in omnigenere ſermonis, atque humanitatis excellere? Etenim, ſi verum quærimus, quo tandem modo aut laudandi, aut gratulandi, aut

monendi,

monendi, aut gratias agendi, aut omninino vllo humanitatis officio fungendi, quæ omnia quàm ſint grauia, quàm neceſſaria, quàm ſuauia, facile communis vitæ conſuetudo demonſtrat, facultatem nos vllam vnquam fuiſſe conſecuturos putamus, niſi nobis data hæc vis, & ratio dicendi fuiſſet? Ex qua cum multiplices alij fructus ſunt conſecuti, tum hic ſine dubio & ampliſſimus eſt ſemper, & vberrimus habitus, quòd eadem effecit, vt, quæ ingnoraremus, diſcere, & ea, quæ ſciremus, aliis tradere poſſemus atque poſteris etiam in perpetuum cognoſcenda relinquere. Nam quæ, per deos immortales, præclariſſimarum artium, nobiliſſimarum diſciplinárum, quæ ſunt partim ad vitæ vſum, partim ad obiectationē animi neceſſariæ, quæ philoſophiæ, qua nihil vel melius, vel admirabilius à Deo hominibus datum eſt, quæ illius ipſius miniſtræ, ac quaſi famulæ dialecticæ, quæ legum, quæ iuris, quæ denique Dei ipſius, quæ religionis, iuſtitiæ, pietatis cognitio, atque ſcientia nobis eſſet, niſi in omni genere homines extitiſſent, qui eximia inſtructi facultate dicendi, ea nobis, vnde diſceremus, tractata diuinitus prodidiſſent? Hiſtoria vero quàm eſt admirabilis, quam iucunda, quàm fructuoſa? Hæc res geſtas, veteremq; memoriam omnem cōtinet hæc bellicoſarum gentium: imperioſorum po-

pulorũ, potẽtiũ regum , fortiſſimorum virorũ glorioſa, & illuſtria facta cõmemorat. hæc cõtinentiæ , grauitatis , iuſtitiæ , fidei fortitudinis atque omnis denique virtutis exempla quamplurima , & quam pulcherrima ante oculos ponit,quæ ipſi non modo magna cum voluptate , & admiratione legentes intueamur,ſed maximo etiam noſtro cum fructu imitemur hæc eadem denique ſola mea ſententia, indicat , non ſolum quantum ceteris animantibus , ſed quantum ceteris etiam hominibus homo præſtet, cum ea quæ, ante quàm natus ſit acciderint , non, aliter , atque ſi ipſe interfuiſſet , cognoſcere antiquitatis ſtudioſiſſimus quiſque poſſit. Sed hæc tamen omnia , quod nemini dubium eſt , iacuiſſent in tenebris , niſi ornatæ, & illuſtris cuiuſdam eloquentię lumen acceſſiſſet. Multa prætereo conſulto : ſunt enim quæ in hoc genere dici poſſunt innumerabilia : méque breuem hac in parte futurum , paulo ante pollicitum eſſe memoria teneo . Illud ſatis ex iis , quæ adhuc dicta ſunt , intelligi poteſt, nullam nobis tum rerum rationem , quibus vita melior facta eſt , tum etiam literarum , quibus aut corpus tuemur, aut animum recreamus , affuturam fuiſſe, niſi vna nobis tributa oratio hæc omnia miniſtraſſet. Ex quo efficitur, cum hæc eadem tã

præſtantia,tã vtilia tã iucunda nobis incredibili deorum beneficio data ſint, non alio illos, à quibus improbantur, odio eſſe dignos, quã eos ipſos, qui auguſtiſſima illorũ tẽpla,ſicut maximus eloquentię pater inquit Iſocrates inexpiabili ſcelere,flagitióque polluerint:cõtra vero qui naturalẽ hanc,quæ omnibus contingit, dicendi cõmoditatem cura, atque induſtria auxerint, atque vniuerſam demum eloquentiæ laudẽ: ſine qua ne ſapientia quidem ipſa: quod eſt alterum nobis à Deo traditum munus, expetenda videbatur: ſummo perſecuti ſtudio fuerint,in primis extollendos eſſe, atque pleniſſimo ore laudandos. Quòd ſi qui populi,aut ſi quæ gentes aliquando huius tantæ laudis ſtudio præſtiterunt, ii mihi fuiſſe potiſſimũ videntur, qui in libera:maximeque pacata & tranquilla ciuitate vixerunt: ſiue quòd ipſi, vt rerum geſtarum amplitudine, & libertatis maieſtate,ſic & orationis elegantia:& ſententiarũ grauitate ſe ceteris antecellere oportere arbitrati ſint:ſiue quòd vt ad bellum gerendũ, gladium ſic ad remp. adminiſtrandã orationem afferendam eſſe ſtatuerint: ſiue denique,quòd apud liberos populos iis, qui ſe dicendi exercitationi dediderint,multo, quàm apud ceteros: ampliora atque vberiora ſemper fuerint præmia conſtituta: qualia cum in aliis præclaris quondam ciuitatibus, tum A-

thenis potiſſimum, & Romæ fuiſſe accepimus quibus in vrbibus, quòd diſſertiſſimo cuique ad gratiam, ad opes, ad honores ampliſſimus patuit ſemper aditus, plurimum quondam eloquentiam eſſe dominatam videmus. id quod ex ſummis vtriuſque ciuitatis oratoribus perſpici poteſt. qui quidem, cum nec eximius eos generis ſplendor, nec opum amplitudo, ſed diuina ſolum dicendi ratio commendaret, ad remp. cum acceſſiſſent, in ea diutius glorioſiſſime floruerunt. Id autem ita eſſe, quo certius argumento colligitur, quàm, quòd cum eorum populorum libertate non ſolum illius gloriæ ſtudium ſubito vniuerſum concidit, ſed priſtini etiam ſermonis præclaræ illæ rationes, & formulæ ita corruerunt, vt ne veſtigia quidem vlla antiquæ conſuetudinis appareant? ſiquidem nõ, vt res, & animi ſenſa apud omnes homines eadem per omnia tempora permanẽt, ſic & voces, & verba eadem ab omnibus gentibus in omni ſæculo celebrãtur. immo vero, vt imperia, ſic communis loquendi forma, & conſuetudo ſuo quaſi confecta ſenio contabeſcit. atque, vt ex corporibus placent potius, quæ vigẽtis florem ætatis præſeferunt, quàm quę caducam quandã maturitatem adepta ſunt: ſic in quotidiana loquendi conſuetudine, quę poſtremo quoque loco verba ſuc ceſſerunt, ea plurimum apud homines honoris obti-

obtinent;ac dignitatis. Quod cum ita ſit, ergo duplex nobis relinquitur hoc tempore, in quo noſtra excurrere induſtria, & virtus poſſit, honeſtiſſimus, atque in ſuo vterque genere ampliſſimus eloquentiæ campus, vnus, qui recentem, alter, qui antiquam loquendi rationem amplicltitur. Quarum illam ad familiaria negotia, & omnino ad publicum, & forenſem vſum, aduocare, ex hac vero rerum præſtantiſſimarum, & nobiliſſimarum artium cognitione deriuare conſueuimus. Ac prior quidem illas pars eloquentiæ in hac ciuitate, quam fere vnam in terris hoc tempore liberam eſſe voluiſſe dij videntur, tanto ſtudio colitur. vt ne Græci quidem, & Latini admirabili, vel potius diuino ipſorum ſermone aut de rebus priuatis ſubtilius, aut de publicis magnificentius aut de forenſibus peritius, & copioſius diſſeruerint. neque iniuria. Nam quæ ceteris in vrbibus hoc tempore penitus interclusa eſt ad dicendi gloriam via, ea latiſſime in hac ciuitate vnicuique patet, non enim hic roſtra deſiderantur, non curia, non ſenatus, non forum non ſubſellia iudicium, in quibus eloquentium virorum aut eluceſcat induſtria, aut ſperatis, propoſitiſque honoribus ſtudium exiciretur. manent, & manent, &, vt video in perpetuum manebunt diſſertiſſimorum hominum ingeniis ſua in hac pacatiſſima ciuitate

cur

curricula, & ex hoc ſtudio fructus ampliſſimi, ſumma gloria. De altera vero, omniũ fere eruditorũ ea videtur eſſe conſenſio, vt, quoniam tum Græci, tum Latini homines (harum enĩ duarũ gentiũ laudata in primis ſemper oratio fuit) poetas nobis, & oratores non ignobiles reliquerunt, & præſtantiſſima; fere, ac optima cuiuſque diſciplinæ præcepta quãplurima, & quam ornatiſſima prodiderunt, demus operã, vt verborum, quibus diuina contexta ipſorũ ſcripta ſunt, ratione percepta, tot excellentiũ poetarum, nobilium oratorum, præſtantiſſimarum artium cognitionem nobis, atque ſcientiã comparamus: aut, ſi quid forte de noſtris vel dicendum: vel ſcribendum hoc tempore ſit: id verbis quidem noſtris explicemus: ſententiarum autem luminibus, quæ plurima ex ſplendidiſſimis eorũ ſcriptis ſumi poſſunt: illuſtremus: aut denique, ſi noſmetipſos ad veterem illam forte dicendi conſuetudinem transferamus, id vero nec indiſerte, nec impolite agamus. Sed: cum hoc tamen totum, quidquid illud ſit, quod nos in hoc genere ſuſcepimus, niſi cognitis eorum linguæ formulis expleri non poſſit, relinquitur profecto, vt primus nobis labor in ipſorum cognoſcenda lingua ſit collocandus. quã cum neque ex domeſtico: neque ex forenſi, vt quondam, vſu, ſed ex tacita duntaxat multorum doctorum

conſue-

conſuetudine percipi poſſe, pleræque Italiæ ciuitates animaduerterent, propterea ſumma ope contenderunt, vt apud ſe haberent, qui illorum libros publice diligenter explicarent. Verum in hoc genere toto, Auditores, neſcio quo modo maiorem veſtrorum conſilium & factum inprimis elucet. hi enim non modo artium, & diſciplinarum, quæ nunc in prætio ſunt, omnium clariſſimum vniuerſo terrarum orbi domicilium in antiquiſſima imperii ſui Patauina vrbe ſtatuerunt, idq; ipſum nobiliſſimis accitis ex omni terrarum parte magiſtris exornarunt, ſed etiam in hac vrbe, quæ clariſſimi huius imperii ſedes eſt, ſemper eſſe voluerunt, qui obſcura, & nunquam ſatis patefacta veterum illorum ſcripta docendo illuſtraret, & præclarum hanc iuuentutem optimis litteris publico munere erudiret. & recte. ſtatuerunt enim, id quod aliter eſſe non poteſt, ciuilis initia, ac fundamenta prudentiæ optimarum doctrinarum cognitione ac ſcientia contineri, nec quenquam vnquam ſatis ſe moderate in libera ciuitate geſturum, niſi qui ab ineunte ætate liberalibus primum diſciplinis excultus, deinde ſe tractandæ & adminiſtrandæ reipublicae tradidiſſet. itaque, vt in ipſa republica gubernanda, ſic in tota eius etiam ratione ſuſcipienda, admirabile eſt, quantum ipſi cum ceteros homines, tum maxime pruden-

tiſſi-

tiſſimos illos etiam veteres Romanos ſapientia ſuperauerint. illi enim philoſophos, ac rhetores omnes, Catone potiſſimum, & Craſso auctoribus, edicto excedere aliquando ex vrbe iuſserunt: hi eoſdem in hanc vrbem ſuffragiis etiam ſuis aduocandos eſse duxerunt. illi nobiliſſimos artium magiſtros aliquando etiã cõtumelia affecerunt: hi eoſdem ſummis præmiis dignos eſse perpetuo arbitrati ſunt. illi rectiſſimas artes ad optimã adminiſtrandæ reip. rationem informandam nihil valere, hi ad id potiſſimum maxime pertinere exiſtimarunt. Quo fit, vt hæc ciuitas, quemadmodum rerum geſtarum magnitudine, imperii diururnitate, maritimi, & terreſtris apparatus magnificentia, ſi artium quoque optimarum ſtudiis, ac moderatiſſimorum hominum copiá præſtantiſſimum quemque populum antecedat. In hanc igitur vrbem, atque ad eiuſmodi munus obeundum publica adductus auctoritate venio equidem perlibenter hoc tẽpore, Auditores, ſed ſi vere dicendum eſt, maximo cum timore. Metum autem affert non tam ſuſcepti magnitudo muneris, cui me iam non nulla exercitatione aliquantum aſſueſeci, ſed quòd intelligo me in eum locum ſuccedere oportere, quo in loco cum alii quondam ſummi viri, tum proxime Valla, Sabellicus, Egnatius magna cum ingenii, atque doctrinæ laude floruerunt.

ruerunt. Præterea vero, corona iſta veſtrum, & frequentia incredibilis adeo me commouet,& perturbat, vt nunc demum intelligam, quàm incaute, ne dicam ſtulte fecerim, qui acerrimo huius eruditiſſimæ ciuitatis iudicio in hoc genere aliquando ſatisfacere me poſſe crediderim. Sed tamen, qui me frequens veſter conſpectus terret, idem quodam modo etiam confirmat, & recreat. Sentio enim, atque ex ſingulis vniuſcuiuſque veſtrum vultibus perſpicio, humanitatem in hac ciuitate eſſe tantam, quantam in principe terrarum populo eſſe conueniat. Itaque vt amaui antea mea ſponte maxime pulcherrimam iſtam vrbem veſtram,vnam in terris optime conſtitutæ ciuitatis veriſſimam imaginem vt ſenatus iſtius grauitatem, imperii maieſtatem,cæli clementiam,terræ halitum, maris afflatum atque omnino felicem iſtum, ac plane diuinum Venetiarum genium ſemper colui:ſic nunc multo vehementius,veſtro tanto incẽſus erga me ſtudio, & vos omnes, & hæc omnia diligo, atque colo:fateorque pulcherrimũ mihi omnium, quos in vita vidi, hunc diem illuxiſſe, quo tam egregiam veſtram erga me voluntatem,ac tam honorificum de me iudicium licuit experiri.cuius diei memoria, dabo operam,ne aut obliuione aliqua deleatur,aut vllius diuturnitate temporis obſcuretur.Expo-

ſu

ſui breuiter, Auditores, quæ ad eloquentiæ laudem, atque omnino ad huiuſce diei quaſi proludiũ mihi viſa ſunt pertinere: lætorque attente, atque benigne me, ſicut optabam, atque ſperabam, ab omnibus auditum eſſe. Reliquum eſt, primum vt vobis omne meum ſtudium, officium, laborem, diligentiã, quantum denique ingenio, atque induſtria efficere in hoc munere poſſim, pollicear, ac deferam: quod quidem cum mea ſponte, tum veſtro etiam tanto de me iudicio incitatus, vel Muſis prope ipſis, quarum auguſtiſſimo quaſi quodã in templo ſumus, approbantibus facio: deinde, vt vos orem, atque obſecrem, vt, quod ad me audiendum hodierno die ſtudiũ attuliſtis, id in perpetuum conſeruetis. Quod equidẽ cũ alijs de cauſſis vobis cenſeo eſſe faciendum, tum ne aut eorum, qui me huc aduocarunt, aut eius, qui acceſſitus eſt, animus veſtra vlla tarditate debilitetur, aut ipſi maximam, & excellentiſſimam humanitatis partẽ reſpuere, aut denique ne hac abuti pulcherrima, atque optatiſſima pace videamini, qua ſola hæc ciuitas, reliquo fere terrarum orbe perniocioſiſſimo bello flagrante, ſingulari iſtius ſapientiſſimi ſenatus conſilio, maxima hominũ approbatione, ſummaque vtinam in perpetuũ, felicitate perfruitur.

Venetijs habita, M.D.LII.

CAROLI SIGONII PRO ELOQVENTIA ORATIO SECVNDA.

ETsi, post intermiſſa noſtra ſtudia, Auditores, nihil mihi lõgius vnquam viſum eſt eo die, quo iterum omnes in hunc locũ conueniremus, ac dimiſſam eorũ cõſuetudinẽ lõgo interuallo repeteremus: tamẽ hodiernus dies, qui cũ per ſe optatiſſimus, tũ frequẽtiſſimo iſto cõſpectu veſtro omniũ mihi iucundiſſimus eſſe merito debet integrã me, quã ante finxerã animo, percipere voluptatẽ nõ patitur. renouat enim memoriã pernicioſiſſimæ cuiuſdã opinionis, quã omnino inueteraſſe, atq; in animis omniũ fere hominũ iã penitus inſediſſe intelligo. nã cũ alii aliis de cauſſis ſe à ſtudiis optimarũ artiũ, ac præſertim eloquẽtiæ, recedere hoc tempore profiteantur: tũ hæc trita, & iã omniũ fere peruulgata ſermonib. afferri excuſatio ſolet, ꝙ ſe diffidant ad veterũ illorum poſſe, quos imitati fuerint, laudẽ, & gloriam peruenire. Quæ ora-

tio quanquam ſatis eſt iſtius ciuitatis auctoritate, atque iudicio confutata, quòd tanto ſtudio, ac tanta animorum contentione ad omnium diſciplinarum genera complectenda exarſit, vt eam omnino antiquitatis non æquaturam modo gloriam, verum longe, multúmque ſuperaturam eſſe ſperandum ſit: me tamen & ſuſcepti muneris ratio, & mea quædam erga vos præcipua charitas hortatur, vt, quo alacrius omnes ad priſtina ſtudia redeatis, eiuſmodi ſententiam probem cum vt falſam, tum vt pernicioſam ab omnibus prorſus hominibus eſſe repudiandam. Etenim, ſi diligenter attenderitis, Auditores, nihil profecto inuenietis, quod tam omnium hominum animos frangere, aut tam eorum retardare conatus poſſit, quàm ſi in ijs artibus, ad aquas ſe contulerint, omnis ſit eis ſpes principatus, ad quem vnuſquiſque natura ducitur, intercluſa. Quam certe ſpem omnino præcidunt illi, qui in tantam antiquorum admiratione͂ adducuntur, ac tantam illis in omni artium genere laudem tribuendam eſſe cenſent, vt nullum poſteris ad famam, atque ad gloriam relictum eſſe locum arbitrentur. Equidem vt illud ſemper veriſſimum eſſe duxi; maximas res, ſummáſque artes & inuentas acutiſſime, & tractatas ornatiſſime ad nos à veteribus eſſe tranſlatas: ſic hoc nulla ratione probandum

puto,

puto, non eorum nos veſtigijs inſiſtentes vel parem nobis laudẽ poſſe ex eodẽ illo antiquorũ ſtudiorũ curriculo vindicare. Nã omnino, ſi cauſa vlla eſt, Auditores, quæ noſtros conatus queat impedire, eã ꝓfectò vel ab ingeniorũ noſtrorũ imbecillitate, vel certe ab rerũ cognoſcẽdarũ multitudine proficiſci exiſtimãdũ eſt. Quibus tamẽ ex rebus tantũ abeſt, vt vlla nobis impedimenta poſſint parari, vt omnino nulla ineptior oratio ſit, quàm eorum, qui hac ratione vtantur. Nã, vt de ingenijs primũ dicã, quorũ hebetatam aciem eſſe ab ipſa quaſi defatigata natura quidã queruntur, quid eſt tandem cauſsæ, cur natura hoc tempore tardiora, quàm olim, humana ferat ingenia, quæ in omnibus ſuis rebus obeundis admirabilem conſtantiam, & incredibilẽ quandam æquabilitatem immutabili prorſus æternitate tueri ſolita ſit? Equidem, cum nunc & cœlum pariter naturali ſe conuerſione contorqueat, & terra, ſuis librata ponderibus, immota natura iaceat, cum ſol, & aſtra nunc etiam terras clariſſima, vt ante, luce colluſtrent, cúmq; item cetera, quæ longe maxima ſunt, eodem, quo ante, modo à natura gignantur: ſatis intelligere nõ poſsum, cur homines aut ad inueniendum hebetiores, aut ad intelligendum tardiores natura hoc tempore, quàm antea, procrearit. fallitur enim, ſi quis & ingeniorum, & agro-

rum eandem eſſe rationem putat. agrorum virtus aut cæli temperatione commutatur, aut temporis diuturnitate minuitur: ingeniorum vires nulla prorſus ratione, niſi forte ſocordia, franguntur. Teſtis ipſa Græcia eſſe poteſt, in qua cum olim ita omnium bonarũ artium ſtudia floruerint, vt hæc vna in terris gẽs omnis humanitatis, atque doctrinæ iure ſibi gloriam aſciuerit, ita nunc demum, funeſto quodam illius quaſi prouinciæ fato, iacent, vt eadem nulla antiquæ monumenta laudis, & veteris inſignia dignitatis agnoſcat. Quid ita? profecto, non quòd apud illos ingenium, ſed quòd in ingeniis induſtria conſenuerit. Vt enim fœcundiſſimus ager, niſi quotidiana exerceatur cultione, ſilueſcit: ſic optima ingenia, niſi perpetua exercitatione excolantur, exareſcant penitus, neceſſe eſt. Quòd ſi eiſdem viribus eorum, qui nunc ſunt, atque illorum, qui ante vixerunt, ingenia ſuſtinentur: iam nunc intelligere poſſumus, quantum nobis momentum ad gloriæ commendationem acceſſerit ex iis, quæ ſunt excellentiſſimis ſuperiorum hominum ingeniis innumerabilium iam prope ſæculorum memoria comparata. Quæ ſunt eiuſmodi, vt non optimam modo confirmare, ſed deterrimam quoque plane excitare naturam poſſint. Neque enim, vt aliarum rerum omnium; ſic ingeniorum

rum quoque grauem obrepere ſenectutem exiſtimandum eſt, quippe quæ firmiſſimo ac prope immortali quodã quaſi naturæ robore ſepiantur. Nam, ni ita eſſet, quis eſt, qui nõ intelligat, aut primis, aut ſecundis ipſa confici ſæculis debuiſſe? nunc vero, cum ea vi prædita ſint, vt, quo diutius viuant, eo vehementius vigeant, & quod de fama dixit poëta ſummus, progrediendo quaſi vires acquirant: quid eſt, quòd de eorum imbecillitate dubitandum magis hoc tempore ſit, quàm poſt Platonis, & Ariſtotelis, & eorum æqualium tempora dubitatum ſit? quorum tanta extitiſſe in omni diſciplinarum genere laus creditur, vt non priores ſolum omnes ſuperaſſe, ſed poſteris etiam omnibus ſpem aut melioris ſententiæ, aut ornatioris niſi ſint prope in perpetuum ademiſſe? itaque, vt ipſi plurimos, qui proxime ad eadem ſe ſtudia contulerunt, incredibili ſua laude nequaquam retardare potuerunt: item hoc tempore aut illorum, aut horum ingenii magnitudo permouere neminem debet, quo minus, ſi ita ferat animus, ea ſtudia perſequatur, in quibus illi maxima cum laude, & ſumma omnium ſæculorum aſſenſione verſati ſint. Neque enim, mihi credite, rerum ipſarum aut euoluta ſatis, aut prompta veritas eſt, ſed obſcuro, & inexplicabili quodam quaſi inuolucro implicata,

plicata; &:vt nobiles quidam philoſophi tradiderunt, in profundo ita demerſa: vt nec vnius labore, neque vnius ætate: ſed plurimorum hominũ induſtria, & multorum ſæculorum ſpatio videatur eruenda. Quàm multa enim ſunt, quæ non dico Ariſtotelem, aut Platonem, aut qui ambos ætate anteceſſit: Socratem, ſed eos quoque omnes: qui aut proximo, aut longo ſubſecuti ſunt interuallo, etiam quærentes latuerunt, vltro autem ſeſe noſtris aut patribus, aut maioribus prodiderunt? Nam & cæleſtium orbium numerus, & ſtellarum errantium motus multo profecto certius ab his, quàm ab illis, & inueſtigatus, & traditus: & terræ ipſius remotiſſimæ, ac penitus abditæ partes, quò non ſolum non penetrauit antiquitas, ſed ne adiri quidem poſſe, natura ipſa repugnante, exiſtimauit, & maximo conſilio ſunt, & præſtanti animi magnitudine peragratæ. Iam vero & ad alieniſſimas, ac maxime longinquas nationes vel vſus, vel victoriæ cauſſa non modo comparata eſt nauigatio melior, ſed & res ipſa militaris, ac bellica nouo quodam: & ante inaudito tormentorum genere reddita eſt inſtructior. Rempublicam vero, & populi libertatem, quam cum alij ante multi: tum maxime Romani ſummo conſilio tractaſſe, ac defendiſſe ſemper videntur, nunc multo cer-

te prudentius patres veſtri & gerunt, & tuentur. itaque vt illi bellicis fortaſſe artibus, ſic hi domeſticis, vt illi imperij magnitudine, ſic hi diuturnitate iure gloriantur. ſiquidem inde vel cũ hoſtibus, vel inter ciues perpetuo dimicatum, hinc optatiſſimæ pacis fructus domi, foriſque partæ quotidie percipiuntur vberrimi. inde pauca quædam grauioris dominatus luſtra, hinc iuſtioris imperij infinita iam prope ſæcula numerantur. omitto ſitus vrbis huius inauditã ante opportunitatẽ: quã eſſe tantã conſtat, vt hæc vna in terris ciuitas ad imperium, ad decus, ad æternitatem condita videatur, prætera admirabilem tot magiſtratuum rationem, incredibilem in iudicijs æquitatem, maximam omnium rerum inter ciues æquabilitatẽ, cæteraſque omnes huius præſtantiſſimæ Reip. partes non ſolum inter ſe, ſed etiam cum optimo, ac perfectiſſimo ciuitatis genere pulcherrimè congruentes. Nimirum hanc vrbis ſpeciem, hanc ciuitatis prçſtantiam veteres illi optimi viri, atque omnium ſine dubio prudentiſſimi animo finxerunt potius quàm aut viderunt vnquam, aut audierunt, aut omnino futuram vllã aliquando in tam corruptis hominum moribus ſperare vlla ratione potuerunt. Quæ ſi perſpicua ſunt, ſimul illud perſpicuum eſſe quis non videt, non ſolum eandem nobis: quç veteribus,

aciem ingeniorum manere,ſed;ſi exercitatione acuatur,multo etiam præſtantiorem futurã. Nam quòd rerum,ſcriptorumque quibus in dies magis obruantur,multitudine perterreri ſe quidam dicunt , id eſt eiuſmodi , vt nimia potius eorũ penuria deplorãda,quàm nõ neceſſaria copia exagitãda ſit. Et enim qua re alia,dij immortales,in tantas his temporibus optimarum artium redacti ſumus anguſtias, quàm , quòd ad eas cognoſcendas prope innumerabilibus ſumus præſidijs ,quibus ſuperiora abundarunt ſæcula , deſtituti ? Vbi enim philoſophi ſunt illi , qui & ante , & poſt Platonis tempora cum naturæ,tum morum rationem diligentiſſime inueſtigarunt ? quorũ tam magnus extitiſſe numerus traditur , vt, quemadmodum milites in cohortes,ſic illi in diuerſarum ſectarum quaſi quaſdam acies ſecernerentur?Vbi tot oratores , tot poëtæ , tot iuris,legumque conſulti?Vbi tot rerum geſtarum,atque annalium , & hiſtoriarũ ſcriptores ornatiſſimi , qui clariſſimorum regum,& potentiſſimorum populorum facta Græcis , & Latinis litteris conſignarunt? Vbi denique reliquarum artium inuentores prope infiniti? O C. Plini : maiorem appello. Tu , qui nobis monumentum illud vnum induſtriæ tuæ pro tot illis antiquorum millibus tradidiſti, doce quanta tu,patresque tui veterũ teſtimonio-

niorum copia abundaueris,quanta nos,ęqualeſque noſtri eorũdẽ inopia vrgeamur.Idéque hunc illis errorem eripe, qui nimis magna ſe eorum vbertate diffluere arbitrantur, non intelligentes, quàm fœde omnia aut inimicæ vetuſtatis iniuria labefecerit, aut imperitorum ſæculorum incuria deformarit. Quæ cum ita ſint,ſane efficitur,vt,quemadmodum non nullarum recentium rerum, quę ſcientia comprehendendę ſunt, paruo neſcio quo labore torquemur,ſic cõntra plurimarum veterum,quarum obſoletam iam nimia antiquitate cognitionem prope in perpetuum deplorauimus,grauiſſima cura leuati ſimus,ita vt,quę antiquiſſimis hominibus olim prope noua videbantur,ea nobis pro vetuſtiſſimis hoc tempore habeantur.Nã,quod duab.linguis,ijsque alienis,intolerabili prope cum labore percipiendis commoueri ſe alij dicunt, ſtultiſſimum illud dare documentum videntur,vt, qui nobis,poſt tot acceptas à barbaris clades,ĩcredibili deorum benignitate amiſſarum quaſi quidam theſauri artiũ cõmonſtrati ſint, eos aut negligamus,aut,quo nihil eſſe fœdius poteſt, ab alienis hominibus occupari,ac poſſideri,ęquo animo patiamur.quaſi vero hoc & nouũ, & nunquam antea factitatum ſit,vt,quę domi noſtræ nõ haberemus,ea,ſi vſus ferret,aliunde ſumeremus.Niſi forte Græcos ipſos,maxi-

marum diſciplinarum gloria celeberrimos;aut Indorum,aut Ægyptiorum,aut Phœnicũ præclara quondam decreta approbaſſe,voces autem,quib.ea tradebantur , odiſſe : aut ſibi notas eſſe noluiſſe arbitramur. Equidem cum in antiqua monumenta intueor , alienis linguis adeo veteres ſtuduiſſe video , vt non ſolũ bellicoſiſſimus,& potentiſſimus rex Ponti Mithidates duorum & viginti populorum , quibus iura dabat, linguas perdidicerit, ſed Romani etiam aliquot hoſtilem Pœnorum linguam, quòd ea neſcio quid ſcriptum forte non inſulſe erat,haud prorſus ſibi eſſe contemnendam putarint. Quæ ſi vobis argumenta hominum imperitorum,atque ignauorum probantur,aſſentimini,Auditores , & præclara diſciplinarũ genera veterum linguarum deſperatione deſerite.Sin autem vere optimarum artium ſtudijs nihil eſſe praeſtantius ducitis:quid eſt,cur alienarũ cognitionem linguarum , quas nulla vnquam repudiauit antiquitas,omnis ſemper eſt amplexa humanitas,detrectetis?aut cur vel Græcorũ magis hoc tẽpore , quàm illi quondam Ægyptiorum,vel Latinorum potius,quã illi Graecorum,voces negligatis ?Itane vero? M. Cato,homo Romanus , Græcas litteras, quas ante perpetuo faſtidierat,vltima iã ſenectute auidiſſime deuorauit:vos,patrũ veſtrorũ tãta auctoritate neglecta,eas ætate florentiſſima

me reſpuetis? multi Græci, non pauci Barbari Romanarum quondam litterarum cauſſa maria etiam tranſmiſerunt: vos, germana Romanorũ progenies, Romana monumenta domi veſtrę reijcietis? omnes ciuitates, omnes populi, omnes denique omnium terrarum gentes, modo aliqua ſint humanitate imbutę, nõ modo ſcholas, ſed etiam fora, templa, cœtus, congreſſus Græcis aut Latinis circumſonare vocibus, honeſtiſſimum, atque grauiſſimum eſſe cenſent: vos, in ea ciuitate nati, quæ ampliſſimũ omnis ſemper humanitatis, atque doctrinæ domiciliũ fuit, aures veſtras, ne eas audiant, vllo labore, aut vlla deſperatione claudetis? O fallaces & inanes eorum cogitationes, qui hanc vrbem in eam ſpem condiderunt, vt Romanã rempub. quæ tũ funditus erat euerſa, ſi non amplitudine imperij, at certe liberalium artium ſtudijs, quæ tum toto terrarum orbe pulſæ iacebant, vel æquaret, vel etiã vinceret. Eone conſilio hanc iuuentutem tot in ſæcula propagarũt, quę ingenijs prædita ſingularibus, artes eas, quas maiores ſui etiã ciuitate donaſſent, ſpretas excedere ciuitate, ingeniorum diffidentia, ſineret? ſiquidem aut rectiſſimam quanque artem tollatis, Auditores, oportet, aut linguas, quibus illæ proditæ ſunt, omnino cõſeruetis. Quòd ſi ſine illis nec ſatis communis vita conſtare, nec moderatio in ciuitate

uitate manere, nec omnino vlla haberi ratio humanitatis poteſt: profectò & hæc, quæ tantorum bonorum ampliſſima quaſi quędam ſeminaria ſunt, fouere diligentiſſime opus eſt. Nam ſi ea loca, in quibus aut aurum, aut æs, aut argentum effodiuntur, quibus humana libido turpiſſime plerunque abutitur tanta diligentia obuallantur: quanto nobis ſtudioſius ſecreta nobiliſſimarum artium quaſi latibula retinenda ſunt, quibus ampliſſimis præmiis accedimur ad memoriam gloriæ ſempiternam? Neque enim audiendi ſunt illi, qui exigua nimium ſe mercede ad tãtos labores prædicant inuitari. Sunt enim iis, qui in libera ciuitate vixerint, ſatis ampla, qui liberam ciuitatem adminiſtrauerint, ampliſſima propoſita præmia, quæ partim maximorum in honorum adeptione, partim in egregia & præſentium, & futurorum hominum opinione, partim moderata fortunarum in amplificatione, qui quanquam leuiſſimus fructus eſt, vulgari tamen æſtimatione longe omnium grauiſſimus habetur, ſita eſſe ducuntur. Quamobrem cum & res, quæ cognoſcendæ ſunt, paucæ, & vires ingeniorum validiſſimæ, & præmia ad excitandos animos ampliſsima ſint, nolite diffidere, Auditores, veterũ etiam laudem eorum, quos tantopere admiramur, quamcumque ad artem animum adiũxeritis, aut facile æquaturos, aut

quæ

quæ finitima gloria eſt,ad eam proxime acceſ-ſuros. Quod ipſum etſi futurũ nullo vnquam tempore deſperaui: tamen auget nunc multo etiam magis ſpem meã perſpecta mihi virtus & induſtria veſtra ſingularis. Me certe cum mea perpetua erga iſtum ordinem ſingularis voluntas,tum hodiernus iſte veſter in hũc locum,quaſi ad priſtinam eloquentiæ poſſeſsionem recuperandam, incredibilis concurſus ita ad hãc cauſſam inflammat,vt me dies,noctéſque nihil aliud, quàm de veſtris commodis, cogitaturum eſſe profitear. Ecquæ enim cauſſa eſt,cur non perpetuo pro iſtius vtilitate cõfeſſus laborem?cũ & ipſe ab hoc fonte ad non nullam hominum famã profluxerim, & meus quotidianus hic labor ad aliquam hominum exiſtimationem, iſtorum commẽdatione ſubſelliorum,paulo latius dimanauerit? Quámobrem vigilabo quidem mea ſponte(vt dixi)pro vobis libenter, at multo certe etiã libentius,q̃ intelligo me à vobis ita audiri,vt maxima pars veſtræ audiendo laudis ad aliquam mei etiam nominis celebritatem attineat:vt,quantum in vos vtilitatis ex meo labore, tantumdem in me laudis ex attentatione veſtra redundet.

Venetiis habita. M.D.LIII.

CAROLI SIGONII
PRO ELOQVENTIA
ORATIO TERTIA.

SI QVANTVM animi in quibuſdam hominibus eſt hoc tempore, Auditores, ad præclara iuuentutis ingenia retardanda, atque omnino ad honeſtiſſima linguarum ſtudia reprobanda, tantum in me ingenij ad eadem excitanda, atque ornanda reperiretur: profectò & ipſe iampridem ſatis veſtras mentes ad ampliſſima litterarum præmia inflammaſsem, & hæc ſtudia ab indigna illorũ criminatione me non incommode hodierno die eſse defenſurũ confiderem. Etenim, cum duo ſint hominum genera, à quibus potiſſimũ honeſtiſſimus iſte veſter ad laudem curſus impediatur, vnum eorum, qui vniuerſo litterarum generi, alterum, qui rectiſſimæ huic linguarum rationi præcipue ſe inimicos eſse præſeferant, cúmq; priore anno vehementius eorum opinionem increbuiſse animaduerterem, qui dicerent, non eſse cur hoc tempore doctrinæ ſtudia tractaremus, quòd ad veterum illorum, quos imitaremur, gloriam aſpirare non liceret, tum toto eo de genere illa dixi quæ ſententiam eorũ, ni perti-

nacius, quàm ſapientius agerent, facile poſſe frangere viderentur. Nunc vero, cum præclarum hoc linguarum ſtudium ab alteris intelligam tum vt parum neceſſarium, tũ vt nimis leue contemni, ac derideri: tanto mihi alacrius eiuſmodi defenſionem ſuſcipiendam exiſtimo: quanto nos propius horum, quàm illorũ, accuſatio petit. Neque vero, ſi in nos à rudib. quibuſdam, atque indoctis hominibus impetus fieret, ſummopere mihi de conatibus eorum repellendis, ac vindicandis eſſe contendendum putarem. Verum, cùm intelligam, vt quiſque vehementiſſime in rerum cognoſcendarum ſtudio elaborat, ita maxime noſtrã hãc quaſi verborum, vt illi vocant, diſciplinam illudere, ſuaq; auctoritate, quę magna eſt, imbecillos multorum animos à rectiſſima ſtudiorũ ratione deducere: facere nõ poſſum, quin: ſollemni præſertim hoc die, quem vnum ex omnibus pulcherrimum incredibilis veſtra frequentia mihi reddit, atque in tanto litteratiſſimorum hominum concurſu paucis iniuſtę illorum accuſationi reſpondeam. Quos tamen ita ſentientes homines vt gratulor in hac ampliſſima vrbe reperiri nullos: ſic, quando iam reliquam Italiam hæc opinio peruagatur, ea ne, tanquam peſtilentia continenti vulgata tabe, hanc demũ etiam puriſſimã ciuitatem inuadat, mihi in primis, cui publice tuendæ elo-

quentiæ

quentiæ negotium datũ eſt,exiſtimo prouidẽ dum.Sed quoniam,vt dixi,acrius illi,ac vehementius agunt,quàm vt nos ornate,ac copioſe,pro tantæ rei magnitudine,reſpondere poſſimus:veſtræ erit humanitatis,atq; prudẽtiæ, quæ pro vobis in officio retinendis veriſſime diſputabimus,ea benigno,atque attẽto animo audientes,falſis illorũ reiectis criminibus,ſingulari veſtro potiſſimum ſtudio comprobarę. Magna igitur,ac moleſta admodũ mihi cauſſa ſuſcepta eſt, Auditores, quippe quæ non maiorem ingenij facultatem requirat, quàm animi dolorem acriorem eliciat. Neque enim facere poſſum,cum vehementius in hanc totam linguarum quæſtionem intueor,quin funeſtum earum, ac miſerabile quoddam quaſi fatum deplorem, quibus interneciuum video bellum ab indiſertis hominibus prope in perpetuum eſſe indictum. Taceo cladem illam, quam ipſæ ingentem maiorem noſtrorũ memoria ab indoctis, & rudib. illis ſæculis acceperunt: quã iccirco leuius quoddã modo ferendam illis eſſe cenſeo,quòd ea ab reliquarũ omnium artium pernicie incredibili nulla ratione ſeiungi potuit. Verum illud queror,cum reliquæ diſciplinæ omnes hoc tempore,ſingulari quodam deorũ munere,ex diuturna quaſi iactatione conquieſcant, hoc vnum linguarũ ſtudium quorundam hominum pertinacia,ne

priſtinum

priſtinum dignitatis ſplendorem recuperet, impediri. Quod eò mihi eſſe videtur indignius, quòd & per eos ſtetit, quo minus eximia reliquarum artiũ monumenta, paulo ante pernicioſo barbarorum impetu labefactata, conciderent, & ab ijs oppugnantur, à quibus merito præſidij aliquid expectare debebant. Nam, ſi qui huic ſtudio iniqui ſunt hoc tempore, atque infeſti, ex eorum ſunt potiſſimum numero, qui ſe philoſophiæ ſtudio dediderunt. quorum eam fere rationem eſſe, poſſis animaduertere, vt nobiliſſima, puriſſimaq́. veterum philoſophorum decreta aut deformato, inquinatoq́. Latino ſermone explicent, aut, ſi qui paulo, quàm ipſi, emendatius, atque ornatius ea tractent, eos leues homines, & parum, quid maieſtati philoſophiæ conueniat, attendentes appellent. Qua in re illud primum mihi pergraue videtur, quòd orbem ipſum doctrinarum, quas mirifico quodã inter ſe vinculo iunctas eſſe accepimus, diſſoluere, ac reuellere, linguarum vituperatione, conantur: deinde, quod ea deſpiciunt, quæ omnium hominum conſenſu firmiſſima ſunt quaſi omnium diſciplinarum, atque artium fundamenta, quaſi vero aut ars vlla ſine ope alterius probe intelligi, aut doctrina aliqua poſſit ſine linguarum potiſſimum notitia comprehendi. Ac apud veteres quidem quanta diligentia, ac prope religione:

gione hæc ipſa bonarum artium ſocietas,atque cognatio culta ſit, hinc intelligi poteſt, quòd neminem in vna excellere arte,qui non omnes attigiſſet, poſſe opinati ſunt: adeo vt non philoſophis ſolum cognita eſſe oportere omnia,ſed ne artifices quidem humiliores ſine philoſophia, id eſt ſine vniuerſa quadam omnium diſciplinarum ſcientia, rectè in ſuo munere verſari poſſe exiſtimarent. Quæ concordia ſi cui tuenda eſt, eis in primis merito videtur tuenda eſſe,qui ſe omnium ſtudioſiſſimos eſſe ſapientiæ profitentur. quod quemadmodum aſſequi ſine ſingulari quadam linguarum intelligentia poſſint, profectò ne ipſi quidem credo facile demonſtrabunt. Nam ſi, quod quiſque ſentit, id ipſum quale ſit, niſi verbis enuntietur,apparere non poteſt, & ſi omnino noſtræ mentis eſt interpres oratio:iā illud perſpici aperte poteſt, ſi, quæ quiſque acute inuenit, ea alijs tradere, vel alienæ vtilitatis,vel ſuæ oſtentationis gratia,velit,ne hæc quidem eſſe, quibus illa quaſi contineri videntur, ornandæ, ac quodam modo faciendæ orationis ſtudia negligenda. vt enim nobiles architecti in conſtruēda præclara domo non parietum magis, aut culminis rationem habent, quàm fundamenti:ſic nec egregijs philoſophis eximia potius ſapientiæ præcepta nota eſſe oportere, quàm verborum

quibus

quibus illa quodam modo ſuſtinentur, ſubſidia, ſtatuendum eſt. Quam rationem veteres certe philoſophi, qui ſoli hoc grauiſſimo nomine digni fuiſſe videntur, ſtudioſiſſime obſeruarunt. Nam Theophraſtum quidem, & Ariſtotelem adeo floruiſſe dicendo accepimus, vt ille diuinitate loquendi nomen inuenerit, & hic etiam aureũ flumen orationis fudiſſe ſit exiſtimatus. Nam quid de Xenophonte dicam, atque Platone? quorum alterius voce Muſas quaſi locutas ferunt, alterius, Iouem ipſum, ſi græce locutus eſſet, locuturum fuiſſe? Complectar vno verbo. Nemo fere ex veteribus illis philoſophis, à quibus, tanquam ab vberrimis quibuſdam fontibus, omnis ad nos philoſophiç cognitio emanauit, bonus intelligendi magiſter fuit, qui non idem etiã dicendi grauiſſimus auctor extiterit. Cur autem non ſit? quia verborum, inquiunt, leuiſſimum ſtudium eſt. acute. an vero cuiquam vnquam leue videri illud demum ſtudium debet, in quo ſummi philoſophorum principes, Plato, & Ariſtoteles, tantopere vigilarunt? Duæ ſunt enim huius quaſi doctrinæ partes, vna, quæ poëtam, altera, quæ oratorem informat. has ambas adeo accurate, atque eleganter ij, quos paulo ante commemoraui, commentarijs etiam editis pertractarunt, vt, quod his artibus præſidij adſit, ac

dignitatis, id omne iure acceptum duobus illis maximis teferatur auctoribus. Quódque præſtans illorum de grauitate horũ ſtudiorum apertius demonſtrare iudicium poteſt, Ariſtoteles ipſe ad ea, quæ tam præclare de dicendi artificio ſcripſit, non pulcherrimi ſui ſtudij contentus gloria, Iſocratis rhetoris laude incenſus acceſſit. immo vero, cum florere eum nobilitate diſcipulorum videret, & ipſe rhetoricam docere, & ludum habere voluit, cum diceret, indecorum eſſe ſe tacere, Iſócratem loqui. Quanquam quid aut oratorũ artem potiſſimum nominem, aut poëtarum? quam, vel vſus, vel doctrinæ ratione optabilẽ, nemo vnquam, in Græcia præſertim, harum omnium diſciplinarum parente, atque altrice, contempſit? Quid? Romæ, vbi quondam propter perpetua militiæ ſtudia, nulla ex græcis artibus in pretio fuit, quippe qua ex vrbe philoſophi, ac rhetores omnes acerbiſſimo etiam decreto aliquando ſint exacti, nõne eius etiã artis præcepta, quæ non ornare, ſed emendate loquendi principia continet, Varroq; & Cæſar ſummo ſtudio tradiderunt? at qui viri? ij, quorum alter ſummarum diſciplinarum cognitione Romanos ante ſe omnes, alter rerum geſtarum magnitudine omnes ex omni memoria homines ſine cõtrouerſia vicit. Ergo veteres illi nõ ſolum de philoſophia ornate ſcripſerunt, ſed.

ſed rationem etiam ornate dicendi aliis tradiderunt: nos nō ſolum impure de noſtris ipſorū ſtudiis diſputabimus,ſed,ſi qui paulo caſtius loqui ſtuduerint,eos leues , & contemnendos homines eſſe ducemus? illi in maxima aut ſcientiæ,aut imperij gloria ne grāmaticæ quidē artis tractationem ſibi indecoram eſſe duxerunt ,nos neminem , niſi qui præcepta prorſus omnia grammaticorum contempſerit, repudiabimus ? Hæc igitur quondam principium philoſophorum , atque ſummorum virorum ratio fuit, quam neſcio cur noſtri non hoc tēpore imitentur;vt ipſi ſecum, quantum profiterentur.quotidie cogitarent, cumq́. ſe rationem intelligendi profiteri adnimaduerterent, ne loquendi quidem artem à ſua cognitione alienam eſſe arbitrarentur. Quamobrem non tam quid ſentirent,aut agerent , quàm quemadmodum ea dicerent, quærebant : neque rerum ſolum , ſed etiam verborum à ſe exempla peti oportere cenſebant : neque in hoc ſtudio tantum , quia neceſſarium , verum etiam quia graue , & honeſtum ducebant , diligentiſſime verſabantur. Oſtendi , hanc quaſi verborum ſcientiam,quā ſolam oratoribus, atque poetis propoſitam eſſe iſti putant,plurimum in ſe habere & neceſſitatis,& dignitatis quid , ſi , eoſdem illos non verborum magis eſſe,quàm rerum indagatores , atque artifices,probem? Et-

enim poteſt aut res exprimi ſine verbis, aut oratione quidquam, niſi res aliqua, demonſtrari? Quid autem vel oratores oratione, vel poëtæ verſibus ſuis aliud complectuntur, quàm quæ præſtantiſſimis philoſophorũ libris cõtinẽtur, atque præceptis? Dicã primũ de poëtis, quorũ quibuſdã difficilior fortaſſe ratio eſſe videatur. Poëtarũ igitur dico recõditã quandã eſſe doctrinã, eãdémque ex ipſius philoſophiæ penetralibus eſſe deprõptam. Atque hoc quidẽ vnuſquiſque, qui nobiliũ præſertim poëtarũ ſcripta paulo accuratius legerit, facile cõprobabit. Etenĩ quis eſt in philoſophia locus, ſiue de naturæ primordiis quæras, ſiue de rerũ cæleſtiũ cauſſis iisq; quæ fiũt in aere, perturbationibus, ſiue de natura animorũ, ſiue de rebus expetẽdis, & fugiẽdis, ſiue de ratiõe rerũ pub. quis eſt, inquam, locus in philoſophia eiuſmodi à bonis poëtis vnquam prętermiſſus? Quod vero multo maiorẽ habet admirationẽ, hi, non quid vnus, aut alter eiuſmodi de rebus ſẽſerit, tenẽt, ſed omnes omniũ ſentẽtias habẽt notas, neq; perpetuo, vt illi, opinionẽ vnã, ſed modo hãc, modo illã pro libertate artis tuẽtur. putãt enim eo admirabiliorẽ ſuã ſcriptionẽ fore, quo pluribus eã, iisq; inter ſe diſſimilioribus, ſapiẽtũ ſentẽtiis, quaſi diſſimiliũ quorũdã pigmẽtorũ varietate, diſtinxerint. Iã vero, quãti illud faciendũ videtur, quòd in ſcribẽdo poëtæ

non

nõ veterũ magis decreta philoſophorũ ſequi ſolẽt,quã ipſi ratione vti philoſophorũ? quid eſt enim tã philoſophi, quã eximiã quãdã virtutis ſpeciẽ,quã ipſi ideã appellãt, poſſe exprimere? at poëtas non ſemper animaduertas res tales,quales ſint,fuerintve, effingere,ſed plerũque à rei varietate recedẽtes,aut famã ſecutos hominũ eas eiuſmodi ſimulare,quales popularis oratio celebrarit,aut certe,perfectionẽ quãdã virtutis exquirentes,quales oporteat,oportueritve,cõfingere,eoſdẽq; nõ in ſingulorũ virtutib. exponẽdis, ſed fere vniuerſo virtutis genere,& natura deſcribẽda,philoſophorum more verſari. Quãobrẽ iure Ariſtoteles poetas omnino philoſophis eſſe ſimiles affirmauit. Puderet me,ire maxime ſeria id,ꝙ dictur⁹ sũ,dicere, niſi huius dicti,grauiſſimũ omniũ philoſophorũ,Platonẽ auctorẽ haberẽ. Tãta,ac tã admirabilis poëtarũ doctrina eſt,vt eã nõ ex humano, ſed ex diuino emitti pectore ãtiquitas arbitrata ſit. ſiquidẽ,poëtas Apollinis,Muſarũq; afflatu verſus fundere,& à Muſarũ etiã hortis quibuſdã,ac ſiluis carmina ad nós afferre, traditũ eſt: neq; vero ante efficere quidquã poëtã poſſe,quã diuino quodã inſtinctu cõcitatus ſit & è ſua ſede mẽs pulſa, atq; dimota: Deũ autẽ,eorũ mẽte elata,iis miniſtris ꝓpterea vti, & vatibus,vtnos,q audim⁹,intelligam⁹,nõ eos eſſe,ꝙ illa tã præclara dicãt,qui mẽte careãt, ſed Deũ

eſſe,qui loquatur.Dixi de poëtis,nunc de oratoribus eſt dicendū. quorū ſcripta ſi quis propius inſpexerit,ea nō magis ex rhetorū,aut grãmaticorum ſcholis,quàm ex eruditiſſimis dialecticorum, & philoſophorum ſpatiis prodiiſſe fatebitur,quippe quorū præceptis informatos, atq;imbutos eos ad dicēdū venire oportere,Ariſtoteles etiam prudentiſſime,veriſsimeq́. cēſuerit. Atque hoc quidem ſtudium cum in communi vitæ vſu, tum maxime in gerenda repub.& humana ſocietate concilianda quantum valeat,illud eſſe argumento poteſt, quòd quæ homines vi ſæpe facere recuſarunt,ea prudentis oratione viri deliniti facile, ac libenter fecerunt. præclare. eloquentiam enim quoddam quaſi regendæ ciuitatis inſtrumentum eſſe, veteres, prudentiſſimi homines, crediderunt: vt, quemadmodum nauis non à gubernatore ſolum, ſed etiam à clauo, & equus non ab equite tantum, ſed etiam à fræno regeretur: ſic nec reſpublica prudentia magis, quàm eloquentia magiſtratuum adminiſtraretur. Itaque ſcite Homerus magnos illos reges, & vt ipſe inquit, Iouis ſatu genitos, non magis imperio, quo plurimum valebant, quàm oratione populos ſibi dicto audientes reddidiſſe, nec ſtudioſius Iouem, conſilij parentem, quàm Muſas, eloquentiæ matres, veneratos eſſe inducit. Quòd ſi hoc à regibus fa-

factum eſt, quibus æterna prope conceſſa eſt ad imperandum,& cogendum poteſtas: quanto à magiſtratu ipſo, qui paulo poſt priuatus futurus eſt, obſeruari diligentius debet, ne multitudinis animos,quò velit, aliqua imperij vi,ſed ſolis blanditiis orationis adducat? Eſt autem ita comparatum, vt quemadmodum homo conſtat ex animo, & corpore, atque is quidem imperat, hoc vero paret, ſic & mentem, & linguam ciuitatem adminiſtrandam adhibeamus:atque,vt gubernatoribus nauium imperantibus præſto ſunt,qui mandata excipiant,atque aliis tradant, ſic reipublicæ procurator mentem quidem, quæ imperet, habeat, linguam autem quæ imperata accipiat, atque ad alios deferat. Quamobrem, ſi menti lingua obtemperat,& ad occulta eius ſenſa promenda,quod ei munus natura tribuit,parata ſedet: quid intereſſe inter eorum,qui mentem, & qui linguam excolunt, ſtudium poteſt? aut quis eſt tam ignarus rerum,qui non intelligat, materiam vtrique eſſe ſubiectam re eandem, ratione diſſimilem? quod cum ſapientiſſimus olim poeta quidam intelligeret, propterea recte, quòd tres linguas teneret,tria ſe corda habere gloriabatur. vt enim palatus ſine corde ſapere non poteſt: ſic nec lingua, niſi quod in intimis cordis ſedibus ſit, poteſt efferre. Quæ cum ita ſint: quis eſt,qui hæc ſtudia aut ſuper-

uacanea, aut leuia, aut plena verborum, inania prudentiæ) ducat, niſi qui, quod ipſe eſſequi vel propter ingenii tarditatem, vel ob laboris magnitudinem poſſe diffidit, id in alio damnandum eſſe exiſtimet? neque vero hoc mihi videor, Auditores, temere ſentire. noui enim eorum, qui hæc iactant, induſtriam, atque doctrinam. Etenim, cum & ipſe ab ineunte ætate publicis in gymnaſiis aſsidue philoſophiæ cauſa verſaret, vt cum eiuſmodi hominibus vna eſſem quotidie. me autem domeſticus vſus, & communis vitæ coniunctio docuit, eorum quibus inprimis hæc ſtudia ſorderent, doctrinam eſſe exiguam, infantiam ſingularē: pauca enim eos quædam Peripateticorum decreta tenere, eaq; tanquam religioſiſſima, atque ſanctiſſima cuſtodire: tribus, aut ſummũ quatuor iam peruagatis reſponſionum generibus omnibus, quæ in naturæ cognitione propoſitæ eſſent, quęſtionibus occurrere ſolere: has autem non Græco ſermone explicare, de quo nihil niſi fama accepiſſent, non Latino, quem irriderent, ſed nouo quodam, & ante inaudito loquendi genere, de quo ne inter omnes quidem eos conueniret, cum ſuorum ſibi quiſque non verborum, ſed portentorum faber, atque opifex eſſet, exponere: reliquarum artium omnium, quæ ad humanitatem pertinēt, eos plane expertes, ac rudes eſſe:

hac

hac illos ratione ſibi philoſophi nomen arrogare,& ſe, tanquam Peripateticos, venditare, ex diuturna,vt dixi,eorum conſuetudine iampridem animaduerti. Quos quidem ſi non iudicio, ſed deſperatione ad hanc ſententiam, tanquam ad ſcopulum ab æſtu, & tempeſtate, adductos eſſe dicam, quòd duarum linguarum cognitionem, & magnitudinem exhorruerint,quòd maximos orationis illuſtrandæ labores pertimuerint. quis eſt, qui me iure poſſit reprehendere? præſertim vero cum ea ſtudia, quæ à ſe aucta, & ornata magiſter eorum voluit Ariſtoteles, ipſi ſibi vituperanda,atque damnanda ſuſceperint? O corruptos huius noſtri ſæculi mores, & penitus deprauatam veterem diſciplinam. philoſophi quondam etiam nobiliſſimi magiſtros dicendi ſtudioſe audiebant: (ſiquidem Hermogeni Muſonium diligentiſſime operam dediſſe proditum eſt) nunc rhetores à philoſophis vel infantiſſimis irridentur. illi ſibi dedecori eſſe ducebant, niſi ornate,quæ ſentirent, eloquerentur:hi ſibi vitio tribuunt, niſi omnia impure, & deprauate loquantur. illi ſuo exemplo iuuentutem ad mentem, & linguam excolendam, & quodammodo ſubigendam, quoad poterant,impellebant: hi perpetua linguarum excogitatione] à ſumma gloria ciuitatum ſtudia deterrere conantur. quamquam, vt dixi,

gra

gratulor, tã pernicioſa opinione nondũ huius ciuitatis animos eſſe imbutos. viget enim, &, vt ſpero, in perpetuum vigebit in hac ciuitate antiquæ diſciplinæ ratio: & , quem in optima quaque hactenus ſemper habuit, eundem in hac rep. habebit locum eloquentia. Sed, ne in aperta vndique vrbe eiuſmodi opinioni aditus eſſe poſſet, nolui, à quibus vobis cauendum eſſet, ante denuntiare, ac potius nimis vobis cautus in re fortaſſe non admodum neceſſaria iudicari, quàm parum veſtræ vtilitatis, & laudis ſtudioſus examinari. tantum enim abeſt, vt eos, qui non verbo tenus, ſed re ipſa, & veritate doctrinæ philoſophi ſunt, vlla ratione contemnam, vt ipſe eorum, qui illos non admirantur, ſed prope venerantur, appetam principatum. Itaque, quod ab his ſtudijs mihi conceditur temporis, id omne libenter in eorum præceptis cognoſcendis conſumere ſoleo: ac tum denique ornate mihi dixiſſe videor, ſi quid aliquando ſapienter me dixiſſe intelligo. Quamobrem, ne in hac arte tractanda omnino à nobiliſsimis philoſophorum inſtitutis, & maxime Ariſtotelicis recederem, ſtatui vobis hoc anno libros Ariſtotelis de arte rhetorica, atque poetica interpretari, partim vt intelligerent omnes hæc etiam ſtudia à philoſophis eſſe profecta, partim vt ijdem ſcirent, quanquam natura in vtroque genere maximũ

habet momentum, tamen artem ipſam, ab optimo auctore traditam, imbecillam etiã naturam poſſe quammaxime confirmare. Nolite enim ijs aſſentiri, Auditores, qui poetam ingenij magis viribus excitari, quàm doctrina perfici putent, eumq́. à Muſis potius, quàm ab huius artis doctoribus, erudiri. ſunt enim hæc quondam à philoſophis, & à poetis ad ſtudij huius dignitatem, & amplitudinem comparata: quæ reuera aut nulla vnquam fuerunt, aut certe nunc nulla ſunt. vbi enim ſunt iſtæ Muſæ, Auditores, quærite: peragrate Thraciam, vbi Libethra, perluſtrate Phocidem, vbi Parnaſus, circuite Bœotiam, vbi Helico ſacrum eis eſſe domicilium dicebatur: nuſquam eas, mihi credite, reperietis. habitant enim nunc Muſæ, habitãt in pulcherrimis, eruditiſsimiſq́. veterum poetarum, & antiquorum eius artis magiſtrorum ſcriptis, atque ibi ſacrarium ſuũ auguſtiſsimum collocarunt. Quare, qui ſe ad eorum lectionem ſtudioſe contulerit, quiq́. ſingulatẽ illam dicendi vim, quantum poterit, fuerit imitatus, hunc demum & Muſis amicum eſſe, & ex earum præſcripto verſus facere, prædicabimus, hunc amabimus, hunc admirabimur, hunc denique in cælum laudibus efferemus. Quamobrem, ſi res vlla tanta poteſt eſſe, quæ veſtras mentes ad laborem poſsit quaſi quibuſdam facibus inflammare:

hæc

hęc ſtudia illa ſint, in quibus merito quodam quaſi ardore gloriæ conflagretis. Etenim, ſi athletæ, ceteriq; qui viribus freti corporis, ad depugnadum deſcendunt, omni neruorum conatu, diuturnæ prope laudis gratia, in aliquo populari conſeſſu contendunt: quanto vos acrius niti viribus ingenii decet, quibus in maximo prope orbis terrarum theatro poſitis perpetua, æternaq; laus eſt conſtituta? nam vt corpus mortale, atque caducum eſt, animus immortalis, atque æternus: ſic ea, quæ corporis robore pariuntur, fragilia, quæ vero animi viribus, perennia, & ſempiterna putanda ſunt. quæ cò etiam præſtantiora exiſtunt, quòd omnia ſunt in veſtra virtute, ac diligentia ſita, cum cætera plerunque fortunæ fallacis arbitrio gubernentur. Vrgete igitur hanc tam præſtantem occaſionem, iuuenes, atque, repudiatis malis ſuaſoribus, in hæc ſtudia incumbite, quibus nulla aut ad vſum vberiora, aut ad delectationē ſuauiora, aut ad laudem illuſtriora reperiuntur. Habetis ætatem opportuniſſimam ad diſcendum, ſcriptores ornatiſſimos ad imitādum, interpretem vero cum ante alias, tū hoc maxime tpe veſtrarū vtilitatū ſtudio vehemēter inceſū. alios fortaſſe populos contēnere eloquentiā decet: vos, ad tantā gloriā, & amplitudinem imperij, atque reipublicæ natos, ei cōparandæ profecto indormire non decet. Venetijs habita, M. D. L I V.

CAROLI SIGONII PRO ELOQVENTIA ORATIO QVARTA.

SIQVIS eſt, qui miretur, Auditores, cur aliarum omnium artium plures hoc tempore, quàm litterarum in ſtudio, elaborent, is tum denique, meo iudicio, mirari deſerit, cum veram huiuſce facti cauſſam mente, ac cogitatione comprehenderit. Mihi quidem in hoc acrius intuenti cum multæ aliæ probabiles huius rei rationes, tum hæc vna in primis poſſe reddi videtur, quòd reliquæ artes, vel propter vſum, vel propter oblectationem, magno nunc apud homines in pretio ſint, litterarum ſtudia, vel rerum obſcuritate, vel diſcendi labore, prope ab omnibus deſerta iam diu obſoleſcãt. quanquã nõ omnium litterarũ eadem videtur eſſe conditio. vt enim earum quoque ſtudium maxime vendibile eſt, ita vehementiſſime à nobis hoc tẽpore celebratur. Age enim, legũ, ac iuris cognitio ſummas afferre opes iuriſperito in ciuitate exiſtimatur: morborũ curãdorũ ratio magna item habere ad tuendã vitam adiumenta creditur: ergo omnino non improbantur. at vero philoſophiam, & eloquent iam

id eſt bene omni propoſita re ſentiendi, dicendique rationem, pauci admodum amplectuntur. Sed de philoſophia alio loco: nunc, quod ad nos attinet, de eloquentia diſputemus. quidem in hac ciuitate eo indignius popugnatur, quo, aliunde pulſa, ab hac rep. humanius excepta, ac iam per multos annos liberalius culta eſt: vt verendum magnopere videatur, ſi, quod alij alia ratione moliuntur, effecerint, ne ex nobiliſſimo hoc libertatis, & gloriæ domicilio, in quo iampridem honeſtiſſime commoratur, exacta, vix regionē vllā inueniat, in qua libera conquieſcat. Quāobrem præſtantiam hominis alij merito hoc loco verbis extollant: de virtute alij, atque de optima rep. diſputent: ego vero, cui in hac ciuitate patrocinium eloquentiæ publice commendatum eſt, eloquentiæ ſtudia, vt ſoleo, publice ex hoc loco defendam. à quo autem defendam? non ab alienorum quorundam ab his ſtudijs hominum impetu, quod priore anno ſuſcepi, ſed ab eorum, qui dicendi in primisq; grauitatem, & copiam admirantur. quo fit, vt hæc, quàm illa, quemadmodum iuſtior, ſic acrior defenſio futura ſit. ſiquidem tum à barbaris, apertiſſimis hominibus, nūc à diſertiſſimis inimicis, & huius potiſſimum gloriæ cupidis, id eſt à ſuis clam præclara hæc dicendi ratio oppugnatur. Eſt enim non leue genus

quoddam

quoddam hominum, qui eloquentiæ ſtudio tenentur illi quidem, verum eam non erudi torum hominum arte contineri, ſed in quodam ingenij genere verſari ſtatuunt: atque naturam ipſam, qua non repugnante magna ſe atque præclara omnia aſſecuturos eſſe in dicendo confidunt, ita amplexantur, vt locum prope nullum in hac facultate doctrinæ relinquant. vnde autem, aut quibus potiſſimum rationibus, vt ita ſentiant, adducuntur? Primũ ſuperuacaneum laborem ſuſcipi cenſent, ſi, cũ ſine ſtudio ad ſummam peruenire eloquentiæ gloriam poſſint, fruſta doctrinæ adiumenta, atque præſidia quærant. deinde, cum multo faciliorē eſſe naturæ viam opinētur, artis obſcuritatē, ac præceptorũ varietatem, & multitudinem reformidant. poſtremo, mouentur etiã nonnullorũ exēplo, qui quãquã nec præcepta vlla didicerunt, nec ea ſcire curarunt, non minimam tamen in dicendo laudem ſunt adepti. Quæ omnia quàm leuia, atque inania ſint, decreui vobis, Auditores, hodierno die, quo frequentes, vt ſoletis, in hunc locum ad intermiſſa hæc litterarum ſtudia reuocanda conueniſtis, oſtendere, nimirum vt, in hoc genere non ſolum quid ſequamini, ſed etiam quid declinetis, me potiſſimum auctore, quòd ita voluiſtis, habeatis. Ego enim ſic ſtatuo, atque hoc quidem maximis etiam

ac ſapientiſſimis viris auctoribus, confirmo, neminem non modo ſine dicendi doctrina, ſed ne omni quidem ſine ſapientia excellere laude vlla eloquentiæ poſſe. Illud autem ſatis mirari non poſſum: tam rudi, atque hebeti quenquam ingenio reperiri, qui, cum totum hoc genus animo complectatur, artē aliquo modo à natura ſeiungat, atque ſola vel natura, vel ratione duce ſe proficere quidquam ad nominis celebritatem poſſe in hoc ſtudij genere putet: neque idem intelligat, ſe, dum naturam exornat, artem ipſam, quæ à natura tota profecta eſt, exornare. Etenim, quid eſt aliud hæc ſiue ars, ſiue ſtudium, ſiue exercitatio dicendi, quàm collectio quædam, & coacervatio rerum earum, quas oratores, naturam intuentes, in dicendo ſuſcipiunt? aut, qui demum alij eximiam hanc vim eloquentiæ pepererunt, quàm cum ab initio alij temere, alij conſuetudine dicerent, qui, quid eſſet, quare hi apertius, quàm illi, dicerent, obſeruarunt? ſiquidem hæc antiquiſſima præceptorum omnium ratio fuit, non vt ea ſecuti homines eloquentiæ laudem aſſecuti ſint, ſed vt, quæ ſua ſponte oratores facerent, ea iudicio delegerint, oratione deſcripſerint, generibus illuſtrarint, partibus diſtribuerint. ita non eloquentia ex artificio, ſed artificium ex eloquentia fluxit, atque initium quidem di-

cendi natura, principium artis naturæ obſeruatio introduxit. Hoc tam præclaro fundamento iacto,in eodem,vt dixi, rerum genere artem verſari,atque naturam,nunc, quæ deinceps innumerabilia conſequantur, quibus mirabiliter augeri, atque ornari ars ipſa poſſit, attendite. Hoc enim dico, non eundem ſolum artis effectum eſſe,atque naturę,ſed multo etiam nobiliorem, & præſtantiorem eſſe, quàm naturæ. quamobrem? quia natura, niſi expoliatur, ac perficiatur ab arte, per ſe rudis eſt, & imperfecta. neque enim ea nos tales genuit,vt,eam ſolam ſpectantes, curſum vitæ præclaræ conficere ſine ratione, atque doctrina poſſimus. paruulos tantum in nobis ſcientiæ excitauit igniculos, atque exiguas quaſdam rerum notitias informauit. itaque ars adhibenda fuit, vt ad ea, quæ vix inchoata acceperamus, conſequentia exquireret, quoad eſſet id, quod cupiebamus, effectum. Etenim (vt ad ſingula veniamus) quid in paranda domo aut rudius fingi natura potuit, aut arte ſolertius? illa vſum tantum, hæc etiam dignitatem quæſiuit: illa tectum ſolum, hæc atria quoque, & veſtibula fabricauit: illa denique, vt ſolis, & imbris iniurias arceremus, hæc,vt ibi etiam aliqua cum honeſtate, ac delectatione commoraremur, oſtendit. Referte nunc animum ad militarem,& oratoriam lau-

dem: profectò reperietis, vt nos, naturam ſecuti, omnem vim, quacunque ope poſſumus, à corpore, à capite, à vita noſtra propulſamus, diuturna autem obſeruatione diligentem quandam rationem armorum, telorum, copiarum, atque inſidiarum comparauimus: ſic, quanquam ita facti à natura ſumus, vt & blandiri iis, apud quos dicimus, & rem geſtam narrare, & noſtra confirmare, contraria refutare, & ad extremum deprecari, & conqueri ſponte poſſimus, tamen nos hæc multo acutius, ornatius, ac diligẽtius, quadam accedente doctrina, eſſe facturos. Adde, quòd tardius opus ſuum natura prodit, ſubſidiis autem rationis inſtructa maturius, quid enim? non ne valetudinem per ſe quiſque, etiam ſine medicamentis, vel tueri, vel recuperare poteſt? cur autem adhibentur? nempe, vt id fiat celerius. Terra item, vario leguminum genere fœta, fruges ſua ſponte fundit: at quanto citius, ſi aliqua colendi quaſi diſciplina acceſſerit? Quòd ſi in iis, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, naturam ipſam, per ſe forte lentam, induſtria incitamus, atque acuimus: profecto multo facilius id faciemus in iis, quæ noſtro prorſus ingenio comparantur. Quid, quòd multa, arte duce, adepti bona ſumus, quibus omnino nobis à natura fuerat interdictum? Etenim maris, atque nauigationis vſum na-

tura

tura immenſo fretorum interuallo nobis intercluſerat,ars aperuit: immanium beſtiarum commoda ſuſtulerat,ars reſtituit:aliarum occultarat,ars indicauit:ſiquidem & naues,& nauigandi rationem reperit,& equos, bouesque manſuefecit. Atque ad vſum hominem tranſtulit, & oues, quarum villis confectis, atque confertis veſtimur, quemadmodum alerentur,vt ex ijs fructus cultu,atque curatione noſtra perciperemus, edocuit. Ergo,vt apparet, ars neceſſaria eſt ita,vt ne admirabilia quidem naturæ bona nobis ſuppetere ſine quadam ratione, atque induſtria poſſint. hoc autem vel maxime hinc intelligi in dicendi ſtudio poteſt. Quis enim ſine philoſophia, ſine dialectica,ſine legum,morũ,iuris ſcientia hãc laudem ſatis callide tueri, atque acute poterit? at hæc nõ ingenio magis,quàm ĩduſtria,nec natura potius,quàm doctrina,percepimus. Quid quòd vitioſã,& mancã ſæpe naturã ars,neceſſarijs reb.adijciendis, redundantib.amputandis, emendat? vt enim ſegetes fœcundæ, & vberes natura, non ſolum fruges, verum etiam herbas edunt infeſtiſſimas frugibus: ſic feraciſſima ingenia multa parere, atque inuenire, ad dicendum aut leuia, aut parum vtilia, & apta, poſſunt, quorum, arte magiſtra, diligens ab oratore delectus habebitur. Neque vero, ſi quis obtuſo forte,

ac prauo erit ingenio, id ars non aliquo modo acuet, & corriget, ſi arido, atque ieiunio, non alet, atque augebit. indicat nobiliſſimi huis artis doctoris Iſocratis peruagata illa ſententia: qui cum Ephorum frænis, Theopompum calcaribus egere dixit, quid aliud, quàm, in illo præcipitem concitationem, in hoc lentam tarditatẽ corrigendam, ac parum rectum eorum ingenium doctrinæ cuiuſdam quaſi regula dirigendum, intelligi voluit? Cum ergo ratio eundem, quem natura, finem intueatur, eumdémq; ſæpe præſtantius etiam, quàm ipſa natura, attingat, cũq; multa bona, quibus nos natura quodam modo ſpoliarat, ipſa ſuppeditet, atque omnino naturam adiuuet, & emendet: profecto, quantum in homines detrimenti inferãt; qui tam multa commoda deſpiciũt, irrident, reprehendunt, plane conſtat. Etenim, quid eſt aliud, cur nobis hoc tempore, id eſt tam ſero, natos eſſe lætandum ſit, niſi, vt multa, ab æqualibus noſtris prudenter, & acute in omni doctrinæ genere excogitata, cognoſceremus; quibus eos, qui ſuperiore memoria vixerunt indiguiſſe non ignoramus? quorum ea vis eſt, is vſus, vt ijs demum cognitis, vix carere vitam hominum poſſe videatur. An vero ceteris in rebus egregia veterum hominum inſtituta, & præcepta retinebimus, in hac vna tam varia, & tam multiplici dicendi facultate

repu

repudiabimus? cur ergo Ariſtoteles, cur Cicero, cur alij ſummi viri tam multa dicendi præcepta litteris, & memoriæ conſignarunt, ſiquidē habitus ipſe naturæ per ſe ſatis ad dicēdum valebat? an, vt onus nobis minime neceſſarium imponerent? non, opinor: ſed vt excellentes ingenio viros ſubleuarent, hebetes acuerent, inertes excitarent, poſtremo, vt omnes homines, vnde veram, & ſolidam gloriam quærerent, haberent. non enim omnes eodem præditi ingenio eadem præſtare natura duce poſſunt, quæ arte magiſtra poſſunt. neque enim ingenium omnium eſt idem, at ratio omnibus eſt eadem, quæ doceat, quæ inſtruat, quæ corrigat, quæ in viam deducat. quamobrem habet hoc ars, vt omnibus aditum ad eximiam laudem patefaciat, ſolis vero naturæ copiis inſtructi aſpirare ad eandem nō omnes facile poſſunt. Ego porro ita cenſeo, aut hoc totum orationis illuſtrandæ, & cumulandæ ſtudium eloquentię ab omnibus repudiandum eſſe, aut prorſus ab omnibus amplexandum. cur? ne, ſi qui nulla ad dicendū parati doctrina veniāt, ab iis, qui parati ſint, ſi vel in ſenatu vel in foro de rep. vel de re clientis inter ſe forte contenderint, inertia ſua de nobiliſſimæ gradu victoriæ depellātur. quamobrē? quia nemo fere non in ſe habet naturalia quædam ingenij ſemina, at artificium, nō niſi qui diutur-

ro

ſtudio quæſiuerũt, adepti ſunt. Quo ſit, vt qui artẽ aſſumpſerint, naturæ bono ne careãt, qui naturam afferant, doctrinam, quam contempſerint, afferre nullam poſſint. Sed hoc fortaſſe leue. quid illud? quàm contemnendum eſt? neque enim dubiũ eſſe poteſt, quin, ſi ars vna corruet, reliquæ, eodem concuſſæ motu ſubito concidant. ſunt enim omnes, præſertim quæ liberales appellantur, adeo arcto inter ſe vinculo conſtrictæ, vt, quemadmodum altera vix ſine alterius adminiculo conſtare, ita nec tolli ſine alterius interitu poſſit. an vero extingui oratoria laus poteſt, niſi gubernandi, & differendi ratio ſimul obſcuretur, ac prope obruatur? quarum vnius hæc quaſi propago eſſe, alteri quaſi ex altera parte reſpõdere exiſtimaretur. aut omnino oratoris quiſquam ſtudium delere, poetæ relinquere, aut has omnes artes remouere, reliquas conſtituere poterit? quibus ſublatis, profecto incredibiles ingeniorum acies obtundantur neceſſe eſt. Etenim vbi induſtria, qua artes continentur, atque augentur, obtorpeſcit, ibi nec ingenium, quod ab ea acuitur, valere ſatis poteſt, cuius ſi lumen extinguatur, videte, quem tandem in locum omne hominum genus peruenturum putetis. ſiquidem humana vita ferro ſimilis eſt. vt enim ferrum, ſi exerceas, conteritur, ſi non

exerceas

exerceas, tamen rubigine pereditur: ſic homines exercendo conteruntur, ſi non exerceantur, inertia, atque torpedine plus detrimenti accipiunt, quàm exercitatione. vt autem ſocordia naturæ vires infirmat: ſic ſocordiam tollit induſtria, quæ diuturna conſuetudine confirmatur. Eſt etiam illud diligentiſſime prouidendũ, ne quid ab hominib. committatur eiuſmodi quo humana natura peccare poſſit. nam ſi vel paululum lapſa fuerit, facile, pro ſua infirmitate, præcipiti ruina corruet. Hoc autem aptiſſime conſequemur, ſi noſtro quiſque ingenio nõ habenas effuderimus, ſed frænum iniecerimus, nec ſuis fretum virib. inani efferri inſolentia patiemur, verum honeſtiſſimis induſtriæ carceribus, veterum ſummorum virorum exemplo, continebimus. Quos equidem cum multis alijs de reb. ſumme laudandos eſſe cenſeo, tum quòd, cum de ſe forte glorioſius prædicarent, ingenio nihil, induſtriæ plurimum tribuebãt, illud extenuabant, hanc augebant, illud diſſimulabant, hanc præ ſe ferebant. Quàm multa naturæ incõmoda Demoſthenes ſuperaſſe traditur ſtudio linguæ, vocis, ſpiritus, motus? quàm multa Cicero? quàm multa alij? quæ pręcepta collegiſſe dicuntur? num, quia ingenio nullo eſſent? minime vero. eo enim excelluerũt. an quia ſe ſolis naturę opibus admirabiles in dicendo fu-

turos deſperarent?ne hoc quidem: cũ naturæ habitum prope diuinum ad dicendum attulerint. cur tandem? quia tardum ac pingue ingeniũ quàm valde excitari, atque excoli præceptis, doctrinaq; poſſet intellexerunt, & quia tã lautam, ac tam magnificam oratoris ſuppellectilem multo tum maturius, tũ etiam facilius ſe paraturos eſſe ratione, & via, quàm ingenio, & natura, crediderunt. Etenim quis eſt, vel acerrimo ad dicendum ingenio præditus, qui plane ſine lumine aliquo præceptorum rationẽ poſſet cauſſæ cognoſcendæ videre, partes eius, ac ſtatus omnes animo comprehendere, argumentandi vim variam, atque reconditam intelligere? præterea quis, initio captandas eorum qui audiunt, voluntates, deinde rem exponendam poſtea controuerſiam conſtituendam, tum id, quod intendimus, confirmandũ, quæ contra dicuntur, refellenda, extrema autem oratione, quæ pro nobis ſunt, augenda, quæ pro aduerſario, abijcienda ſine præceptorum doctrina cognouerit? Quę omnia etſi pariter ab indoctis, & rudibus temere, & ſine vlla ratione fortaſſe fiunt: aptius tamen certe, & callidius à peritis. argumento ſunt ea, quæ de actione, & memoria tradita ſunt: quę licet maxime propria naturę ſint, in his tamen excolẽdis ars, & moderatio quædam etiam adhibetur. nam lingua, vox, latera, vires, animus denique

que ad memoriā firmus, quæ nobis à natura donantur, præceptis ita & ſtudio conformantur, vt æque multa de his imbuēdis, & fingendis, atque de rebus inueniendis, collocandis & ornandis, veteres dicendi artifices ſibi præcipienda eſſe ſtatuerint. Quæ cum ita ſint, reliquum eſt vt, quod ſecundo loco poſitum erat de difficultate dicamus. Illud enim crebrioribus, quàm vellem, vocibus audio celebrari, difficile eſſe, oratorē, tam multis, ac tam varijs quę didicerit, præceptis occupatum, facile, atque expedite, quod ſentiat, explicare, ac tam multas in partes animum, mentemque diſtrahere: præſertim vero, cum oratio conformanda ſit non ſolum electione, ſed etiam conſtructone verborum, cum omnis ratio, vnde ad probandum elici aliquid poſſit, aperienda, omnis vis dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut incitandis, aut reflectendis exprimenda, omnis denique hæc, vt res, vt tempus, vt locus poſtulet, diſpenſanda, atque tractanda ſint. Ego vero hoc non difficile ſolum eſſe, ſed ne omnino quidem fieri poſſe puto, ſi quis tum plane oratorie loqui velit, cum præceptis oratorijs eſt inſtruendus, aut ſi quis tum denique, cùm dicit, præcepta artis mente peruolat. Nam, ſicut in legendo, ſi quis literas, vocesque ſingulas ſecum perpendat: cum legit, is ne ſyllabam

labam quidem ſcite pronuntiare poſſit, ſin autem ante in ſingulis litteris cognoſcendis elaborarit,deinde, coniungendis litteris, ſyllabas compararit, primo quidem tardius leget, deinde conſuetudine paulatim expeditam quandam, ac profluentem legendi celeritatē adipiſcetur:ſic in hoc ſtudio,ſi quis eo dē tēpore,quo præcepta perdiſcit,ſe præclare, ac ſciēter eſſe dicturū exiſtimet,vehemēter errat:ſin autē ea,quę multo ante ſtudio,atq; doctrina perceperit,diuturno poſt vſu, atq; exercitatione tractarit,eā facultatē profecto cōſequetur, vt quacūq; de re facile dicere,nulla ꝓpe artis habita ratione, ſed nō ſine ſummo tamen artificio poſſit ſi autem grammaticū non miramur,quòd facile recte loquatur,nec genera,& caſus in dicendo intueatur, quòd exercitatione effecit,vt facile non congruēti ſolum, ſed interdum etiam ornata locutione vtatur, nec cytharœdum,quòd, cum manum mouet, ad numeros proportionum,& ſi dium animum non intendat,quia,ex habitu iam lōga tractatione corroborato, omnes digitos ita profert, vt nunquam,cum velit neten pulſare, hypaten pulſet: nunc quid miremur oratores, vbi diu, multúmq; verſati in dicēdi ſtudio fuerint, apte & diſerte non magno negotio poſſe dicere? Cur igitur homines prauam hanc opinionem mentibus imbiberunt? Quia pauci ab ineunte

adoleſcentia dicendi copiæ ſtudent. vbi vero iam ætate corroborata fuerint, & ad honores petendos, aut ad cauſſas agẽdas animum appli cuerint, tum, cum intelligunt, quantum ad gratiam, quantum ad opes, quantum ad gloriã eloquentia valeat, ad hæc ſtudia vel inuiti ſe cõferunt, & eodem die geſtum diſcere, atque in ſcenam prodire volunt. ſin autem magiſtrum dicendi forte quempiam audiant, tum ab eo, quæ ne multis quidem annis penitus cognoſci poſſunt, vno ſtatim die haurire omnia cupiũt. Quod vbi minus ex ſententia ceſſit, tum tota dicendi arte in perpetuum deplorata, ſuo cuique ingenio laborandum, ſuis nitendum viribus eſſe, forum, ludum; frequentari oportere contendunt Summo labore eloquentia paritur? merito. vt enim quidque præſtantiſſimũ ita maximis vigiliis cõparatur. Ne lõgius abeam, quid eſt virtute, & gloria præſtabilius? atqui, virtutẽ per labores iter facere, ſummi quõdam poëtæ fictis fabulis prodiderunt, iidémq; etiam laborem gloriæ parentem appellarunt. Neq; vero imperite alij quidam, qui bona hominibus omnia à diis immortalibus nullo alio, niſi laborum noſtrorum, pretio vendi affirmarunt: nos tamen, his contemptis præceptis, difficultatis patrocinio ſegnitiem prætteximus. neque enim ſapientiam ipsã per ſe, nec quia res honeſta, atque omnium pulcherrima ſit, ſed ad

vilem

vilem vſum,& ſordidum quæſtum expetimus, contra veteres omni laude cumulatiſſimi. Demoſthenē enim tanto ſtudio doctrinæ flagraſſe ferunt; vt etiam doleret, ſi quando opificum antelucana forte victus eſſet induſtria. ſcilicet vir ille ſummus ægre ferebat,ſe, qui opus immortale tractaret ſomnum capere fabris ipſis ad rem viliſſimam excitatis. Plato etiã, qui vir dij immortales? ſomnum nimium & animis,& corporibus obeſſe,vigiliã ei,qui & vitæ, & ſapientiæ cupidus eſſet,aptiſſimam eſſe cēſebat. atq; eundem etiam Platonem accepimus tanta induſtria in diſcendo fuiſſe, vt diſciplinis, quas eruditiſſimæ Athenæ præſtare poterant, non contentus, ad Pythagoram magiſtrum, tum in Italia ingenij, doctrinæ, ſapientiæ gloria florentiſſimum, nauigarit, ac Ægyptiorum ſacerdotes adierit, & eorum arcana perdidicerit. Pythagoras autem ipſe non Ægyptiorum ſolum, ſed etiam Perſarum regionem perluſtrarat, & Cretam, ac Lacedæmona, ac ſicubi quid eſſet, quod dici poſſet, eò penetrarat. Quos viros omnes potius, quàm eos, qui nunc iſta proferunt, cenſeo eſſe audiendos, neque laborem vllum,in tam amplis præſertim præmiis, quæ eloquenti viro in libera ciuitate propoſita ſunt, recuſandum, verum tanto alacrius optimo cuique adoleſcenti ad tantæ ſpem glo-

riæ ſuſcipiendum eſſe. Neque vero me paucorum quorundam, quos iſti ſine ſtudio, ac ſine doctrina admirabiles oratores extitiſſe commemorant, exempla mouent. Ego enim ſic exiſtimo, Auditores, aut eos ipſos, ſi quid modo in dicendo potuerint, ne artis quidem penitus expertes fuiſſe, verum eam, vt nimis fortaſse in hac ciuitate ſuſpectam, callide occultaſſe; (*fuit enim hæc quondam magnorum etiam oratorum ratio, vt eo probabiliorem fore orationem putarent ſuam, quo minora artis adiumenta quæſiſſe exiſtimarenttur) aut certe, ſi ad diuinum eorum ingenium doctrinæ conformatio aliqua, & præceptorũ acceſſiſſet, multos ipſos fuiſſe admirabiliores, & præſtantiores futuros. Quanquam ne ſi vnus quidem, aut alter eo fuit ingenio, vt ſine aliquo ſtudio, naturæ ipſius habitu prope diuino, per ſe ipſi eloquentes extiterint, propterea veſtigiis illorum potius inſiſtendum eſſe cenſeo, quàm eorum, qui innumerabiles, ſubſidiis artis fulti, incredibili dicendi gloria excelluerunt. Quamobrem hoc quidem conſilij omnibus, qui eloquentiæ laude ducuntur, adoleſcentibus dederim, quorum incredibilem prope numerum in hac glorioſiſſima ciuitate eſſe intelligo: ne ſuo nimium ingenio freti, artem, quæ naturam, vt dixi, partim imitando, partim adiuuando, partim corrigendo, partim

grauiores

grauiores artes aſſumendo,locupletat, aſpernentur, ac reſpuant: quæ cum in veterum ſummorum oratorum imitatione,tum in præſtantium rhetorum aſſidua lectione verſatur, neque difficultate, quæ huic ſtudio propoſita eſſe dicatur, vlla deterreantur. Hæc mea hoc toto de genere ſententia eſt. Auditores,quam hodierno die,vt vos ad hanc laudem ſtudioſe perſequendam pro meo officio cohortarer, tanquam perpetuæ meæ erga vos voluntatis indicem, teſtemque expoſui quàm planiſſime, & quàm breuiſſime potui. Equidem fateor me exigui huius laboris mei fructum maximum percepiſſe, quod me, hæc ſtudia iam per annos quattuor acerrime defendentem, diligenter audiſtis. Etenim primum eloquentiæ vim,atque vſum veriſſimis, atque ornatiſſimis laudib.extuli:deinde eos, qui,ingenij,& rerum deſperatione debilitati ad laudem veterum peruenire cum in omni, tum in hoc maxime ſtudio ſe poſſe diffiderēt,confirmaui,atque ad ſpē ſummæ gloriæ incitaui:tū, qui,rerum ſtudio delectari,barbariem orationis affectarent,elegantiam dicendi vituperarent fregi,atque abieci:nūc autem demum inteſtinas etiā noſtrorū inſidias patefeci, atque occultam quaſi quandam contra eloquentiā coniurationem indicaui. Hoc idem,dum, licuerit,in perpetuum faciam:neque reprehen-

ſionem

ſionem vllam verebor,dum in his ſtudiis non tam interpretatione mea illuſtrandis,quàm ab iniquorum obtrectatione defendendis elaborabo.me enim cum veritatis;tum veſtræ etiam gloriæ ſtudium incitat: quos omnes cum aliis veræ laudis inſignibus, tum eloquentia maxime ornatos eſſe valde cupio. Magnum enim ſemper fuit: atque erit omni liberæ ciuitati eloquentia decus: maximum autem huic reip. quòd in hac ſola prope apud homines his temporib. veræ: & germanæ veſtigia libertatis appareant.Eſt autem æquum, qui Romanæ in Italia libertatis honeſtiſſimā hæreditatem creuerunt,eoſdem etiam eius comitis, & ſocię eloquentiæ creuiſſe atque vtriuſque rei patrocinium pari ſtudio, ac diligentia cuſtodire. libertatis autem, & eloquentiæ ſummus fructus eſt gloria: quam quidem vos aut nullo modo,aut certe perpetuo ſtudio, atque labore veſtro magnā in hac rep. conſequimini. quod vtinā aliquando, pro ſingulari mea erga vos: atque iſtam ciuitatem charitate: aut me hanc ſcholam obtinente,aut certe viuente, contingat.

Habita Venetiis.M. D. LV.

CAROLI SIGONII DE LATINÆ LINGVÆ VSV RETINENDO

ORATIO QVINTA.

QVEMADMODVM antea, quã diu à vobis abfui, Auditores: nihil me triſtius, nihil miſeri⁹, extitiſſe confiteor, q̃, quã incõmoda valetudine laborãtẽ, quã de ſua ſalute ſolicitã optime de me meritã ciuitatẽ reliquiſſem, mecũ ſępiſſime cogitabã: ſic hodierno die, cũ vos eoſdẽ, id quod ego perpetuis interea votis, ac precibus à Deo abſens poſtulaueram; ſummo periculo prorſus emerſiſſe video, cum tãta animi voluptate áfficior, quanta percipi ab homine poteſt maxima, tũ vero Deo ipſi immortales gratias ago, qui hãc remp. ad ſalutẽ, & dignitatem totius Italiæ, vos ad huius reip. decus: atq; præſidium, me ipſum veſtris, quibus ſemper

conſului:

conſului: commodis incolumem conſeruarit. Etenim hæc omnium hominum conſtãs opinio eſt, eas Venetæ ciuitatis opes, eam Veneti imperij magnitudinem eſſe, vt huius demum vnius vrbis ſtatũ vniuerſæ Italiæ incolumitas, atque amplitudo nitatur: neq; vero poſſit vllum hæc reſp. detrimentum accipere, quo non eodem omnes penitus ciuitates Italiæ conflictentur. veſtra autem virtus, vel è præſtãti maiorum hauſta nobilitate, vel liberali parentum confirmata inſtitutione, tanta eſt, vt hæc ciuitas magnam præſidij, dignitatiſq; ſuæ ſpẽ in vobis collocare, ſi diu vita ſuppeditauerit, iure poſſit. Nam de me ipſo hoc poſſum confirmare, me, vt ante ad triſtiſſimumquemque de hac ciuitate nuntium ingemuerim, atque imminẽtem eius ſæpe calamitatem abſens defleuerim, ita vt me ipſum demens ſæpe reprehenderem, qui non in quemcunque caſum vobiſcum remanſiſſem, ſic nunc meum conſilium vehemẽter probare, qui me veſtris omnium commodis, ac publicæ huius vrbis vtilitati reſeruarim, ac mihi ipſi, quando ceteris tum non poſſem, quacunque ratione proſpexerim. Quamobrem ſi præcipuo Dei munere ſuam aliquando huic ciuitati ſalubritatem, egregia magiſtratuum diligẽtia priſtinam vrbi faciem admirabili ſenatus conſtantia omnibus Italiæ populis antiquã ſpem ſalutis, & incolumitatis reſtitutam videmus:

mas:& nos etiam, quantũ eſt ſitum in nobis, huic vrbi vetera dignitatis inſignia, intermiſſa hæc literarum ſtudia reuocantes, prompto animo reddamus. Quod ipſum haud difficile factu opinor, ſi vos & priſtinæ veſtrę virtutis, atque harum, quas nos profitemur, litterarum, & fructus, & dignitatis memineritis. Quibus de rebus cum ſæpe aliàs diſſeruerim, nullum certe hoc tempore verbum facerem, niſi me nouorum quorundam hominum ratio, quos iam nimium multos eſſe ſentio, ad hãc orationem adduceret. Sunt enim, qui vel ingenio ſuo diffiſi, vel laboris magnitudine fortaſſe deterriti, hoc tempore in noſtro hoc litterarum curriculo ita verſantur, vt nouam hanc vulgarem, quam vocamus, linguam vnam amplectantur, Latinam illam veterem penitus aſpernentur. quos ego quia pernicioſa, & falſa duci opinione cenſeo, ac, ſua illi non mediocri auctoritate egregia veſtra ne remorentur ſtudia, valde, vt debeo, pertimeſco, nihil alienum me facturum eſſe arbitratus ſum, ſi hodierno die, quo mihi languentes veſtri ex ſuperiore ſtudiorũ intermiſſione animi ſolléni cohortatione ſunt excitãdi, quid hac tota de ratione ſentiã, vobis breuiter aperirem, atque, illorum refutata ſententia; vos ad linguæ Latinæ vſum non retinendũ ſolum; ſed parandum etiam inflammarem. Primum igitur illud ſatis conſtat; omnibus antiquo

quo naturæ conceſſu datum eſſe hominibus, vt ſenſa animi ſui verbis eloqui,atque oratione exprimere poſſent.ſed factum eſt tamē neſcio quo modo, vt mens omnibus tributa ſit eadem,oratio vero non eadem Etenim vt non eodem modo nunc Itali loquuntur, atque Galli, nec Hiſpani: atque Germani; nec hi omnes: atque reliqui Europæ populi: ſic nec eaſdem voces quondam Phœnices vſurparunt,atque Ægyptij: Chaldæi, Græci: atque Latini. Neque vero hæc linguarum tanta varietas:ac diſſimilitudo vniuerſas ſolum inter ſe prouincias, ſed partes etiā ipſas prouinciarum inuaſit: vt quemadmodum nonnulla hoc tempore eſt in Italicis etiam vocibus differentia, ſic tum eadem eſſet in Græcis. vnde tanta eſt vel ad vitæ vſum, vel ad ſcientiæ fructum exorta difficultas,vt, qui in rebus vel agendis, vel intelligendis excellere velit, vix vna,aut duabus linguis eſſe contentus poſſit.ſi qui autem aliqua loquēdi vnquam gloria floruerunt, ij profecto Græci, ac Latini fuerunt, hoc cum annalium veterum monumenta teſtantur. tum ex orationibus etiam, & ſcriptis eorum ornatiſſimis intelligi poteſt. Ac Græci quidem,vt otio:ſtudióque,ſic doctrina, & eloquentia abundarunt. Latinos autem rei militaris primum, deinde dicendi, atque intelligendi ſtudium occupauit, ſed tamen: vt ex

fonte riuus, ſic ex Græcorum oratione Latina fluxit oratio, nón tam apparata illa quidem, ac diues, ſed grandis tamē, & ornata, & ad, quidquid velles, ſignificandum aptiſſima. atque hæc quidem ſtante rep. & vigente imperio ita floruit, vt non Romæ ſolum, ſed in tota Italia Latine omnes vulgo ita loquerentur, vt eos ſono vocis fortaſſe, verbis quidem certe vix internoſceres. itaque: cum Græcorum exemplo Romani homines orationi ſuæ locupletandæ, atque excolendæ animum adiecissent, incredibile eſt, quàm breui: quantam illi vbertatem, quantum nitoris attulerint, quàm bonos oratores, nobiles poetas, egregios rerum geſtarum ſcriptores nobis imitandos reliquerint. Poſtea, Romano iam labente imperio, atque oppreſſa ſæpius impetu barbarorum Italia, Latino ſermoni vulgaris hic noſter ſucceſſit: qui corruptus pronunciatione, atque admiſtis fortaſſe aliquot etiam barbarorum vocibus, totus primum, aut magna ex parte Latinus fuit, deinde, vt ab vetere tot ſæculorum vſu magis, magisque receſſit, ſic paulatim propriæ venuſtatis, & gratiæ plus adeptus, inops tamen verborum ita creuit, vt: quantum Romani homines à Græcis, tãtũ nos, ac multo etiam magis à veterib. Latinis diuitijs orationis, & verborum non copia ſolum, verũ etiam ſplendore vincamur. Tum vero cum noſtri

ſtri etiam orationis ſuæ apparandæ, ac quaſi fa
ciendæ non mediocri ſtudio flagrare cœpiſ-
ſent, huic linguæ ornatum illum omnem, &
eam auctoritatem, qua nunc quidem eſt prædi
ta, pepererunt. Nam & ipſi ſcripta aliquot reli
querunt, quæ tum ingenij, tum doctrinæ ele-
gantiam non exiguam præſeferant, & poſſint
etiam (ſuum enim cuique libenter tribuo) cum
aliquot ex veteribus, vel eruditionis, vel acu
minis gloria, comparari. Ac neſcio, an vnquã
alias vehementius hoc ſtudium, quàm hac æta
te, cultum, & celebratum ſit. ſed ita multos in
eo videas elaborare, non vt, quemadmodum
priores illi, quorum nunc etiam ingenium &
induſtriam admiramur, ex Latinæ linguæ co-
piis ad hanc ditandam aliquid aſſumant, ſed
illa contempta, nullam aliunde, quàm à ſe ipſis
petendam opem exiſtiment. Quorum, quàm
irridendum, explodendũq; conſilium ſit, facile
vnicuique liceat intueri, qui modo, quibus illi
rationibus in hanc ſententiam adduci poſſint,
cognouerit. quid enim? vtilitate ne huius lin-
guæ trahimur, an dignitate? his enim potiſſi-
mum rebus omnes actiones noſtras metimur,
atque dirigimus. Quis eſt autem tam ignarus
rerum, qui ſe fructus vberiores ex huius orsatio
nis ſtudio, quã ex illius, percipere poſſe confi-
dat? Etenim quam multa ſunt Latinis cõſigna-
ta litteris, quæ nõ ſunt noſtris? aut quæ noſtris,

his prodita ſunt;quæ non eadẽ multo meliora ſint Latinis?poetas habemus aliquot non elegãtes,annalium ſcriptores fortaſſe tolerabiles. fateor:at oratores:philoſophos, & reliquarum artium magiſtros pene nullos. Ergo qui huius vnius linguæ ſtudio delectabitur, carebit cognitione oratorum,carebit philoſophorũ, carebit hiſtoricorum, carebit omnium ferme rerum,quibus humanæ vitæ ratio cõtinetur.nec illa ſolum incõmoda ſubibit,in quæ,qui quondam apud Romanos, Græcis neglectis litteris, totos ſe Latinis abdiderunt,inciderunt, ſed eo etiam grauiora,atque maiora, quo minora ad viuẽdum,& intelligendũ ex his, quam ex illis, ſuppeditari nobis adiumenta poſſunt. Quanquam quis vnquam Romanus tam Grçcas deſpexit litteras,quàm hi noſtri Latinas? rẽp. illi quidem litteris:rem militarẽ forenſi,actionem eruditioni,bellum paci præferebant.at,ſi ad regendam ciuitatẽ doctrina dirigẽda,ſi ad remp. tractãdam præcepta diſciplinæ paranda eſſent, ex Græcorũ ea fontibus,è quibus emanaſſent, ſine dubio hauriẽda eſſe confitebantur.Itaque, poſtquam Romæ ab externis bellis quies eſſe cœpit,nec inteſtinis reſp. ſeditionibus laborauit Græcorũ artes coli ab omnibus,& non negligi ſtudia litterarum cœpta ſunt. adeo vt M. ille Cato,ille inquã,qui Græcas ab ineunte ætate litteras perpetuo exagitauerat,atque oderat

rat eaſdem ſenex laudauerit etiam, ſtudióſeq; didicerit. quid fecerint deinde ceteri, cum exempla in medio ſint pene innumerabilia, dictu ſuperuacaneum puto. diſcebant enim tum vulgo homines Græcas literas ita fere, vt nos nũc Latinas, quòd, quantum eum ad dicendum, tum ad agendum valerent, non ignorarent. quid nunc noſtri? tantũ vel ingenio; vel fortunę tribuunt ſuæ, vt antiquiores omnes artes; tanquam peregrinas, & nihil ad ſe pertinentes, cõtemnant. contemnant? immo vero pro nihilo habendas putẽt. quaſi verò, ſi otium ad hæc alenda ſtudia poſtulandum ſit, non tãta pax huic ciuitati adſit, quanta à diis immortalibus optari poſſit tanta quies, quanta ne fortaſſe quidem vnquam in libera, opibúſq; firma ciuitate extiterit. Sed videte quæſo quid inter nos, & ſapientiſſimos illos, veteres Græcos interſit: ac quantum huius ſæculi mores à priſca illa induſtria, & probitate defecerint. Illi: cum in ea terra orti eſſent, quę bonas omnes artes pro creaſſet; aluiſſet: ornaſset, tamen: vt occultiora quædam ſcientiæ ſibi ignota myſteria diſcerent: alienas etiam linguas, & nihil ad ſe attinentes, ſibi cognoſcendas putarunt: nos Latinam linguam, huius noſtræ non parentem ſolum: ſed nutricem etiam; dij immortales; atque magiſtram, ingrati auerſamur: & fugimus. illi viãs omnes ſcientiæ, quas potuerunt, indaga-

runt,atque, inuentas nobis accurate demonſtrarunt: nos, omni ad cognitionem aditu obſtructo, quæcunque poſſumus deſidiæ, atque inertiæ patrocinia comparamus. Sed contemnamus Græcos, irrideamus Romanos: illorum auctoritatem cum libertate euanuiſſe, horum grauitatem cum imperio obſoleuiſſe dicamus: quid? patrum, maiorúmq; veſtrorum inſtitutum, eorum: qui hæc ex minimis tanta fecerent, num cui tandem pro nihilo habendum videtur? illi vero cum vniuerſis prope terrarum gentibus nobiliſſimam bonarum omnium artium, & linguarum quaſi officinam in ſuo imperio aperuiſſent, nullos certe huius recentioris linguę doctores accerſiuerunt, cum aliarum omnium magiſtros non minimis etiam præmiis quamplurimos aduocarent. cur ita? quia grauiſſimos viros, atque omnium ſine dubio prudentiſſimos non fugiebat, fruſtra in ea re, quæ nullum ad vitam inſtituendàm momentum haberet, operam collocari. Vulgaria autem hæc, quæ nos tanti facimus, monumenta eiuſmodi eſſe illi iudicabant, vt aut ad deprauandas potius, quàm conformandas iuuenum mentes valerent, aut certe, ſi quid oportunitatis afferrent, facile ab omnibus percipi, vel mediocri ſtudio, poſſent. Hic eſt igitur fructus vnus vberrimus, poſſe, quæ pluſima Latinis litteris præcepta diſci-

plinæ

plinæ traduntur, cognoſcere, ad vitam, ad mores, ad remp. ad familiam, ad Dei, & naturæ cognitionem, ad omnem denique humanitatem pertinentia, quæ vulgaribus his neſtris vel nulla continentur, vel certe cum Latinis nullo pacto conferenda. Sequitur alter ille, qui non in intelligendo, ſed in ſcribendo poſitus eſt. nam qui ſuam ad Latine ſcribendum induſtriam conferunt, ij ea lingua ſenſus expromunt ſuos, quæ, cum & bonorum verborum abundantia præſtet, & pluribus nationibus nota ſit, maiora etiam hominum generi afferre adiumenta poteſt. Nam noſtra quidem lingua, ſi vere iudicandum eſt, multis in locis hæret, & nimia quadam ſæpe paupertate verborum laborat. contra Latinæ hæſitantiam fere nullam, immo luxurioſam, & redundantem ſuppellectilem, ſi cum hac conferatur, animaduertas. Atque hæc etiam Italiæ tantum exiguis ſane finibus terminatur, illa in omnibus prope gentibus intelligitur. quod quanti faciendum ſit, declarant apud Romanos, qui quondam res Romanas Græcis litteris, vt pluribus eſſent cognitæ hominibus, tradiderunt. egregie eſt enim inſita naturalis quædam in hominibus gloriæ cupiditas ac ſitis, ne in ſapiente quidem, vt ego arbitror, reprehendéda: cuius gratia quàm multos dij immortales, & quàm graues labores in omni difficillima-

rum

rum artium genere ſuſtinemus?vt nomen noſtrũ:quod per ſe obſcurũ eſſet, honeſta multorũ prædicatione illuſtretur, quæquúe laudes noſtræ,quantæqúe fuerint,pateat quamplurimis.Neque vero nos ſolum,qui ſcribendi ſtudio detinemur:noſtra ad omnes peruenire ingenij monumenta cupimus,ſed etiam ij:quorum à nobis facta memoriæ litterarum produntur,quæ ipſi ſapienter : fortiter, clementérque fecerunt:longinquas ad regiones, & ſi fieri poſſit,in vltimas terras tranſportari,& ab omnibus cognoſci volunt. quod idem in leuioribus etiam ſtudijs accidit, vt nemo vehementius illi arti ſtudere velit, quæ patrijs contenta finibus incolas tantum vtilitate afficiat :ſed quæ cum artificis laude ad alienos tranſlata : omnibus eſſe gentibus admirationi, adiumentóque poſſit. Ergo illi : quorum virtus : quia conſecrata litteris à nobis eſt, in æternum permanebit, omnium gentium prædicationem, laudémque deſiderant : nos, qui eorum facta ſcriptis in perpetuum propagamus,hac exigua Italorum hominum voce contenti:nobilia Gallorum Hiſpanorum, Germanorúmque,quibus linguæ noſtræ ratio obſcura eſt,præconia reſpuemur?manuũ hi,& corporis fragilia opera omnib.nationibus patere cupiũt,nos præclara hæc animi,atque ingenij monumenta noſtris tantũ hominib.no-

ta eſſe patiemur? videte, ne, vt illis magnum honeſtatis incitamentum eſt, hoc ſperare, ſic nobis, idem non optare, flagitium ſit. Neque enim audiendæ ſunt quorundam hominum voces qui ſe Romanorum perſequi veſtigia dicunt, qui Græcis litteris ideo ſtuduerunt, vt inde præcepta ſcientiæ elicerent, Latinis vero, vt, quæ à Græcis accepiſſent, memoriæ, ac poſteritati mandarent. cur autem non audiendæ? quia non horum temporum eadem quæ illorum, ratio eſt. Romani enim cũ longe, latéque dominarentur, ea ſpe duci ad ſcribendum Latine poterant, fore aliquando, vt, propter imperij amplitudinem, ac reip. maieſtatem, ab omnibus ijs, quos in fide plurimos haberent, ſcripta ſua cognoſcerentur, atque vt antea extra Italiam arma, ſic etiam orationẽ efferrent, eamqũe trans alpes, atque trans maria in omnes omnium ſociorum prouincias, id eſt ad ſola terrarum vltima deferrent. Italis autem hoc tempore, tantum abeſt: vt ſpes vlla eiuſmodi ſit oblata, vt illud potius extimeſcendum ſit, ne: cum magna pars Italiæ ab exteris gentibus teneatur, & quotidie noui alienigenarum in hanc regionem impetus timeantur, noſtra hæc demum loquendi formula vel funditus deleatur, vel certe, peregrinis acceptis vocibus, aliqua ex parte corrumpatur. id quod quàm facile poſſit eueni-

re,

re, niſi hæc reſp. in qua vna hoc tempore expreſſa antiquæ maieſtatis imago cernitur, ipſam vna cum Italiæ libertate pro ſua conſuetudine tueatur, nemo non intelligit. peperit enim eloquentiam libertas, aluit, cuſtodiuit: quam eandem ſeruitus extinxit, conſumpſit, ac diſsipauit. Teſtes ſunt Græciæ ciuitates, teſtis eſt ipſa Roma, in quibus dicendi ſtudium, quod cum libertate floruerat, cum ſeruitute exaruit. Quid ergo? dicet aliquis: an hęc lingua relinquenda, quæ noſtra eſt, quam non ex libris accepimus, ſed à natura arripuimus, non à magiſtro didicimus, ſed à nutrice hauſimus, non in ſcholis percepimus, ſed in cunis cum lacte ebibimus: illa ſola retinenda, quæ aliena eſt, quæ ſexcentis è chartis: & commentarijs, & præceptionibus petenda eſt? Non ego id ſtatuo, neque vero id pugno, vt hanc linguam radicitus ex communi vſu euellam; præſertim vero qui & ipſe non nihil in hoc genere aliquando ſtudij poſuerim, atque alijs multis: vt idem facerent, auctor fuerim: verum illud contendo, ne Latinam linguam: quam tot ſæcula fouerunt, nos de ſinu eijciamus, hanc vero vnam vulgarem: tanquam filiolā: in delicijs habentes ornandam, & colendam perpetuo quodam ſtudio iudicemus. detur vtrique, quod vtrique debetur. Placet ſermonem noſtrum ab inopia vindicari?

ri?

ri? recte placet non enim ego voluntatem reprehendo, ſed iudicium in voluntate deſidero. Confugiat hæc lingua recentior ad illam veterem, quaſi parentem ſuam. Vult locupletari? inde opes accipiat. ſapere? inde prudentiã hauriat. exornari? inde pigmenta colligat, & artem diſcat illuſtrandi, denique, ſi fructum quærit, prçſtantiores ab ea fructus: quàm à ſe ipſa, expectet. Neque enim hoc tempore adeo Latinæ linguæ ſtudium intermiſſum eſt vt penitus interciderit: immo retinetur, & celebratur adhuc à multis: quique in ſcribendo aliqua cũ ingenij laude verſantur, non ſolũ non vulgo deſpiciuntur, ſed præmijs quoque non mediocribus inuitantur. Neque vero, dum hic rerum ſtatus extiterit, dum hic mos, atque hæc conſuetudo permanſerit, deſperandum eſt, quin ampliora ſemper illis, quàm his, ſint præmia conſtituta vt ingenioſo: & ſoletti adoleſcenti aut vtraque ſtudiorum via ſit ineunda, quod & fieri poteſt: & me non improbante fiet: aut, ſi alterutra, eam ingredi certe præſtantius ſit, quæ ſibi: & ceteris plus dignitatis allatura videatur. Nam quòd rei difficultatem prætendunt quidam, primum miror, difficile videri quidquam poſſe, quod cum alij hac ætate, tum in hac potiſſimum ciuitate multi fecerunt, vt in vtroque ſcribendi genere ita excellerent, vt in altero cum veteribus

iam

iam facile compararentur, in altero etiã contendere viderẽtur. deinde, ſi difficile eſt, quod concedi tamen poteſt, nõ ad hominum ingenia retardanda, ſed ad eadem incitanda valere debet iſta difficultas: cum illud ſatis conſtet, vt quidque non facillimum eſt, ſic idem, quia rariſſimũ ſit, maxima æſtimatione digniſſimũ eſſe, atque omninò eximiam laudem paucis ſemper in omni ſtudij genere patuiſſe. qui autem in vtraque ſcribendi ratione elaborarit, haud parem, meo iudicio, propoſitam habet apud homines nominis, & gloriæ cõmendationem. Nam qui Latine ſcripſerit, ſi ad laudem antiquorum non dico: peruenerit, ſed vſque eò acceſſerit: vt longiſſime non diſtet, is: quia cum paucis id fecerit, ſatis magnum ex labore ſuo fructum ad memoriam immortalitatis adeptus erit. qui autem in patrio ſermone ſe exercuerit: idem, quia nemo eſt: qui, quæ velit: patria oratione non exprimat, ac: ſi mediocre ſtudium afferat, facile non recte ſolum, ſed etiam ornate dicendi facultatẽ conſequi poſſit, quæ propria: maximéque ſolida laus eſſet, eam cum multis alijs communicatam extenuabit; ac tanquam in fruſta concidet. Neque enim, ſi dignitatis demum vtriuſque linguæ ſit contentio facienda, quenquam tam aut alienæ gloriæ inuidũ, aut ſtudioſum ſuæ futurũ arbitror, qui non illam huic longe

ampli

amplitudine, & grauitate anteponat, præſertim cum idem intelligat illam per multa ſæcula imperaſſe, hãc fere iam per plurima paruiſſe; illam leges, ac iura bellicoſiſſimo, ac potentiſſimo populo Romano, atque omnibus fere terrarum gentibus dediſſe, hãc nihil dum, niſi quotidiana quædam colloquendi, & contrahẽdi vocabula inueniſſe: vt hęc quidem deſpicienda minime ſit, quia noſtræ, quæcunque eſt, conditionis eſt ſocia; illa vero, quia tanti parens imperij fuerit etiam veneranda videatur. Tenete igitur antiquam Latinæ linguæ poſſeſſionem nobiliſſimi adoleſcentes, atque in hoc ſtudium toto pectore, vt inſtituiſtis, incumbite: ne ad exteros, vt iam imperij, ſic linguæ Romanorum gloria transferatur. Neque enim vlla alia vel priſtinæ libertatis, vel antiqui decoris, vel veteris dignitatis Italiæ, extant veſtigia, quàm honeſtiſſimum eius linguæ, qua quondam vniuerſo terrarum orbi iura præſcripta ſunt, patrimonium. quod ipſum non diligenter cuſtodire, inertiæ culpa, cuſtoditum diſſipare, profligatæ cuiuſdam ſocordiæ vitium eſſet. Hoc cum omnibus Italiæ populis merito faciendum eſt, tum maxime huic ciuitati, cuius vnius opes Italia dubiis in rebus intuetur, & patere ſibi quaſi portum in aduerſa tempeſtate tutiſſimum exiſtimat. Res autem in eum adducta locum eſt, vt, qui Lati-

næ linguę ſtudium retinuerit, is vniuerſum nomen Latinum, quod iam nimis anguſto ſpatio contractum eſt, atque antiquam eius imperij gloriam conſeruaſſe, propterea q; ſummis litterarum præconiis exornandus eſſe videatur. Hoc tempore pręclara vrbs Roma, atque aurea quondam illa Roſtra, qui fuit ornatiſſimus olim oſtentandæ eloquentię locus, ſe huic ciuitati commendant, ac tradunt. veſtrum eſt efficere, vt, quemadmodum vrbs ipſa, grauiſſimis ſæpe bellis oppreſſa, ſalutis opera à maioribus veſtris implorauit, ſic eadem linguæ ſuę, quę amiſit, ornamenta, veſtra diligentia, curaque recuperaret. quam quidem ad rem, etſi meę quàm tenues, quàm infirmæ ſint opes, intelligo: tamen pro perpetua mea, & conſtanti erga vos fide, ac beneuolentia, quidquid in hoc munere præſtare poſſum, libenter id polliceor totum, ac defero. Me vobis & mea voluntas, & vero etiam beneficia veſtra ita obſtrinxerunt, vt, qui velit, eodem me in hoc ſtudij genere vel duce, vel ſocio facile vti pro arbitrio poſſit.

Habita Venetiis, M. D. L. V I.

CAROLI SIGONII DE LAVDIBVS HISTORIÆ ORATIO SEXTA.

CVm aliae res, Auditores, maiorum veſtrorum ſingularem ſapientiam declarant, tũ hoc in primis, ꝙ hæc vobis prçclara litterarũ ſtudia quotãnis intermittẽda cẽſuerunt. nimirũ intelligebãt prudentiſſimi viri, vel corporis, vel animi vires: vt perpetua contentione debilitari, ac frangi: ſic, conceſſa quiete refici vehementer, & confirmari. quod cum ita eſſe & multoruum exemplo ſæpe cognouerim, & in me ipſo aliquando ſenſerim: gauderem equidem veſtra cauſſa, quorum ſtudiis mirifice faueo, atque etiam quoad poſſum, conſulo: ſi modo, quantum ad ingenia veſtra, tantumdẽ acceſſiſſe ad voluntatem exiſtimarem. ſed quoniam, vt ſæpe voluntas ab ingenio: ſic ingenium à voluntate deſtituitur, coniuncta

vero aditum ad æternam gloriam patefaciunt: propterea, quod à me vel ea perſona, quam ſuſcepi, vel ætas veſtra poſtulare videtur, id faciam, vt cum humarũ artium, quas colitis, aliqua laude grauiſſimam cohortationem ad vos excitandos, & ad hæc honeſtiſſima ſubſellia celebranda coniungam. Quanquam me peruerſa imperitorum quorundam hominum conſuetudo valde perturbat. quos ad optima quæque nullo diſcrimine vituperanda paratos, vbi nos de vobis ad literas, id eſt ad ſummum decus, incitandis verba eſſe facturos exaudiunt, animaduertere facile poſſis, vniuerſam hanc noſtram induſtriam continuo faſtidire, atque omnia poti usquàm id, de quo agimus, approbare. Quibus quidem quoniam à me ſatisfieri omnibus nec poſſe video, neque neceſſe admodum eſſe intelligo, quò me inſtituti, atque officij mei ratio trahit, eò me dabo, ſcilicet, vt in hoc munere gerendo non ad aliorum opinionem, neque ad meam ambitionem, ſed ad veſtram vtilitatem omnia referam, neque ab iis litteris, quas me hoc loco, atque in hoc ornatiſſimo iuuentutis conſeſſu profiteri ſenatus voluit, vel tuendis, vel ornãdis, vlla ratione diſcedam. id quod cum faciã, iure quodam meo me facere arbitrabor. Etenim, ſi cuique artifici, excitandæ opinionis cauſſa, præclara quędam licet de ſuo

artifi-

artificio profiteri: quanto id nobis concedi iuſtius eſt, à quibus etiam ars ipſa expectationis commouendę, & quaſi audientiæ faciendę petẽda eſt? Quamobrem cum hoc ſtudium in tres potiſſimum partes, veterum omnium conſenſione, diſtributum ſit, quorum vna oratorum, altera poetarum, tertia hiſtoricorum explicationem continet, cumq; duæ ſuperiores à me hoc quinquennio tractatæ ſatis, ac perpurgatæ videantur: tertiam hoc anno, quam nondum attigi, ad eas adiungendam, eiusq; ſtudij prudentiam, vt veſtras aliqua cupiditate mentes incenderem, oſtendendam putaui. Magnũ profecto illud eſt, quod profiteor, Auditores, ac neſcio an dicam maximum, tãtæ artis, quanta eſt veterum temporum, antiquitatisq; cognitio, magnitudinẽ verbis conſequi, atque oratione complecti: quæ ne animo quidem ſatis ac mente cõprehendi vniuerſa videtur poſſe. Hęc enim cum ſuis per ſe inſtrumentis, ac ſua ſupellectili inſtructiſſima, atq; ampliſſima eſt, tum vero reliquis diſciplinis omnibus tanta adiumenta, atque ornamenta ſuppeditat, vt qui huius notitiæ ſit expers, is plane nihil ſcire, nihil ex iis, quæ aut ad vitæ vſum, aut ad humanitatis cultum attinent, intelligere videatur. Itaque Ægyptius ille ſacerdos apud Platonem Græcos carpit, eóſque, quòd nulla vetuſtatis cognitione, nulla antiquorum

temporum notitia, nulla denique quaſi ſenili, & cana ſcientia eorum animi eſſent imbuti, ſemper pueros appellat. recte, & ſapienter. Vt enim pueros videmus, ob iudicii, ac mentis imbecillitatem hominem ab homine, rem à re diſtinguere non poſſe: ſic ille eos, qui nullam geſtarum rerum, nullam præteritorum ſæculorum animo comprehenſam notionem tenerent, iure viros negabat eſſe, quos præſtare pueris intelligentia deceret. Quòd ſi commodi putantur in ciuitate grammatici, quòd eorum aſſidua cura antiquarum nobis linguarum ratio patefiat: ſi fructuoſi poetæ, quòd liberali quadam cum animi voluptate pulcherrimis ipſorum verſibus præcepta communis vitæ vtiliſſima noſtris quaſi auribus inſtillentur: ſi oratores in ore ſunt omnium quòd eorum ingenio multæ reip. partes conſtituantur: ſi publici conſilii auctores ſuſpiciuntur, quòd eorum incredibili ſapientia vniuerſa reſp. fulciatur: ſi denique philoſophi diuinis prope laudibus efferuntur, quòd ſanctiſſimis illorum præceptis vita noſtra ad omnem felicitatem tum priuatim, tum publice confortetur: quantum antiquitatis notitiæ tribuendum putemus, à qua grammatici, poetæ, oratores, ſenatores, ipſi denique philoſophi pariter adiuuantur? Non vereor, Auditores, ne cupidius, quàm verius, dixiſſe vobis videar,

dear,

deat, cum ex vetuſtate cognoſcēda tantos nobis ſuppetere fructus expoſui. ſed, ſi recte, ac diligenter omnia, quæ in hac re ſunt attendenda, conſiderabitis, non dubito, quin ſententię meę veſtra facile volutas acquieſcat. Etenim, ſi omnem noſtram ſcientiam, tum demum veræ ſcientiam eſſe dicimus, cum cauſſas in vniuerſum, cur aliquid ita ſit; videmur poſſe reddere, vniuerſa autem omnia non niſi ſingulis rebus ante perceptis, ac diuturno ſtudio collectis continentur: quis ſcientiam hāc, ſine veterem notatione temporum, ac ſine priſcorum obſeruatione hominum, aut ſibi, aut aliis videbitur eſſe adeptus? Niſi vero artē vnam vnius hominis vel ętate, vel quamlibet accurata induſtria perfici, expleriq; poſſe exiſtimamus: cum ea rerum omnium natura ſit, vt à paruis ortæ principiis, paulatim perpetuis hominum ſtudiis, & ingeniis auctæ, ad ſuam quaſi maturitatem denique perueniant. Quamobrem quis non merito artem illam omnibus artibus anteponet, cuius adiumento excitatæ reliquæ floruerunt? Age enim, quid grammatica profitetur? nimirum vt verborum vim, ſignificationem, vſumq; doceat, vt, quid à tranſlato proprium differat, oſtendat. Atqui, cum maximam partem earum vocum antiqua morum, atque inſtitutorum conſuetudine contineri conſtet, vt pote, cum ſingulæ

ſere aut in ſenatu,aut in comitijs,aut in foro, aut in caſtris natæ ſint: qui poterit grãmaticus rectum earũ vſum conſequi, niſi hiſtoricus fontem ipſum,vnde illæ fluxerint,indicauerit,atque inſtituti originẽ, ac moris initiũ patefecerit? Habet enim vnaquęque ratio propria vocabula, vt auguralis: vt imperatoria: vt forenſis: vt ſenatoria. quæ neque præter eos ipſos,qui illas tractabant, quiſquam olim tenebat:&,ſi quis noſſe vellet: ad eoſdem adire cogebatur. Quin etiam,vt quotidie in ciuitate iura;leges:magiſtrátusq; nouos conſtitui cernimus:ſic nomina etiam multa nouari, quib. rerum illarum vis exprimatur, exiſtimare debemus.ad quæ imponenda vt non verborum explanatores,ſed ipſi ciuitatis principes adhibentur:ſic earum explicatio non à vocum,ſed à rerum geſtarum interpretibus requirenda. Cuius rei maximũ illud habemus argumentum,quòd: quàm diu priſcarum linguarũ ratio à grammaticis duntaxat petebatur tã diu à nobis ignorata,vbi veterum annalium lumẽ acceſſit,tum illuſtrari cœpta, tũ nobis omnia patuerunt. Quid dicam de arte ipſa poetarũ? non ne tota fictis fabulis veritatem hiſtoriæ tamen imitatur? Nam primũ quidem pars ea: quam qui tractant:epici nominantur:nihil aliud eſſe: quàm quidam hiſtoriæ contextus: videtur, proponit enim pariter & hiſtoricus:

&

& poeta, pariter narrat, mores, ac perturbationes hominũ exprimit: prœlia, cládesque ante oculos ponit. adeo vt multi, fallaci quadã ratione decepti, ſummorum imperatorum bellica facta verſibus heroicis perſecuti, poetarum ſe nomine dignos exiſtimarint. Mitto argumẽta, q̃ ab illuſtri actione aliqua, id eſt ab hiſtoria ſumpta eſſe, negari vix; aut ne vix q̃dẽ poteſt. Qu d?egreſſiões ſuas ij dẽ illi explere, aut ornare qui poſſent, niſi ex ipſa vetuſtate vel eas actiones deriuaſſent: vel earum certe ſimillimas confinxiſſent? Quanquam quid dico egreſſiones? fabulam ipſam ſuam tragici poetæ vnde: niſi ex varijs excellentium virorum caſibus: quos hiſtoriæ narrant, conſtituere didicerunt? Habet enim hoc propoſitum: hoc in primis poeta pectat: vt delectatione animos hominum afficiat. ad delectandum autem quæ valent maximè? nimirum temporum mutationes: fortunæ viciſſitudines: inconſtantes rerum euentus. Quòd ſi: quæ finguntur: inſperatum in comœdia gaudium: necopinata in tragœdia triſtitia vehementer animos hominum retinent: qua voluptate perfundimur: cum ancipites veræ contentionis exitus legendo cognoſcimus: & quos ſæpe ſpoliantes: atque exultantes vidimis: eoſdem repente omnibus vno prœlio fortunis euerſos intuemur? Iam oratoria laus quàm non

facile ſine rerum, antiquitatisque cognitione conſiſtat, declarant priſci illi artifices dicendi, ac doctores eximij, qui bonum oratorem eſſe negant poſſe, qui non eius modo ciuitatis, in qua verſetur, ſed vniuerſæ antiquitatis, inſtituta cognouerit. Cuius præcepti ratio difficilis ad explicandum valde non eſt. Nam cum oratorum ſit, vt id, quod fieri cupiunt, ex eo, quod aliquando factum eſt, confirment, exempla colligere, credo, quòd imperitæ multitudini, cuius illi potiſſimum auribus, & iudicio ſeruiunt, nihil exemplis, quæ facillime intelligantur, poſſit eſſe iucundius: hoc certe non aſſequentur, niſi ſuperiora tempora, vnde vbertas illa vel ad oblectandũ, vel ad probandũ hauritur perfecte calluerint. An vero, qui alterum in iudicio publico defendere voluerit, attingere cauſſam illam poterit, niſi antiquiora iudicia, vel ſimilia, vt vtatur, vel contraria, vt aliquid declinet, egregie nouerit, niſi grauiora etiã, ſi ita res poſtulauerit, euenta propoſuerit, niſi priuatam cauſſam cum publica, proprium periculum cum communi coniunxerit? aut ad laudandũ accedet quiſquam, qui populi eius, quẽ ornandum ſuſceperit, res domi, foriſque geſtas, vñ ſumma laudationis elicietur, ignorabit? aut qui non multo ante exterarum gentiũ maxime illuſtres actiones, vnde ſæpe, quæ in laude plurimũ dominatur, comparatio ſumi-

mitur, mente, atque animo perluſtrauerit? Niſi forte Athenienſiũ ciuitatem ſe ornare aliquis poſſe exiſtimat, qui res cum Dareo, & Xerſe acerrime geſtas, qui Marathonem, & Salamina, clariſſima inſignis eorum victoriæ monumenta, qui Miltiadem, & Themiſtoclem, fortiſſimos, ac ſapientiſſimos illorũ imperatores, contempſerit. Quòd ſi quiſquam hoc, nulla tinctus antiquitate, ſortaſſe præſtabit: at conſilium certe de futuris rebus, quæ ex præteritarum ſimilitudine gubernantur, dare nullum poterit. immo vero & ſuam, & alienam remp, notam habeat, bella, paces, fœdera, leges, mores, iura teneat, atque omnes rerum ſuperiorũ euentus, vnde futuram imaginem colligat, neceſſe eſt. Verũ hos tandem in ciuitate grãmaticos contẽnamus: irrideamus poëtas: pro nihilo habeamus oratores, vt cum eorũ artibus etiam ſtudium omne antiquitatis inane prorſus eſſe concludamus: num ita iniuſti, ita dementes erimus vt moralẽ ipſam, ciuilẽque ſcientiã, minimæ frugis, exiguæ laudis eſſe cõtendamus? Atqui nihil eſt aliud hiſtoria, niſi virtutum, vitiorũque quod argumentum moralis ſcientia complectitur, diligens, & perſpicua demonſtratio. An vero fortitudo grauius laudari, temperantia celebrari, iuſtitia extolli, atque his cõtraria deprimi vehemẽtius à philoſopho, quàm ab hiſtorico, poſſunt? aut quiſquam

quam,cum ad fortitudinem,moderationem iu ſtitiam hortabitur, Socratica potius ratione; quàm clariſſimis Deciorum. Fabij , & Camilli documentis vtetur? non exiſtimo: Et enim phi loſophi,quid agere homines debeant,hiſtorici, quid præclare egerint,docent. itaque, niſi nobilia philoſophorum præcepta egregia hiſtori corum oratio comprobaret inanes illæ chartę ridiculæ ſententię commenticia, futilisq́;doctrina videretur. Intelligunt enim homines, aliud eſſe , agere de virtute , aliud agere cum virtute: illud prope cuiuſuis hominis eſſe, hoc non niſi natura , & habitu prope diuino ad virtutis exercitationem exculti. Fidem illi , & religionem ſanctiſſime ſeruandam, proq́; iis dolores , & cruciatus omnes corporis perpetiendos eſſe præcipiunt : quotuſquiſque noſtrum eſt , qui , hac præſertim imbecillitate naturæ , illis aſſentiretur niſi,quendam fuiſſe quondam hominem , incredibili animi robore prędítum , accepiſſet , qui ſe ab hoſtibus per exquiſita ſupplicia excruciatum necari, quàm datam fidem frangere,maluiſſet? Abſtinentiam illi in extrema etiam paupertate colendam eſſe magnopere prædicant: & hanc,credo, orationem nos his moribus probaremus , niſi homines olim extitiſſe in ſummis etiam rei familiaris anguſtiis conſtitutos audiiſſemus , qui non magnifica

ſolum

ſolum clientium ſuorum munera, quæ dabantur, ſed regnorum etiam partem cõſtanti animo reſpuiſſent. Non perſequar hoc loco ſin gula, quæ in hoc genere colligi poſſunt innumerabilia hoc tantum dicam, magnas à nobis gratias rerum geſtarum ſcriptoribus eſſe habendas, qui ſuo ſtudio effecerunt, vt rebus præteritis cognoſcendis, facilius, quid nobis in vita expetendum, quid declinandum eſſet, expediremus. Prudentes multos fuiſſe homines legimus, & admirabili prope quadam in agendis rebus ſapientia præditos, quã non natura, ſed vſu rerũ multarũ nõ ſine magnis vitę periculis ſibi, vt de Vlyſſe traditum eſt, compararunt. at nobis hiſtorici hoc afferunt commodi, vt aduerſis aliorum caſibus edocti, ab omnibus, quibus illi perculſi ſunt. tuti fortunæ telis, cautius ac ſapientius actiones noſtras dirigamus. Matura ſeniorum conſilia iuuenes admirantur: cur? nempe, quia eos longa ætas, ac diuturna vita cautiores. & prudẽtiores effecit. at eo pluris æſtimanda hiſtoria eſt quo plura in omni genere exempla diuturnitas temporis. quàm exigua vnius hominis ętas colligit. Præclara philoſophorum decreta ſtupenti prope animo imperita multitudo perſequitur: quamobrem quòd illorum præcepta ad exercendam virtutem noſtros animos erudiunt. quanto hoc excellentius hiſtorici præſtant, quorum in libris

non

non animi ſolum, ſed corporis etiam expreſſas actiones intuemur? Quòd ſi hiſtoriarũ lectio virum bonum informare poteſt, ergo non eadem poterit præclarum etiam ciuem, ac ſenatorem inſtruere? Etenim quis eſt, qui ſuam egregie capeſſere remp. poſſit, cum genus ipſius reip. cum cauſſas ſalutis, atque interitus eius ignoret? aut quis eſt, qui optime ciuitati ſuæ poſſit conſulere, ſi neque maiorum leges, neque mores, aut inſtituta percalleat? quis denique vtilem, ac ſalutarem de pace, aut bello ſẽtentiam dixerit, niſi ſuæ ciuitatis opes, niſi vectigalia, niſi pedeſtrem, naualemque apparatum niſi bellicas ſociorum, atq; hoſtium facultates ante cognouerit? Quid porro aliud continent ſcripti à philoſophis de reip libri, niſi, multa eſſe rerum publicarum genera, eaq; intersfacile commiſceri? cauſſas eſſe quaſdam, quibus illæ conſeruentur, hę peruertantur? cõſilia vero alia ad libertatis, alia ad tyrannidis diuturnitatem accommodata? Quæ ſi ita ſunt, ea certe non ex arcana magis iſta philoſophorum ſcientia, quàm ex aperta diuerſarũ obſeruatione rerum publicarum, vnde fere illa etiã cadmirabilia philoſophorum præcepta ſumpta ſunt, eruere poterit, qui vetera annalium monumenta animo perluſtrauerit. Age vero, ſenator, niſi cognitis maiorum ſuorum rebus, niſi notatis ſuperiorum bellorum euẽtibus, con-

ſilium patriæ fructuoſum afferre nullum poteſt: num imperator, antiquitatis ignarus, rẽp. recte adminiſtrare in militia poteſt? multo minus. An vero melius inſtrui poſſe libris, qui militarem ſcientiam titulo polliceantur, quàm hiſtorijs, belli gerendi ducem exiſtimamus? ne hoc quidem. Quid eſt enim, quod ad faciendas inſidias, aut euitandas pertineat, quid, quod ad exploranda hoſtium conſilia, quod ad ducendum exercitum, ordinãdam aciem, ad compeſcendam ſeditionem, ad diſſoluendum metum, ad omnem denique rei bellicæ rationem, cuius non plurima, eaque nobiliſſima veteres annalium ſcriptores nobis exempla reliquerint Quæritis terreſtres oppugnationes, aut nauales? quæritis pedeſtres acies, aut equeſtres? imperatorum fortitudinem, aut militum? incredibilem exercitus in rebus aduerſis conſtantiam, in proſperis moderationem? harum illi rerum omnium partim ad cauendum, partim ad imitandum inſignia documenta ſuppeditant. Quamobrem, qui philoſophiæ præſtãtiam admirantur, ſapienter illi mehercule faciunt. eſt enim ratio, & ſcientia vna quæ viam felicitatis oſtendit, quæ cauſſas rerum aperit, quæ virtutis pulchritudinem vitij deformitatem patefaciat. Quid autem aliud agit hiſtoria? profecto nihil, niſi, quòd illa vniuerſa perſequitur, hæc ſingularia. quam viam ipſi etiam

philoſophi multo intelligentię noſtræ planiorē,aptiorémque eſse conſentiunt,vt à ſingulis potius ad vniuerſa aſcēdamus,quàm,quod illi factitarunt,ab vniuerſis ad ſingula delabamur. Eſt ergo,vt propoſui,antiquitatis cognitio vtiliſſima, quippe quæ philoſophos aliquando inſtruat,minores omnes artes adornet, iuuenes prudentia cum ſeniorib. æquet, ſeniores eorum, quos experti ſunt, caſuum comprobatione confirmet, ſenatorem ad rēp: imperatorem ad rem bellicam complectendam impellat, & quod caput eſt, omnes homines ad virtutem colendam incredibili quodam gloriæ ſtuſtio atque eximio immortalitatis amore accendat. ſiquidem hiſtoria vt turpiter factorum index eſt, ſic earum,rerum quæ cum virtute actæ ſint, teſtis eadem ſempiterna. Itaque quàm multos fuiſſe putatis, qui, illuſtri hoc litterarum,atque ingeniorum præconio concitati,ciuitates conſtituerint, leges ſcripſerint; nouas artes excogitarint: morti denique fortiſſimo animo ſeſe obiecerint? Niſi forte ea: quę de inferis ab antiquis poetis fabuloſe tradita ſunt: multum ad iuſtitiam; & pietatem putatis valuiſse:hiſtoriam ipſam; veritatis lucē;ac prope totius philoſophiæ parētem;ad virtutem amplectēdam, famámq; nominis noſtri propagandam momentum nullum allaturam exiſtimatis:cum Herculem; ceteróſque

teroſque quorum virtus,& labor hominū generi beneficia peperit eximia,nihil aliud, quā æterna annalium monumenta ab interitu vindicaſſe perſpicuū ſit. Etenim cetera omnia vel vi extingui,vel vetuſtate cōſumi poſsūt:hiſtoria vna per vniuerſum terrarū orbē diſſipata perpetuā ſui cuſtodē æternitatē eſt cōſecuta. Quamobrem ſi fragilem ſtatuā fabrili manu factam quæ corporis effigiem repræſentet ſibi quiſque poni cupit:quāto magis actiones inſignes excellentis ſcriptoris ingenio cōmendari debemus optare ,quæ vix vlla poſterorum hominum obliuio obſcurare vlla venientium ſæculorum delere diuturnitas poſſit ? Hoc igitur tantum ac tam præclarum ſtudium hoc anno cum dicendi ſtudio coniungemus rati ſcilicet multo vehementius nos ſi hiſtoriā quam ſi poema aliquod explicaremus , reip. profuturos. At quam hiſtoriam,& quarum gentiū ? dicet aliquis. quam,niſi Romanam,ac Romanorum?Etenim,ſi vtilitatem quærimus,hæc reſp.vt ceteris armorū gloria, atque imperij amplitudine , quib. vniuerſum fere terrarum orbem complexa eſt,deuicit,ſic ijſdem omni genere exemplorū, quæ quiſque ſecutus, egregie cum ſibi , tum reip.conſulat, antecelluit. Cuius ſi prima præcipue tempora ſpectes eam prope non ab hominibus , ſed ab heroibus quibusdam eſſe admiratam exiſti-

mes.tantam iuſtitiæ,ac moderationis amorẽ, tantum paupertatis,ac parſimoniæ cultũ,tantum luxuriæ,& auaritiæ odium,tantum diuitiarum,atque opulentiæ contemptũ poſſis animaduertere.Itaque,ſi exempla virtutis quęrimus,vndenã vberiora capi poſſunt aut fortitudinis ad mortem pro rep.oppetendam,aut prudentiæ ad perniciem pręcauendam,aut induſtriæ ad propulſandam?ſi lectionis dignitatem,quod imperium,aut quam libertatẽ,aut quam aliam populi, vel regis amplitudinẽ cũ populi R.imperio,libertate,maieſtatéve conferemus?profer Aſſyriorum,profer Perſarum, profer Græcorum imperiũ.ficta illa nimirum, & commentitia quædam,ingenio eorum,qui illa memoriæ commendarunt, quàm re ipſa, ornatiora videbuntur.Sin autem quandam in legendo voluptatẽ ſequimur: quid eſſe iucundius poteſt,quàm,tantã rem,à tam paruis initijs profectam, intelligere, tot reip.conuerſiones,tot bella, tot clades, toties afflictam domi, foriſque remp. vnam terrarum omniũ dominam,toties recreatã,cogitatatione,atque animo comprehendere?Quòd ſi non hic tantus fructus,aut dignitas, aut delectatio petitur, &, ſi ex huius hiſtoriæ ſtudio ſolam pietatis laudem expetimus,quam aliam huic lectionem debemus anteferre?hic enim populus nos quondam ex barbaris Italicos, ex hoſti-

bus

bus ſocios,ex peregrinis ciues ſuos fecit: hic nobis habitum,hic linguam,hic vocis ſonum impertiuit:hic leges, mores, iura ſua conceſſit:hic libertatis, atque imperij partem dedit: hic induſtriam, hic fortitudinem,hic ceteras, quibus ipſe quaſi quibusdam gloriæ gradibus in cœlum aſcendit, virtutes communicauit. Excitāda eſt igitur vetuſta quaſi parentis noſtri memoria, ac gratis animis antiqua illius tēpora recolēda.à quib. quo lōgius abſumus, eo vehementius ab illa vetere Italicæ virtutis indole abhorremus. excitanda eſt, inquam, tum omnibus Italis,tum huic potiſſimum ciuitati,cui imperium, cui libertatem, cui pacis cuſtodiam,cui præſidium Italiæ,id eſt ampliſſimum laudis, ac gloriæ ſuæ patrimonium, moriens vni reliquiſſe populus R. videtur.itaque eadē Italia trepidis in reb.à patrib.veſtris, adoleſcentes,tanquā à legitimis tutoribus opem implorat, ſi horum potentiam, ac quaſi numen intuetur,ac ſpectat,ſeque vnis ipſorum auſpicijs dignitatem ſuam vel retenturam, vel recuperaturam eſſe confidit: æquum eſt, vt, dum illi maioribus diſtinentur curis, vos,vetera tempora, atque antiqua illius ornamenta animo repetentes, ad ſimiles actiones veſtram induſtriam, veſtra maxime ſtudia conferatis.Etenim nolite exiſtimare,mæſtiſſimis vel priſcæ Italiæ, vel antiquæ vr-

bis Romanæ manibus minus gratum futurum, antiquam ſuam gloriam orationis veſtræ magnificentia celebrari, quàm eandem patrũ veſtrorũ ſapientia, conſilioque reuocari. ſatis earum nomen in tenebris, atque in hominum ignoratione latuit: nunc in lucem, atque in omnium conſpectum eſt proferendum. per quos autem? an per barbaros, à quibus oppreſſum eſt? an per alienos, quos hæc cura minime tangit? à quibus igitur? à ſuis, ſuis, inquam, vel cognatis, ſi Troianam originem ſpectes, vel nepotibus, ſi Romanã, defenſoribus quidem certe perpetuis, & acerrimis, ſi Venetæ reip. propriam in protegenda Italica libertate charitatem, & fidem animaduertas. Quamobrem vos mecum ſimul in hoc præclaro cõmunis induſtriæ curriculo ita Romanã hiſtoriam, ac priſca illa tẽpora retractabitis, itaque leges, & iura populi bello, paceque pręſtantiſſimi, me auctore, celebrabitis, vt quam antea curã de dicendi facultate ſatis grauem ſuſcepiſtis, eã vobis nequaquam eſſe deponendam exiſtimetis. id enim & huius reip. dignitas, ad quam referre decet omnes curas, & veſtra quoque gloria, ac vtilitas poſtulat.

CAROLI SIGONII DE LAVDIBVS STVDIORVM HVMANITATIS

ORATIO SEPTIMA.

QVOD precatus ſum à Deo opt.ma. Auditores, illo tēpore, quo me primū ad hæc litterarum honeſtiſſima ſtudia contuli, vt, ſi nullā vnquā neque corporis, neque animi contentionem deuitaſſem, vnde aliquid ad communem hominum fructum afferre poſſem, hæc eadem mihi aliquando in nobiliſſimo aliquo auditorū cōſeſſu auctoritate publica profiteri liceret, id ipſum iampridem, ſingulari Dei beneficio, ampliſſimo ſenatus Veneti munere, incredibili denique veſtro, ac prope diuino ſtudio ſum cumulatiſſime conſecutus. annum enim iam octauū ingredior, quo mihi publico eſt decreto permiſſum, non ſolum vt in Veneta ciuitate, id eſt in ipſo prope imperij, ac gloriæ Italicæ domicilio doceam, quod ipſum per ſe

magnificum, atque amplum exiſtimatur, ſed ita etiã eſt permiſſum, vt multo plus amplitudinis atque ornamentorum egregia huius delatio muneris ſecum attulerit, quàm res ipſa vtilitatis, & commodorum. cùm me vno, multis pohabitis eligendo veſtram quaſi prærogatiuã facile ſenatus ſuffragia conſecuta ſint, atque illius ſtudia præclara quodam modo cũ veſtra ſingulari voluntate contenderint. Ex quo deinde mirificum hunc cepi voluptatis fructum, quòd inauditam iſtam veſtrorum animorum in me depoſcendo alacritatem admirabili mei per annos ſeptem audiendi conſtantia comprobaſtis. quam eandem ſi vos in poſterum adhibebitis, nullo pacto vereri debeo, quin facile grauiſſimo eorum hominum iudicio ſatisfaciam, qui me aut antea teſtimonio, aut poſtea ſuffragio ſuo honeſtiſſimo decorarunt. id quod vos ſine dubio facturos, & frequens hic hodiernus in hunc locum veſter concurſus, & ea, quam vultibus præfertis, humanitas, & hæc inuſitata ad audiendũ attentio facile pollicentur. Quæ cum ſperarẽ, atque omnino eiusmodi multo ante mea cogitatiõe finxiſſem, eo animo ad hoc munus hodierno die reuerti, quo me in hanc ciuitatem iam inde ab initio cõtuli, vt in eo gerendo vel minimas veſtras rationes meis etiã grauiſſimis perpetuo anteferrem, atque omnem meam curã,

ac diligentiam ad veſtram potiſſimum voluntatem, & vtilitatem accommodarem. Neque vero optatius quidquam mihi contingere poterit, quàm aut veſtro vniuerſo ordini, cui ab ineunte ætate mearum omnium genus vigiliarum dedicaui, ſi qua in parte potuero, induſtriam meam probaſſe, aut iis, qui ſingularibus ſuis in me ſtudiis in hanc me ſedem ſuis quaſi manibuus impoſuerunt, gratiam aliquam retuliſſe. Quanquam me ſi vere dicam, de tota huius muneris, atque officij mei ratione diligentius cogitantem, multa incidunt, quæ in medio prope curſu impediunt, atque perturbant. Verſatur autem ante oculos, ac prope in mente infixa hæret, litterarum, quas ego profitendas ſuſcepi, magnitudo, ac varietas, & clariſſimæ huius ciuitatis amplitudo, atque celebritas: quibus in maxima ingenij mei imbecillitate reſpondere pro dignitate poſſe ſperare imprudentis, optare vix hominis eius eſſe exiſtimo, qui grauia ſapientum hominum iudicia pertimeſcat. Nam, vt ſtudiorũ dignitatem audacius fortaſſe, quã ſapientius, quotidianis laboribus, atque aſſiduis vigiliis meis tueri poſſe mihi perſuadeam, qui tamen tantę ciuitatis grauitatem ſuſtinebo, aut veſtræ demum, Auditores, expectationi, veſtriſque de me iudiciis reſpondebo, quos ex vniuerſa ciuitate, atq; ex cuncta no-

bilitate adoleſcentes lectiſſimos, atque excellentiſſimis ingenijs præditos in hunc locū litterarum cauſſa conuenire intelligo? Etenim quanquam ceteris, qui, hunc locum adeundo, & veſtram concionem frequentando, gloriam aucupantur, magnæ, ac difficiles omnib. ad decus, & ad gloriam ſalebræ opponuntur: tamen ſic exiſtimare debetis, nullis alijs, quàm nobis, aut ad laudē anguſtiorem, aut ad famā impeditiorē viam eſſe propoſitam. Huius autem difficultatis multæ cauſſę, ſed vna illa mihi præ ceteris, diutius in hanc quæſtionē intuenti, afferri videtur poſſe, harū, vt dixi, magnitudo, atque varietas litterarum. Nolite enim exiſtimare, quod quidam liberius iampridem in vulgus iactare ſoliti ſunt, inane quiddam hoc ſtudium eſſe, ac nugatorium, verborum plenum, ſapientia vacuum, puerilibus rudimentis, non virili ſcientiæ accommodatū, ſed tanta grauitate, ac magnificentia præditum, tanta rerum, atque artium pulcherrimarum cognitione inſtructum, vt, qui hoc negligat, is non diſciplinam aliquā deſpicere, verū vniuerſum humanitatis genus contemnere videatur. id quod ego eo libentius vos, pro officij mei ratione, ac mea perpetua erga vos charitate, admoneo; quòd hęc ſtudia non ab imperita ſolum multitudine improbari, ſed iam ab eruditis hominibus etiā multis

op-

oppugnari animaduerto. Mouet autẽ, ac prope ſtupidum vulgus detinet, non elegantia diſciplinæ, nec ipſius ſcientiæ ſplendor, ſed priuati commodi ratio, & plauſus quidam illis ab hominib. impertitus, quos in aliarũ potius artium ſtudio occupatos attendit. itaque duo potiſſimum artium genera vulgares, & imperiti homines hoc tempore admirantur, duo colunt, ac ſtudio perſequuntur, litigandi prudentiam, ac medendi: quòd in his non tam cognitionis dignitatem, quàm vſum rerum quotidianum, nec tam ſcientiæ nobilitatem, quàm artis neceſſitatem, nec tam decoris, atque honeſtatis, quàm opum, & diuitiarum adiumenta multa poſita eſſe perſpiciant: philoſophiam vero, optimam omnium diſciplinarũ parentẽ, niſi quatenus ad eas artes dux eſſe certior creditur, omnium ne attingendã quidem exiſtimant. At eruditorum longe alia ratio eſt. hi enim cum ſanctiſſimum, ac præſtantiſſimum vnum ſapientiæ ſtudiũ probent, hoc vnum amplexantur, ac fouent: quorũ ingenium, atque induſtria paululum ab eo declinarit, atque à recte ſentiendi prudentia ad bene dicendi rationem ſe conuerterit, eos, vt leuiſſimæ cuiuſdam diſciplinæ magiſtros, nullo pacto audire poſſunt. in quo quàm vehemẽter errent, quis eſt adeo rudis, qui nõ perſpiciat? metiuntur enim noſtra tempora ex anti-

artium diſſenſionem hi mores hominum intulerunt, vt alij ſe in rerum, atque artium pulcherrimarum cognitione verſari, alij in verborum ſingulorum vi concipienda, quaſi deteriore quodam in opere, detineri velint. Neque illud intelligunt, quod maxime fuit intelligendum, tum, cum vnus erat fere omniũ ſermo, nihil fuiſſe, cur magnopere aut lumen interpretum quærerent, aut magiſtrorum explanationem deſiderarent, ſed vnum tantum omnes propoſitum habuiſſe, vt ſubtilius rerum cauſſas exquirerent, quǽque inueniſſent, ea litteris & poſteritati mãdarent, de ſplendore vero, ac copia orationis, cum omnes, quã quiſque à natura adeptus eſſet, dicendi facultatem afferent, minimum laboraſſe: hoc autem tempore, cum vetus eorum linguæ conſuetudo interciderit, præclara ingenij monumenta ſeruata ſint, vnde omnis nobis ſapientiæ, vnde humanitatis, vnde eloquentiæ ratio haurienda ſit, neceſſario alios eſſe conſtitutos qui obſcurum antiquorum verborum vſum oſtendant, alios, qui intima ſapientiæ penetralia patefaciant. In qua partitione facienda homines non naturam rerum, ſed temporis neceſſitatem ſecuti, nec rem libidine, ſed ratione ipſa metiti ſunt. Etenim quæ natura ſua deiungi vix poterant, neceſſitate, & conſilio ſepararunt, non ita tamen, vt aut philoſopho
rum

rum decreta verbis non cognitis, aut oratorũ verba rebus non ante animo comprehenſis, intelligi poſſe ſtatuerint. Quin etiam res illa ad mentes hominum falſa opinione imbuendas acceſsit, quòd, quantum eorum arti ſit commiſſum, quibus veterum linguarum explicatio cõmendata ſit, non intellexerunt. illi enim ſimplex quoddam, rude munus eorum putarunt, in verborum ſcilicet priſcorum ſignificatione, & vſu docendo tantummodo occupatum: cum ſi verum quærimus, non id ſolum quod antea grãmaticorum, ſed illud quoque, quod fuerat philoſophorum, vt poetas, vt oratores, vt hiſtoricos informarent, vt eorum artificium admirabile aperirent, vt ornate, & copioſe dicendi rationem demonſtrarent, linguarum interpretibus traditũ eſſe poſſimus animaduertere. Quibus in rebus, cum, quantum momenti ad ingenij, & induſtriæ laudem poſitũ ſit, plerique hominum aut videre nolint, aut certe nõ poſsint, factum eſt, vt ſe in philoſophiæ, quàm aut in poetarum, aut oratorum, aut hiſtoricorum ſtudio vigilare videri malint. quaſi vero illud præſtantioris cuiuſdam naturæ, aut acrioris ingenij opus ſit, hoc illius hominis, cuius animus altius ad gloriam multis naturæ difficultatibus impeditus euolare non poſsit. In quo quanto errore ducantur, ſatis apparere poteſt ijs, qui vel poetarum

rum,vel oratorum vel,hiſtoricorum ortus atque ornamenta conſiderauerint. Etenim quis eſt adeo rerum ignarus,quis adeo à litteris alienus,qui fando aliquando nō audierit,multo etiā ante , quàm homines in terris diſperſi mœnibus ſe,ac vallo ſepirent,atque ex agris, locisque ſiluestribus ſe in vnū locum incolendi cauſa referrent,hominum genus quoddam in terris extitiſſe: qui voce blanda & fidibus canoris homines ad vitā inter ſe conſociandā,& certo quodam iure , certisque legibus deuinciendā incitauerint , eoſdemque ad virtutem,ad decus , & honeſtatem amplectendā impulerint?aut quis eſt,qui neſciat,deſcriptis iā ciuitatibus,poſitis legibus , iudicijs conſtitutis,cū ſæpe de iuſto,& æquo controuerſia incideret , ac lex cum æquitate,ius cū iuſtitia ſæpe contenderet , genus alterum hominum eſſe exortum,qui iuris ciuilis non ignari , faciendæ orationis , ac tractandorum animorum non imperitij , quos illi oratores , quia maxime oratione, quod volebant, aſſequeban tur,nominabant, hominum ſecum diſſentientium animos,quocunque vellent , adducerent? poſtremo vero , cum & inter ciues diſcordiæ, & inter finitimos populos bella ſæpe pro iure ſuo retinendo excitarentur, & antiquarum rerum memoria plurimum poſteris vel vtilitatis ad prudentiam,vel voluptatis ad cogni-

tionem

tionem afferret:quis eſt,quem fugiat,tertium genus hominum eluxiſſe,qui ciuitatum origines,ac iſtituta,qui inteſtinos motus,ac bellorū incendia,qui conſilia,cauſſas, atque euentus omnium ciuilium actionum ſibi ad poſteritatis memoriam litteris conſignanda, atque ab obliuione hominum vindicanda putauerint? Quod ſi ita eſt,qui fieri tandem poteſt, vt aut poetam,aut oratorem, aut hiſtoricum philoſopho ætate eſſe inferiorem dicamus, præſertim vero cum, ſi, quod illi voluerunt, oratione obtinuerunt, non omnino inſipientes,ſi conſilio,nō indiſertos prorſus fuiſſe veriſimile ſit. Ergo,cum ab eijsdem prope incunabulis poetæ,oratoresq; profecti ſint, quib. philoſophi ſunt educti:quid eſt, quamobrem de eorum dignitate, atque amplitudine dubitemus?niſi forte hos vanitatis,illos prudentiæ,hos temeritatis, illos ſapientiæ auctores, & magiſtros eſſe cenſeamus. An vero, cum grauiſſima ſua decreta philoſophos crebris nobiliū poetarū teſtimonijs confirmare,poetas grauiſſimam quamque quæſtionem ſiue de ijs rebus,quæ à natura proficiſcuntur,ſiue de ijs, quæ ab hominibus aguntur,attingere videamus,de eorum ſapientia ambigemus?aut, cum oratores adeo ſe in adminiſtranda ciuitate iactare ſentiamus, vt earum etiam ſe gubernatores eſſe profiteantur, aut cum eos iu-

ra,leges,inſtituta ciuitatum tenere, animorũ motus, quòd in ijs plurimum vis eloquentiæ dominetur, pro arbitratu tractare intelligamus,num quid grauius,quàm quæ de dicendi ratione traduntur, didicerint, in dubium adducemus?Nam hiſtorias quis tandem negare poterit ſimulacra quædam eius eſſe philoſophiæ, quæ in actione conſiſtit? vt, ſiue virtutum ad imitandum, ſiue vitiorũ ad declinandum exempla cupiamus, ſiue morem maiorum ad cognoſcẽdum, ſiue res geſtas ad prouidendũ quæramus,non à philoſopho aliquo facilius,quàm ab egregio ſcriptore hiſtoriarũ aliquo petere nobis liceat.Ergo, quoniã, aut quid,aut quantum huic arti cõmiſſum ſit plerique hominum ignorant,facile adducuntur, vt grauiſſimum, ac nobiliſſimum diſciplinæ genus,atque ſcientiæ negligant. Auxit deinde horum etiam ſtudiorum apud imperitã multitudinem contemptum naturalis,atque inſita quędam artium inter ſe æmulatio, ac ſolicita de principatu & dignitate contentio, cũ, qui in vna re pares, aut ſuperiores ſunt, in omnibus ſe aut pari, aut meliori conditione eſſe, atque alij quidẽ ſe artis vtilitate, alij dignitate,alij voluptate præire oportere contendant: præterea alij omnia dicendi ornamenta,quaſi inania eorũ,qui audiant,oblectamenta, contemnant, alij ne ſanctiſſima quidem philoſophiæ

phiæ præcepta impuro, ac ſordido expreſſa ſermone audire poſſint, &, ſi quid in altero criminis, ac vitii ſit, id, vt ſit, in maius augeant, ſi quid recti, ac virtutis, id, quoquo modo poſſint, obſcurent: itaque grecæ, ac latinę eloquentiæ ſtudium, quod primum à philoſophis excitatum, poſt ab eorum ſcholis, atque vmbraculis in aciem atque in ſolem proceſſerat, & concionem ſuam, ac forum diu maxima cum dignitate luſtrauerat, & omnem denique liberæ ciuitatis maieſtatem iampridem ſuſtinuerat; pulſum roſtris, eiectum curia, excluſum concione, ſubſelliis amandatum, à philoſophis demum contemptum, ineptis interea, & rudibus quibuſdam litteratoribus commendatum, aliquamdiu prope omnibus ludibrio, ac deſpectui fuit. Nunc videte, quantum hi mores ab antiqua illa diſciplina deſciuerint, atque vna cum reliqua communis vitæ, conſuetudine prope ire præcipites cœperint. Philoſophi quondam grauiſſimæ cuiuſque doctrinæ magiſtri, tantum his artibus tribuerunt, vt eas non præceptis ſolum, & commentariis locupletarint, ſed ipſi etiam cœtum habere iuuenum, quibus eas communicarent, philoſophiæ gloria non contenti, voluerint: nos hæc leuiſſima ſtudia ducimus, & ab his, ſi diis placet, quaſi à turpitudine quadam refugimus. Illi incredibilem poetarum ſapientiam

adeo

adeo admirati ſunt,vt eius auctorem non hominem aliquem, ſed Deum ipſum eſſe iudicarint: nos eam ita contemnimus, vt ne erudito quidem, aut certe graui homine dignā exiſtimemus. Illi oratores non niſi philoſophorum in ſcholis perfici, & eorum præceptis inſtrui ſtatuerunt: nos oratorem à philoſopho, vel antiquis philoſophis repugnantibus, ſeparamus. Illi deniqúe has artes fecerunt, vt eas omnis liberalis educationis, omnis ingenuæ diſciplinæ, poſtremo omnis humanitatis, vnde etiam nomen inuenerunt, fontem eſſe vberrimum duxerint: nos tenuiſſimas grammaticæ tantum rationis quiſquilias,& verborū inanem ſtrepitum quedā continere iactamus. Sed cur ego ſic ago? aut in re omnibus notiſſima contendo? non vt vos id doceam, Auditores,quod ipſi vel ingenii bonitate, vel recta educatione,vel iudicij grauitate mihi de harum artiū dignitate profecto aſſentimini, ſed vt iure me perturbatiore animo ad anniuerſariam hanc ſtudiorum conſuetudinem repetendam hodierno die accedere oſtendam, qui, nullis prope ingenii, vel doctrinæ preſidiis fultus,veſtræ potius vtilitati,quam meæ laudi deditus,maximæ, ac prope infinitæ artis vobis tradendæ onus ſuſcipiam. Nam profecto, ſi cogitare diligenter, ſi vere exiſtimare volueritis inuenietis,qui aliis in artibus elaborant, ſi

in vno genere mediocriter excellant, omnium prope laudibus cumulari, nos autem, niſi vniuerſum prope liberalium doctrinarum orbem expleuerimus, vix poſſe tolerari. Age enim: medicum quærimus nobilem: ſatis eſſe, ſi editos de illa arte cõmentarios cognouerit, arbitramur. iureconſultum poſcimus egregium quid aliud in eo, quàm vniuerſam iuris ciuilis notitiam, & aſſiduam iuris interpretum lectionem, deſideramus? philoſophi vero hoc tẽpore ſe iure hoc nomẽ vſurpare exiſtimant, ſi vnius Ariſtotelis ſcripta peruolutarint, ac ſollennes, & tritas quaſdam diſtinctionum, & quæſtionum formulas, éasque non admodum infinitas mente, ac memoria comprehenderint. id quod quanquam difficile eſt, tamen, quia in vnum ſtudium ſe mens eorum, & induſtria tota intendit, labore, ac ſtudio comparari videtur aliquando poſſe. Contra vero, ex noſtris eſt aliquis, qui græcæ, aut latinæ linguæ rationem tenet, illudetur. dicendi rationem cum poeticæ facultate coniunxit: ridetur. antiquitatem habet ſcientia, & memoria comprehenſam: parum eſt. dialecticæ notitiam addidit: ne hoc quidem ſatis. omnes philoſophiæ partes deguſtauit: aliquid etiam poſtulatur. ſe ipſum enim ita ad veterum imitationem ſcribendo, & loquendo effinxerit, eſt neceſſe, vt ipſe, ſi opus ſit, contendere cũ

corum

eorum laude pulcherrima poſſit. Iam, quæ tanta ingenii facultas, quæ tam ſingularis induſtria, quod tam acre ſtudium, quæ tam accurata eſſe diligentia poteſt, quæ non præſtare, ſed polliceri, non ſperare, ſed optare, non dico hæc omnia, ſed minimam horum particulam, non dico poſſit, ſed etiā audeat? Hanc ergo vel ingenii, vel doctrinæ varietatem, atque præſtantiam ſi quis à me requirit, fateor à me longe abeſſe, ſi in me eſſe debere contendit, dii immortales, quid me miſerius, aut laborioſius, aut afflictius fingi & excogitari poteſt? qui oneri, quod humani ſuſtinere mei non poſſit, imprudens ſubierim, neque iam per tot ante annos mearum virium imbecillitatem expertus ſim. Quòd ſi neque harum artium ea eſſet varietas, neque horum ſtudiorum ea difficultas, & ego vel ingenio eſſem acutiore, vel certe ſtudio acriore, angerer tamen mirum in modum, ac cruciarer, cum de huius amplitudine ciuitatis mecum animo cogitarem, ac, quantum, & quàm reſonans huius conſenſus theatrum quotidie mihi frequentandum eſſet, conſiderarem. Ecquem enim, quæſo, ſanum hominem non perterreat, quem prudentem prope non obſtupefaciat, cum illum hæc cogitatio ſubeat? Venetiis hodie eloquentiæ præcepta traditurus ſum, in quibus vnis hoc tempore priſcę extant veſtigia

gia eloquentiæ, Venetis audiētibus, de antiqua rum ſum artium præſtātia locuturus, quorum ea doctrina eſt, vt ab iis ad exteras etiam gentes permanarit. Venetis iudicantibus, ſum de imperiorum, & rerump. genere, ſi ita res tulerit, verba facturus, quorum ea in conſtituenda, & gubernāda ciuitate ſapiētia eſt, vt merito ipſis ſolis hodierno die in terris iuſti imperij, & nō fucatæ libertatis aut adumbratę gloria debeatur. Vere dicam, Auditores: ne nunc quidem, cum, in vnum argumentum tota mente defixus, loquor, ſatis conſtitutum mecum habeo, maiore ne cum animi voluptate, an moleſtia loquar. voluptatem enim mihi certe affert frequens hic veſter conſpectus incredibilem, quod in eo ſpem omnem ſummi honoris, atque eximię cuiuſdam apud homines cōmendationis collocaui: at veſtrorum animorum tacitæ cogitationes timorem iniiciunt incredibilem. quorum grauiſſima iudicia non intimis etiam ſenſibus exhorreſcere, hominis eſſe putarem longe à pudore, atque à modeſtia remotiſſimi. Quamobrem in tanta huius obeundi muneris cogitatione frangerer profecto, Auditores, ac plane conciderem, ni me veſtra humanitas incredibilis, qua fretus tantum negotium iam diu fortunatius multo, quàm ſapientius tueor, recrearet prorſus, atque reficeret. ſpero enim vos, quod & adhuc

feciſtis

feciſtis, & facturos in poſterum ſpondet veſtra hæc attentio ſingularis, ſi meam voluntatem, atque inuſtriam omnes ad veſtras vtilitates referri cognoueritis: nihil à me amplius quidquam, quam quod ingenij mei mediocritas ferre poſsit, deſideraturos. Qua ego ſpe ſubleuatus, atque erectus nunc, tanquam veſtrorum commodorum, veſtręq; laudis auctor grauiſſimus, &, quod caput eſt, veſtro ſæpe iudicio iam, ac teſtimonio comprobatus, vel tuendi officij mei, vel referendæ vobis alicuius gratiæ cauſſa audebo vos breui, quanquam nō neceſſaria cohortatione de harum litterarum aut retinendo, aut amplectando ſtudio admonere. Vnde autem initium ſumam, Auditores aut quid potiſsimum ex tanta rerum infinitate afferam, aut quid denique vobis nouum, aut inauditum proponam? Quis eſt enim tàm auerſus à muſis, quis tam omnis expers humanitatis, quem fugiat, atque prætereat, omnium artium, quæ maiorum induſtria inuentæ, & nobis proditæ ſunt, nullam eſſe; ſi voluptatem querimus, ad oblectandum animum aptiorem, ſi vſum, ad vitam hominum tuendam commodiorem, ſi decus ad gloriam conſequendam oportuniorem his litteris, quæ genere prope infinitæ, fructu vberrimæ, iucunditate ſuauiſsimæ, ratione honeſtiſsimæ ſint? Qui remp. qui priuatam, qui domeſticam, qui

forenſem, qui vrbanam, qui ruſticam tractare cupiunt, quomodo id aſſequi ſine præceptorum, quæ his litteris continentur, lautiſſima ſupellectile vnquam poſſint? Qui belli, qui pacis ſtudium perſequuntur, quẽadmodũ in alterutro egregie ſine harũ litterarum præſidio verſabuntur? Poſtremo non labor, non quies, non otium, non negotium, non adoleſcentia, non ſenectus carere diutius harũ litterarum fructu vberrimo, & copioſiſſimo poſſunt. Quamobrem efficite, vt, quod hactenus cumulatiſſime præſtitiſtis, quàm leues vulgi, à quo hæc contemnuntur, ineptias, quàm grauẽ patrum veſtrorum, à quibus hæc honorantur, auctoritatem ducatis, vel hoc maxime tẽpore declaretis, hoc inquam, tẽpore, quo cũ aliarum artium omnium, quæ quondam in pretio fuerunt, tum maxime priſcæ, ac germanæ illius eloquentiæ nobilis quaſi quædam officina hæc ciuitas facta eſt. Cui eñ obſcura ſunt præclara Academię Venetæ inſtituta? cui inauditi admirabilis eius nobiliſſimi cœtus ad omniũ litterarũ laudẽ cœpti progreſſus? admiretur hercle, qui ſingularẽ audiat veterũ diſciplinarũ in eo gymnaſio inſtitutã deſcriptionẽ: vix credat, qui excellentẽ attendat in diſputandis, & tractandis rerũ obſcuratiſſimarũ quæſtionibus ordinẽ: prope obſtupeſiat, qui incredibile perſpiciat totius illius præſtantiſſimi conuẽ-

tus

tus ad omne doctrinæ genus illuſtrandum ſtudium, atque ardorẽ. Quamobrem Lyceo quidem,& porticu,& hortis illis ſuis delectentur Athenæ,atque eadem,fama,& ſermone hominum maiora,quàm re, in cælum laudibus efferant: tantam tamen doctrinarum, ac ſtudiorũ varietatem, ſiue eas quærimus, quę ad varitatem indagandam,ſiue eas,quæ ad remp. capeſſendã ſiue eas, quæ ad eloquentiam excolẽdam pertinent,quod nuper diuino prope conſilio Venetiis eſt inſtitutum, non complectentur,aut certe tantam in omnium antiquarum laudem æmulatione gloriã, ſi bene cœpta proceſſerint,non aſſequentur. Vos autem,Auditores,cum in omnia alia ſtudia vehementer incũbite, tum in ea vehementiſſime, quæ veſtris potiſſimũ rationibus apta ſunt: id eſt eloquentiam colite, quę pacis, & togæ ſocia,imperij,& libertatis miniſtra,alienis iampridem pulſa ciuitatibus,externis eiecta regionibus, nobiliſſimum in hac vrbe,in qua leges, & iura vigent, inqua priſcæ libertatis & antiquæoptimæ reip. imago expreſſa eſt, domicilium collocauit. Quam libertatem vtinam cum maxima Veneti & nominis,& imperij propagatione in perpetuum vobis liceat retinere : vt, quod vniuerſa

 & optat,

& optat & ſperat Italia, veſtra prudentia,& ve
ſtris opibus in priſtinum dignitatis,
ac libertatis ſtatū aliquādo vin
dicetur. Venetiis habita,
M. D. L I X.

FINIS.

Digitized by Google

20

Digitized by Google

Digitized by Google